


A
A
0
0
0
1
0
4
8
5
2



REESE LIBRARY
UNIVERSITY OF CALIFORNIA.

Received *Mar. 27* 1893.

Accessions No. *50753* Class No. *12*

PA
6105
V24

v.76 Valpy -
Delphin classics

Southern Branch
of the
University of California
Los Angeles

Form L 1

PA
6105
V24
v.76

This book is DUE on the last date stamped below

Form L-9-15m-8,'26

Digitized by the Internet Archive
in 2008 with funding from
Microsoft Corporation

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

LIBRI QUI SUPERSUNT.

VOL. X. •

TABLE OF CONTENTS

vii

1

128

128 23

128

128

128

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

LIBRI QUI SUPERSUNT,

EX EDITIONE G. A. RUPERTI

CUM SUPPLEMENTIS

NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

INDICE LOCUPLETISSIMO

ET

GLOSSARIO LIVIANO

ACCURATE RECENSITI.

75397

VOLUMEN DECIMUM.

F

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1828.



HOWARD UNIVERSITY

50753

mentio faciendæ Cæsarum, et alias, et propter eum Cæsarem qui postea dictator fuit, errorem parere legentibus posset; simul ut illius avi domesticæ discordiæ penitus intelligantur, non abhorrere a præsentis instituto judicavi, si de hac familia, et præcipue iis hominibus qui tum maxime floruerunt, pauca, nec injucunda scitu proderem.

41. Igitur Julii, cujus gentis familia Cæsarum fuit, antiquissimæ originis fuerunt: eum genus ad Iulium referent, Æneæ filium, quem Æneam Anchise et Venere genitum vetus fabula prædicabat. Qui primus Juliorum hoc cognomine discriminauit gentem, cum cæso matris utero prodisset in lucem,^b ex eo casu appellationem traxisse non absurde creditur. Eum ante tempora Hannibalicæ belli vixisse oportuit. Ex eo enim Cæsarum in historiis mentio frequentatur. Sed primus omnium Sex. Julius Sex. F. Sex. N. Cæsar consul fuit, L. Oreste collega, ad annum urbis conditæ quingentesimum nonagesimum sextum.^c Nepos hujus esse potuit Sex. Cæsar C. F. qui cum L. Philippo gessit consulatum, eum bellum sociale inciperet: potuit et L. Julius Cæsar L. F. Sex. nepos, qui sequenti anno consul res eodem illo bello gessit, et mox censuram adeptus est. Sed ut illa certo affirmari non possunt, ita hoc minime controvertitur, L. Cæsaris fratrem hunc de quo dicere cœpimus C. Cæsarem fuisse.

42. Igitur Caius ille Cæsar claritudine generis et fratrum, (nam matre Popillia natus erat, quæ antea Q. Lutatium Catulum pepererat, Cimbrica victoria celebrem,) præterea ingenii felicitate elatus, ad summos honores magnis animis contendebat. Nam inter primos sui temporis oratores numerabatur, et nativo quodam facetiarum lepore omnes superabat. Is ante biennium Sex. Julio, L. Philippo consulibus, in curuli ædilitate quotidianis fere concionibus de republica accurate habitis, magnam et gratiam

^b *Cum cæso matris utero prodisset in lucem*] Falsam esse hanc nominis originem pronuntiat Salmasius ad Sueton. Cæs. initio. Non, inquit, Cæsar a cæso utero dictus; id de Cæsone potius verum esset: sed Cæsar antiqua vox Latina, quæ τὸν

κουριῶντα significat: inde *casarius* vel *casaria*, ἢ κομηκουριῶσα. *Crev.*

^c *Ad annum U. C. quingentesimum nonagesimum sextum*] Hic annus nobis numeratur quingentesimus nonagesimus quintus. *Crev.*

Delph. et Var. Clas.

Livius.

Sueton.
Cæs. c. 6.

Plin. VII. 9.

Cic. de
Or. III. 3.

Cic. de Or.
II. 11. 3. 7.

23. et 54.

Cic. Tusc.
Quæst. v.
19.

Cic. Brut.
c. 89.

vulgo, et auctoritatem quæsiverat. His ille fretus, cum ædilitius esset, ommissa prætura consulatum ambire cœperat.

Asc. in
Scaur.

Cic. Brut.
c. 63. et de
Har. Resp.
c. 20.
Diod. Ecl.
xxxvii.
Ascon.

43. Sed tribuni plebis, P. Sulpicius, quanquam familiaris Cæsaris, et P. Antistius, extraordinariam petitionem refutabant. Iisdem C. Marius se aggregavaret: nam ex disciplina illorum temporum, contentiones in republica vi ferme et armis dirimebantur. Idcirco divisus vulgi studiis magnæ ex hac causa seditiones extiterunt. 'Jus populi' Cæsar extollebat, et 'pro eo senatum judicasse, cum T. Quintium Flaminium M. Fulvius, M'. Curius tribuni plebis, similiter consulatum transcens mediis honoribus petere non paterentur. Neque pœnituisse aut judicii sui patres, aut suffragiorum populum, cum paucis annis opulentissimum Macedoniæ regem, fortis si quis unquam et felix imperator, maximo Romani juris incremento, superasset. Neque tamen aut ætate parem sibi Quintium, aut causa fuisse: se ædilitate functum olim, illum ex quæstura petisse consulatum.

Plut.
Flam. c. 2.
Liv.
xxxii. 7.

Liv. xxv.
41.
vii. 26.

44. 'Quin et nonnullos, priusquam magistratum ullum curulem gessissent, consules factos. Ita P. Sulpicium Galbam, cum in Italia Hannibal esset, ita M. Valerium Corvum, cum Gallicis tumultibus arderent omnia, summis honoribus admotos; hunc quidem admodum adolescentem: adeo nihil in candidatis præter virtutem spectari, populo Romano semper placuisse. Idcirco postea quoque duos Scipiones, alterum magnis quidem rebus, sed sine magistratu gestis; alterum non ædilitium, sed candidatum ædilitatis, ad idem fastigium evectoros.

Liv.
xxviii. 38.
Sup. l. 36.

45. 'Magna se quidem afferre exempla, sed eorum qui tum demum explicare virtutem animi potuerint, postquam campum ipsis gloriæ consulare nomen imperiumque aperuisset. Sibi quoque licere de suis rebus sperare ampliter: laudique potius quam vitio vertendum, si maximorum virorum imitator esse cupiat. Esse sibi nobilitatem nulli gentium quas nominasset imparem: neque recusare quin cum quolibet istorum, sed nondum consule, conferatur. Acres populo Romano esse oculos, acutas aures: quomodo domi se quisque, quomodo militiæ gesserit, diligentiam

ejus non fallere. Se quæsturam et ædilitatem sic gessisse, ut satis magna speret dedisse documenta industriæ, vigilantia, humanitatis. Nec in bello segnem aut ingloriam operam navasse imperatoribus, et sæpenumero donatum ab his laudatumque virtutis causa esse. Hoc sibi non pudendum ad summos honores iter videri, etiamsi præturam declinet: quam minime quidem a se sperni: sed neque præturæ deesse candidatos idoneos; et in præsentia hunc esse rerum statum, ut se consulem quam prætorem multis modis utiliolem reipublicæ futurum confidat. Fortasse Deos immortales hoc fratribus Juliis servavisse deus, ut alterius victoria sagum toga mutaretur, per alterum plane extingueretur sociale bellum.

Cic. Tusc.
Quæst. v.
19.

46. ‘Suos adversarios nihil afferre, quominus jure petat consulatum, jure obtineat. Tantummodo mores atque usum civitatis ingerere: tanquam sit in eo genere perpetuum quicquam, aut esse possit. Ab isto more sæpe recessum, multis exemplis doceri posse, si actum placeret agi: neque causam esse, cur non hodie populo Romano liceat, quod unquam licuisset. Nuper in uno homine continuatos per quinquennium consulatus satis ostendisse, nihil in his rebus tam fixum immotumque haberi, ut mutari ex causa nequeat.

47. ‘Concessum cuilibet esse, ut de se quantumvis magnifice sentiat: concessum et adversariis, ut si velint secus opinentur. Sed in beneficio populi summum arbitrium relinquendum eidem populo esse. Hunc optime judicaturum, quo loco C. Cæsarem esse oporteat.’

48. Contra hæc tribuni ‘legum omnibus argumentis validiorem auctoritatem’ allegabant. ‘Populi certe haudquaquam ambiguum jus esse, nec illud patrono C. Cæsare indigere, aut quoquam alio, tribunis salvis. Sed nullis aliis in causis æque manifestam esse populi sententiam, quam in legibus ferendis, quoties consensu jubeantur: tum enim ad maturitatem judicii accedere concordiam voluntatis. Quibus igitur vere sit propositum auctoritatem populi tueri, iis ante omnia laborandum, ut legum sarta tectaque sit veneratio. Esse autem leges, quæ magistratus ordine capi gerique jubeant, neque liberum cuique

sinant protinus ab infimis ad summos transilire. Has aut servandas omnibus, aut abrogandas in univcrsum esse; aut profecto solvendum legibus, qui contra has magistratum concupiscat. Extra hæc nihil esse, quod fieri citra juris et legum omnium abolitionem queat.

49. ‘Sane pauca exempla adduci posse, in quibus aut ob causam exceperit aliquos populus, aut per imprudentiam affectumve lapsus conniverit. Sed infinito esse plura servatarum legum; et, quoties tale aliquid tentatum fuerit, minime quieta comitia fuisse. Nunquam igitur defuisse, præsertim ex collegio tribunitio, qui immoderata cupientibus resisterent. Quod si quatuor aut quinque consulatus extra ordinem datos suum in favorem trahere Cæsar velit; quanto pluris æstimandum, quod in centenis aliquot tribuendis populus ne latum quidem unguem a more et lege recesserit?’

50. ‘Non se contemnere Cæsarem, honoribusque omnibus, quos ei capere per leges liceat, dignum arbitrari: sed non existimare, tantam in eo virtutis excellentiam conspici, ut propter eum spernendæ leges sint, et quod negatum sit omnibus, uni tribuendum. Satis mature consulem eum futurum, ubi hunc honorem habuerit populo, ut contra ejus voluntatem legibus declaratam petitioni injustæ desinat insistere. Si semel hoc iter aperiatur hominibus, omnes protinus ad summos honores provolaturus, priusquam populo Romano specimen ullum animi sui consiliique gerundis inferioribus præbuisent. Consulibus summam rerum permitti: id adeo factum iri temere, si summus populi Romani magistratus, non amplius culmen honorum, et perspectæ virtutis præmium sit, sed gerendæ reipublicæ tirocinium fiat.

51. ‘Sane Cæsari adesse nobilitatem, facundiam, industriam. Sed multos esse in urbe futurosque pares: plures etiam, quibus si non meritum idem, tamen eadem cupiditas insit. Qui et ipsi tanquam debitum exacturi sint, quod cuiquam fuerit tributum, a quo se non existiment notabiliter superari. Quem vero C. Cæsari concessurum hanc virtutis dignitatisque palmam, cum eam C. Cæsar Valeriis, et Scipionibus, et sexies consuli C. Ma-

rio ambiguum facere contendat? Nunquam defutura certamina, si cujuslibet cupiditati aperiatur septus legibus locus. Et has non aliam ob causam latas, quam ut contentiones amputentur: ipsumque populum, licet plane liberrimum sui juris arbitrum, tamen sibi legum hos cancellos circumdedisse, ut in magnis negotiis, et quæ valde ad rempublicam pertinent, non quidem adentam, sed tamen a semetipso constrictam voluntatem esse, neque temere solvendam, quæ alligata consulto sit, intelligat.

52. Diu hæc utrimque multis concionibus agitata cum essent, bonisque omnibus causa C. Cæsaris displiceret, simul adversarii ejus vim intentarent, victus aut territus Cæsar petitione abstinuit. L. Cornelius Sylla, ut supra indicavimus, et cum eo Q. Pompeius Q. F. A. N. Rufus designati sunt. Nec tamen ideo extinctum illud contentionis civilis incendium est, quin postea in bellum apertum erumperet. Quanquam enim belli civilis faces Ma-

Ascon. in
Scaur.

Cic. de
Har. Resp.
c. 20.

rarius et Sylla indubitanter fuerunt: tamen ab illa quoque contentione profecti fomites magis excitarunt alueruntque conceptas aliunde flammæ, magna P. Sulpicii culpa, qui a bonis initiis et optima causa, nimia contentione, et popularis favoris aura, ad ferrum et arma provector est.

SUPPLEMENTUM

LIBRI LXXVI.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

- Liv. Epit. 1. **IN** Lucanis interea clades accepta est, legato amisso
Flor. 111. A. Gabinio, qui multa iisdem in regionibus, multa in
18. Marsis strenue feliciterque gesserat, et plurima oppida
Liv. Epit. pugnando ceperat. Sed ille dum fuis aliquando Lucanis
Oros. v. 18. victoriam urget, in oppugnatione castrorum hostilium in-
Liv. Epit. terfectus est. Ex diverso legatus Cn. Pompeii consulis
Ser. Sulpicius Marrucinos cecidit, totamque eam civita-
App. Civ. tem recepit. Vestini quoque Pelignique missis ad consu-
l. 1. lem oratoribus in fidem accepti sunt. Sub id tempus cum
Macrob. C. Vettius Pelignus a cohortibus suis ad Cn. Pompeium
Sat. 1. 11. duceretur, servus ejus gladio militis a quo trahebatur
Sen. de educto, dominum interemit; statimque, postquam hero
Benef. 111. consulisset, ‘tempus esse’ prolocutus ‘sibi prospiciendi,’
23. in sua viscera retorsit ense.
- Liv. Epit. 2. Marsi quoque, a L. Murena et Cæcilio Pinna lega-
tis aliquot præliis fracti, pacem petierunt. Quis ille Cæ-
cilius fuerit, et unde habuerit non alibi lectum cognomen-
tum Pinnae, in tantis ejus ævi tenebris frustra requisivi.
Nec absurdam conjecturam esse arbitror statuentium, non
Vell. 11. 15. Pinnam istarum rerum auctorem, sed Pium, Q. Metelli
Macedonici filium fuisse, quem inter præcipuos ejus belli
duces nominari constat.
- Diod. Ecl. 3. Cum hic status rerum per Italiam esset, tantis cala-
xxxvii.

mitatibus, et defectione sociorum anxii, quotquot arma retinebant, communi decreto Corfinium deserunt; Æserniam in Samnitibus publici consilii sedem statuunt, creatisque prætoribus quinque, quos inter Pompædus Silo fuit, huic propter summam opinionem virtutis imperium in omnes tradunt. Atque is collegarum sedula opera usus, magnas brevi copias paravit, ut adjunctæ veteribus ad millia virorum triginta pervenirent. Præterea servis manumissis, et, prout tempus ferebat, armatis, libertinum exercitum, haud multo pauciores millibus viginti coëgit. Equites præterea mille sunt effecti. Cum his copiis Ma-
Liv. Epit.

4. Inter hos apparatus Asculana obsidio ad finem venit. Ab hac urbe primus belli turbo eruperat, et licet eodem tempore per plerasque Italiae regiones adversarum partium exercitus colluctarentur, hic tamen plurimum laboris sanguinisque exhaustum est, unaque die circa hanc urbem quinque et septuaginta civium Romanorum, amplius sexaginta millia Italicorum, signa contulerunt. Tandem Pompeius Asculum ingressus, selectis quos in triumpho ducturus erat, principes omnes præfectosque et centuriones virgis¹ caesos securi percussit: servos prædamque sub hasta vendidit: libera corpora dimisit innoxia, sed rebus ademptis omnibus: urbem ipsam dirutam incensam-
Sup. LXXII. 1. et 2. Vell. II. 21. Oros. Flor.

5. Mox Romam profectus ob res isto bello fortiter prospereque gestas de Asculanis reliquisque Picentium, paucis prius diebus quam consulatu abiret, A. D. VI. Kalendas Januarias triumphavit. Ductum in triumpho P. Ventidium multi scriptores haud futilem ob causam annotant, quod hic post annos ferme quinquaginta idem Capitolium quod tum triumphatus vidit, triumphans in-
Fasti Capit. Ascen. in Pis. Val. Max. VI. 9. A. Gell. XV. 4. Plin. VII. 43. Vell. II. 65. Dio fin. XLIII.

6. Cum deinde L. Cornelius Sylla, Q. Pompeius Ru-

¹ Crevierii emend. ex Orosio. Antea legebatur in Cler. *sejuges*; in reliq. edd. *sejugis*.

Liv. Epit. fus magistratum inivissent,* Mamerco Æmilio cum Q.
 Pompædio Silone collatis signis dimicavit. Ejus prælii
 Diod. victoria penes Romanos fuit, quorum haud ita multi occu-
 buere: de Italicis ad millia sex sunt desiderata. Sub
 idem tempus Q. Metellus Pius, qui C. Cosconio succe-
 serat, Venusiam Apuliae nobilem urbem, firmo præsidio
 Vell. II. 17. instructam expugnavit. Adhuc tamen conatu magis quam
 Jul. Obs. viribus Italici resistebant, et ne desponderent animos,
 modicis interdum successibus recreabantur. Silo Pom-
 pædius Bovianum oppidum receperat. Ejus victoriae tam
 immoderata letitia fuit, ut vel in honorem ducis, vel ad
 referendam Romanis vicem, Pompædio triumphus decer-
 neretur: isque Bovianum triumphans invectus est. Quod
 in omen acceptum: nam in urbem victam laurea deporta-
 ta, hostibus tradidisse victoriam visus est: utique post-
 quam proximo deinde prælio, cum Ser. Sulpicio apud
 Oros. v. 18. Teanum congressus, amisso exercitu, una cum Obsidio,
 Jul. Obs. Liv. Epit. alio Italicorum duce, oppressus est.

7. Pompædio præcipua tanti incendii face extincto,
 sive Sulpicius illum, sive, ut alibi relatum est, Q. Metellus
 Auct. de Vir. Illustr. in Met. Pio. Pius occidit, cum neque consilium Italicis, neque copiae
 tanto bello pares superessent; odii adversum Romanos
 Diod. Ecl. tantum fuit, ut in alium pæne orbem legatos ad Mithri-
 XXXVII. datem mitterent, quem studere rebus novandis acceperant.

8. Cum præbita his audientia esset, princeps legationis,
 ‘Sannites,’ ait, ‘atque Lucani, et qui alii per Italiam
 populi eodem fœdere continentur, tertium jam annum atro-
 cia bella cum Romano gerunt; cujus equidem neque cau-
 sa tibi ignota esse, neque casus atque vicissitudines pos-
 sunt. Ideirco licet multos illorum duces exercitusque
 fuderimus, partim etiam deleverimus, castris urbibusque
 maximis atque munitissimis expugnatis atque captis; ta-
 men et nos cum validissimo potentissimoque hoste colluc-
 tantes, crebris atque vehementibus detrimentis quassari
 contigit. Plus tamen aliquanto fraude quam armis Ro-
 mani profecerunt: passim per civitates serendo fovendo-
 que principum discordias, quod ipsis per suæ factionis

* A. U. C. 664. A. C. 88.

homines plerumque non fuit difficile, multis adhuc servitum et otium laboriosæ libertati præferentibus.

9. ‘Hoc tamen fuit in aliquorum defectione boni, quod secreto quicquid in consiliis aut castris ægrum fuerat, acrius coit fortissimorum populorum fide animisque indissolubilis et invicta societas. Nullæ amplius voces belli mala deplorantium audiuntur: nulla pacis, nisi quæ libertatem firmet, usquam habetur mentio. Hoc omnes proposito sumus, ut præ dominatione Romana leve nobis videatur, quicquid ingerere calamitosis hominibus iniqua fortuna potest.

10. ‘Ceterum ab ista sorte procul adhuc virtute nostra et munere Decorum absumus: neque deteriores armis nostris eventum fore, quam fuit causa, speramus. Sed præ ceteris duo sunt maxime, quæ fiduciam nostram augeant. Nam etiam post accepta bello hoc incommoda virium nostrarum haud sane pœnitet: et multos ubique reges atque populos non aliis oculis intueri Romanam magnitudinem scimus, quam a nobis aspiciatur: nisi quod nos quanto propiores huic pesti fuimus, tanto priores et penitus perspeximus insatiabilis populi improbitatem.

11. ‘Jam enim a primis initiis imperandi licet non æque manifestam, æque tamen magnam cupiditatem habuit: cui ut resisterent majores nostri, nihil inexpertum, suas opponendo opes, sollicitando alienas, reliquerunt. Sic et Pyrrhus a nobis, et postmodum Pœnus Hannibal adjuti sunt: neque defuissent Antiocho aut Philippo regibus auxilia nostra, si inferre bellum Romanis in Italia, quam accipere domi maluissent. Sed illos quidem suus error aut invidia numinum in diversa consilia transtulit, ut tuum decus esset, Italiam,—quid autem Italiam?—immo gementem sub Romano jugo terrarum orbem liberasse.

12. ‘Licet enim, præter paucos servituti natos homines, nemo usquam tam insolentium dominorum imperia patienter ferat, taecent tamen aut mussant plerique, animis aut viribus imbecilliores. Sed et quibus adhuc astu majore quam modestia pareitur, dum securos et incautos aliquando quævis occasio subjuget, aliena mala, tanquam ad se minime perventura, otiosi quietique intuentur.

13. ‘Idcirco te esse unum omnium cognovimus, a quo et

sperandum auxilium tantis necessitatibus et petendum esset. Animi tui magnitudinem, quam et corporis dignitas manifesta fide oculis monstrat, ignorari, gesta tua plurima atque amplissima nequaquam patiuntur. Ex iisdem potentia tua et aucta est et inclaruit: quibus utrisque rebus neminem tibi putamus praesentium regum comparari posse. Ferocissimas enim Scytharum gentes, quibus neque Persarum magni reges, neque victor horum Alexander, imponere jugum potuerunt, pæne puer ita domuisti, ut alii tibi non obscure serviant, alii nomine sociorum eadem ferme faciant, quæ victis imperantur. Nam vicinos quidem reges, nisi quibus pacem et amicitiam præstas, sic assuefactos habes, ut placato te regnare illis liceat; cum iratus fueris, sibi sentiant exulandum esse. Atque idem amico atque affini Tigrane uteris, quo nemo regum tibi est magnitudine rerum gestarum et imperii similior.

14. ‘ Sed hæc tamen omnia nequicquam adessent, nisi tua singularis et pæne divina prudentia tibi dictaret et tempus utendi et modum. Jam olim, nec enim abstracta aut ambigua loquimur, olim, inquam, te ambitionis et avaritiæ Romanæ piget. Idcirco et legatis eorum sæpe viriliter respondisti, et cum eadem tecum superbia vellent agere, qua ceteros terrere consueverunt, effecisti ut intelligerent, sibi cum libero rege plenoque animorum, et ad omnia parato, negotium fore. Quin et illorum iniqua decreta haud semel ferro rescidisti: ut scirent vicini reges, minus illis in amicitia Romana praesidii, quam in tua offensa periculi esse.

15. ‘ Pro quibus ausis quæ tibi sint apud populum Romanum reposita præmia, simul ille vacuus a propioribus bellis fuerit, ignarus esse non potes. Sic quoque legati illius atque proconsules minantur, fremunt, plane præ se ferunt bellum, suas copias parant, sociales excitant, ita agunt omnia, ut, quamvis derideas conatum, animus tamen appareat.

16. ‘ Non dubito quin inter ista memineris, quam arroganter olim Marius, deinde Sylla tecum egerint;^a quam

Sup. l. xxx.
43.

^a *Quam arroganter olim Marius, deinde Sylla tecum egerint*]

non tecte denunciaverint tibi periculum, indixerint servitutem, nisi dederis operam, ut æque armis ac jure sis potior. Atque hæc jam noverant populi principesque nostri; nos plura et certiora usurpavimus oculis: ut jam prorsus certi simus, non inutilem legationem nostram, neque metuendam desiderii nostris a te repulsam esse. Quos enim eadem causæ ad arma coëgerunt, iidem animi, vota paria conjungunt, de iis dubitari non potest, quin ad communem utilitatem fido fœdere sint sociaturi consilia et vires.

17. ‘ Quod igitur tibi nobisque faustum atque salutare Dii faxint, arma, viros, naves, commeatus pollicemur in Italia bellaturo: ad transitum, ad receptum, omnesque opportunitates belli, urbes nostræ patebunt: duces itinerum, participes consiliorum, socii laboris periculique erimus.

18. ‘ Id modo fixum tibi sit animo, non alibi rectius cum Romanis, quam in Italia bellari. Absit a te læva mens, quæ Syriacos olim reges, quæ Macedonicos decipit, cum eadem illis dicerentur. Nullum tuis regnis a Romano aut aliis tantum periculum est, quod non a quolibet præfectorum tuorum propulsari queat. Neque spes et occasio te teneant domi, vicina subacturum. Etsi facilis ista esse possit, non erit tamen diuturna possessio. Nemo unquam eripere populo Romano occupato quicquam potuit, quod ille cum multiplici usura vacuus non reciperet.

19. ‘ Jugulum petamus, et tanquam pestiferi draconis obteramus caput; donec illud salvum fuerit, inani labore ceterum corpus vexaturi. Quemadmodum flumina longo cursu aucta, ne exundent, molibus ac crepidinibus ægre coërentur; ad ipsos fontes averti carpique nullo negotio possunt: ita, nisi Romanæ potentiæ scaturiginem et fontem in potestate habeas, impetum nequicquam moraberis, quin violentia sua quicquid oppositum fuerit evertat, et ocys, serius, omnia ubique regna, nationes omnes

Marii dictum ad Mithridatem perimus; utique ante hoc tem-
vid. eo loco quem margo indi- pus, in quo nunc enarrando
cat. De Sylla nihil tale com- versatur Freinshemius. Cree.

Diod.

obruat.' Mithridates, re cum suis deliberata, nescio quomodo minoris quam pro Itolorum expectatione negotium illud faciens, 'venturum se in Italiam' respondit, 'simul atque Asiam subegisset.'

20. Credo longinquam a domo militiam laboriosam simul atque sumtuosam fore ratum, adhuc vicinorum sociatas Romanis vires perhorruisse, ne, dum appetit aliena, suo regno spoliaretur. Neque Tigrani satis poterat fidere, ut suspectos maxime pares habent quicumque cupiunt opibus excellere: verebaturque, ne ille perdomitis aliis, neque Pontum, si daretur occasio, sperneret. Terrebaratur et Pyrrhi Hannibalisque exitu, quorum, licet a plebisque Italiae gentibus adjuvarentur, in alieno solo bellantium cito consenuerit exercitus, difficilibus, licet haud a maximo intervallo, supplementis.

21. Haec omnia vitari posse maximo cum emolumento sperabat, si vicinam sibi Asiam occuparet. Eam rem quoque facturam animos Italicis sociis: atque ita diuturno bello atteri posse Italiae vires, ut neque, si rursus conjungantur, valde sint sibi futurae formidabiles. Sane consilio huic institit, quanquam omnia legati pollicerentur, et 'e Ponto facilem in Thraciam trajectum' ostenderent: 'Thraces porro et ipsos bellum Romanis facere. Horum ope per Macedoniam et vicinas regiones paucis diebus ad Ionium mare penetrari posse.' Neque diu contactus exercitum conducit, Ariobarzanem ac Nicomedem reges, alterum Cappadocia, alterum Bithynia exacturus. Sed antequam hoc bellum exponatur, quo regna ista jure, quibus finibus tum fuerint, quasque nationes urbesque habuerint insigniores, enarrari operae² pretium fuerit Mithridatica bella lecturis, quae haud postremam historiae Romanae partem, illius quidem aevi, constituunt.

Liv. Epit.

22. Quicquid terrarum longo tractu inter Heracliam et Trapezuntem nobiles urbes Euxini fluctibus alluitur, ab eo mari appellationem apud veteres nactum est, ut Pontus vocaretur. Propius Heracliam Bithyniae con-

² To *operae* desideratur in edd. ante Crev.

junctum Ponto regnum fuit, ad Propontidem deflectens. At orientem versus Cappadocia in mediterranea procurrens, inde Armenia ad meridiem Tauro monte terminatur. Inter Bithynos atque Cappadoces ita sparsa erat Galatia, ut ab septemtrione Pontum et Paphlagoniam, (Ponti enim pars etiam Paphlagonia nec absurde censi potest,) a meridie Phrygiam Lycaoniamque contingeret.

23. Omnes istæ regiones^b in ditione Persarum fuerunt: a quibus ea pars, quæ tum communiter Cappadocia dicebatur, in duas divisa præfecturas, postea totidem regna peperit: quorum alterum Cappadocia proprie, aut cum adjectione Cappadocia ad Taurum, interdum et Magna Cappadocia; alterum Pontus, sive Cappadocia Pontica cœpit nominari.

Strab. xii. init.
Const.
Porphyr. de Them. i. 2.
Plin. vi. 3.
Ptol. v. 6.
Solin. c. 47.

24. Priore præfecturæ decem continebantur: quarum sub Tauro erant Melitena, Cataonia, Cilicia, Tyanitis, et Garsauritis. Melitena ceteris Cappadociæ partibus mitior, olei quoque et vini optimi ferax, Armeniæ Majori prætenditur, a Sophenæ præfectura medio Euphrate divisa. Nomen huic Melita dedit, a Semiramide, ut volunt, condita. Trans flumen etiam ad hanc partem Tomisa pertinuerunt, insigne castellum. Cataoniæ inter Amanum et Antitaurum sita planities Comana habuit, Bellonæ templo memorabile nomen, et Apollinis Cataonis fanum: castella in montibus munita, Azamora et Dastarcum.

25. Cilicia, quæ vocabatur Cappadociæ præfectura, sede regum nobilitata fuit Mazacis: quam urbem postea Cæsaream vocarunt Cappadoces, in dictatoris Cæsaris honorem. Altera urbium, nam duæ omnino fuerunt antiquis temporibus in Cappadocia, Tyanitidi præfecturæ nomen dedit, ipsa quoque Semiramidis opus. At in Garsauritide postea Archelais fuit, Claudii Cæsaris colonia. Præter has præfecturas fuerunt et aliæ quinque, Lavina-

^b Omnes istæ regiones] Ad totius hujus descriptionis marginem auctorum testimonia et paucula, nec satis apte disposita invenimus. Ea supplere et in suos quæque locos revocare non visum est operæ pretium esse.

Qui enim regiones eas, de quibus hic agit Freinshemius, quantum ex veteribus auctoribus colligi potest, accurate descriptas videre volet, adire facile potest Cellarium Geogr. Antiq. l. iii. Crev.

sena ad Euphratem fluvium, Sargarausena, Saravena, Cammanena, et Morimena, superioribus obscuriores. Fluvii celebres, Halys Archelaidem præterfluens; Sarus, qui per media Comana labitur; Pyramus per Cataoniam decurrens, præterea Lycus, et hunc excipiens Iris; et inter Morimenen et Galatiam, terminus gentis, idemque causa nominis, Cappadox.

26. At Mithridatis paternum regnum, præter Pontum, continebat quicquid gentium ab Haly fluvio usque ad Tibarenos et Armeniam coluit. Etiam intra Halyn delibaverat Cappadocum et Paphlagonum agros. Nec longe Bithyni aberant. Quippe ubi per Propontidem in Euxinum intraveris. Quæ regiones^c Bithyniæ partem, deinde Mariandynos Heracleæ subjectos, mox Paphlagonas, usque ad fluvium Halyn habuerunt. Cetera ad Propontidem usque Chalcedonem fuerunt Bithynorum, Galli fluminis ostiis fines eorum terminantibus.

27. Maxima urbium Nicomedia fuit: deinde Nicæa, Plin. v. 32. item Prusa, quam ab Hannibale conditam de Prusiæ nomine, reges Othomanici ante occupatam Adrianopolim Leuncl. regni sedem habuerunt. Flumina Bithyniæ Syrium, Lapsias, Pharmacias, Alees, Crynis, Lylæus, Scopius, memorantur, et, qui Bithyniam a Galatia disterminabat, Hieras. Erat et Hylas fluminis et lacus nomen, ab Herculis Solin. c. 44. amasio deductum, si fabulis lubet credere, juxta Prusiam urbem, diversam ab utraque Prusa. Nam et altera fuit Bithyniæ Prusa, ad Hippium amnem. Ab his regionibus, Cappadociam et Bithyniam dico, quasdam partes abraserunt Gallogræci, de quibus post prolixam Livii descriptionem taceo.

Liv.
XXXVIII.
16.

28. Sed Paphlagoniam Halys fluvius ab ortu terminabat, a meridie Galatia: ad occasum Bithyni et Mariandyni habitabant; versus septentriones mare Euxinum erat. Amastris horum erat non incelebre oppidum, majorisque adhuc famæ Amisus et Sinope. Neque refert has interdum Ponto vindicari. Nam regionum istarum

^c Quippe ubi per Propontidem in Euxinum intraveris. Quæ regiones] Perspicuum est desiderari aliquod orationis membrum; quod supplere haud magni momenti est. Crev.

terminos non minus atque gentium jura Mithridatis ambitio turbavit, reductis in ditionem plerisque populorum quos enarravimus.

29. At antiquitus Ponticæ gentes fuisse videntur Mariandyni, Mosynœci, Caucones, qui jam ætate Strabonis nulli superfuerunt, Chalybes, qui et Chaldæi, Tibareni, Macrones Euboicorum credita colonia. Nam tota illa Ponti ora Græcorum frequentata navigationibus plurimas gentis ejus urbes habuit, quarum celeberrimæ fuere Trapezus et Heraclea. Amnium Ponticorum nobilissimus Phasis, cum urbe cognomine ad ostium. Pyxites Trapezuntem alluit. Flumen Jasonium memoriam retinuit antiquissimæ Græcorum heroum expeditionis. Sed et alia multa per eas regiones in Pontum Euxinum permeant flumina, tanta quidem vi aquarum, ut terra, quam continuo inferant amnes, implendum aliquando illud mare Polybius disputaverit.

Schol.
Apollon.

Polyb. iv.
40.

30. Hæc igitur regna quanquam suos quæque reges ab antiquissimis temporibus habuissent, tamen propter viciniam locorum, et linguæ morumque commerciis varie mixtos populos, crebræ, ut fieri amat, rixæ, deinde bella oriebantur. Et ut graviora fere humanis remediis mala sunt, connubia regum, mixtusque affinitate sanguis adeo non finiebat veteres controversias, ut non alia fœcundior novis gignendis materies esset.

31. Inde auctis odiis, cum etiam imperii amplificandi insana lubido Mithridatem stimularet, temperare non potuit, quin subinde ex occasione temporum vicinos infestaret. Et antea quidem Nicomedem etiam Ariobarzanemque expulerat: et, quanquam reduci a Romanis tulisset, tanquam imbecillitatem sibi exprobrantes aspiciebat. Illi vicissim, salvo tam potente vicino, nequicquam restituti videbantur. Et accedebant a Romanis ducibus stimuli, qui prædaram et gloriæ spe, bellum undecumque cupiebant consurgere.

Appian.
Mith.

32. Igitur operam dederant, ut cum minacibus ad Mithridatem mandatis senatus nomine legati mitterentur; 'bellum' denuntiantes,^d 'ni, quos populus Romanus vic-

^d *Senatus nomine legati . . . bellum denuntiantes*] Hæc minua-

Dio ap.
Fulv.

na regna obtinere jussisset, quieta in possessione manere pateretur.' Ille ultro multa questus, 'quanta patientia tot contumelias concoxisset,' demonstrat: 'quantasque opes publice privatimque colendo Romanos profudisset. Nunc etiam licet provocatum, neque inermem, quiescere malle, modo finis injuriarum fiat.' Et fides promisso fuit.

Justin.
xxxviii. 5.
Appian.

33. Sed non eadem Nicomedi modestia mansit, quem Romanorum ducum hortamenta, et inopia pecuniæ invitum ad arma compulerunt. Nam et iis, a quibus reductus in regnum fuerat, multa erat pollicitus; et passim ab incolentibus Asiam Romani nominis hominibus magnam vim nummorum feneratoro abstulerat. Igitur in ditionem Mithridatis irruptione facta, usque ad Amastrim urbem prædabundus processit. Mithridates enim, quanquam paratas habebat copias, occurri vetuerat, quo pluribus paulo post et speciosioribus causis bellum sumeret.

Justin.
xxxviii. 5.
Appian.

34. Ubi reversus in Bithyniam Nicomedes est, Pelopidam legatum Mithridates ad Romanos duces misit. Is commemorato veteris societatis jure, quod a majoribus acceptum constanter atque fideliter multis neque levibus officiis Mithridates coluisset, 'Nunc autem,' ait, 'injuria pro gratia redditur. Ademta regi Phrygia est, ademta Cappadocia, quarum hanc proavis suis debitam pater Evergetes recepit, illam operæ bello Aristonici navatæ præmium accepit: si tamen præmium vocare possumus, magno auri pondere ab imperatore vestro emtam, et olim a Seleuco Callinico in dotem datam proavo regis. Sed illa sane, quia paulo longinquiora sunt, silentio, et, si vultis, etiam oblivione sepeliemus. Ista vero recentia qui possumus? quod Nicomedem os Ponti intercludere, agros usque ad Amastrim populari sinitis, prædamque avertere, cujus æstimationem novistis ipsi rectius, quam ut a quocumque debeatis edoceri.

35. 'Et ista quidem hoc modo gesta sunt, non invalido

cia legatorum Romanorum mandata nusquam reperimus apud antiquos scriptores. Quæ enim his affinia habentur apud Dio-

nem, Appianum, Orosium, sunt his temporibus posteriora, et rursus memorantur infra, c. 15. et 46. *Cree.*

nec imparato ad prohibendum rege, sed ut vos ipsos spectatores eorum quæ fierent testesque haberet. Quæ quia non auditu, neque incertis aut suspectis auctoribus, sed coram visu accepistis; ergo igitur amicus atque socius rex, hæc enim nomina fœderum tabulis continentur, hoc a vobis sociis amicisque suis petit, ut adversus Nicomedis injurias auxilio sitis, aut injuriarum coërceatis auctorem.’

36. Ad hæc Bithyni, nam et ab Nicomede legati aderant: ‘Quam justas contra Mithridatem inimicitias Nicomedes gerat, ignorare nemo potest, qui meminerit paulo ante Socratem Ponticis armis instructum Bithyniam invasisse: quieturum certe, fratrisque ætati concessurum, ni fuisset a Mithridate ad parricidiale bellum instigatus. Et hæc contra illum Nicomedem fiebant, qui a vobis erat Bithyniæ rex constitutus. Unde non nostra magis, quam vestra, Romani, hæc censenda injuria est. Quorum ille nomen amicitiamque quanti faciat, ex aliis quoque gestis ejus promptum est intelligere. Populus Romanus Asiaticos nos reges in Europam transcendere vetuit. Sed hic Chersonnesi^e pleramque partem possidet. Atqui Europæ regio Chersonnesus est. Sed omittimus plura hostilis erga vos et contemptoris animi quæ protulit indicia commemorare. Majora enim, et, nisi in tempore obviam itis, acerbiora sunt quæ expectantur.

Memn. ap.
Phot.
Appian.

37. ‘Quorsum enim ingentes illi apparatus, tot propriæ copiæ, atque illa cum tot aliis regibus et populis fœdera pertinent? Quæ et tranquille victuro supervacanea sunt, nec profecto contra Nicomedem providentur. Præter domesticas vires, socios Thracum, socios Scytharum populos habet. Habet et Armeniæ regem non amicitia modo, sed etiam affinitate conjunctum. In Syriam, in Ægyptum missitat, ut illorum quoque regum benevolentiam paret. Naves porro tectas cum habeat trecentas, alias insuper exædificare non desinit. Gubernatores atque protetas, magnis propositis præmiis, ex Ægypto et Phœnicia sollicitat.

Strabo
vii. p. 309.
Appian.

38. ‘Scilicet superbum animum Phrygia et Cappadocia amissæ angunt: quod contra vim et astutiam Ponticam

^e Chersonnesi] Taurica. Crev.

vestra recepistis, aliena, quibus debebantur, reddidistis: Ille primum dolor animum Mithridatis avertit a vobis, Romani: ille cum invidia metuque magnitudinem vestram intueri cogit inimicum hominem, et sub obtentu nostrarum inimicitiarum occasiones contra vestrum imperium captantem.

39. 'Quare neque dubitare possumus, vos, quemadmodum viros prudentes decet, factorum ipsius quam verborum majorem habituros rationem esse: ne aut ob fictum amicitiae nomen, vestros optima fide amicos Mithridati prodatis; aut vestrum senatusque de hoc regno iudicium a communi hoste sperni violarique feratis.'

40. Post hæc iterum admissus in consilium Pelopidas, 'Si quæ veteres adversus Nicomedem querelæ sunt, earum iudicium vobis,' inquit, 'deferimus, Romani. Sed hæc postrema, quæ ipsi aspexistis, ditionem Mithridatis minui, claudi mare, prædas ex agris agi, nulla disceptatione egent. Sed denuo vos rogamus, ut aut prohibeatis ejusmodi facta, aut passo indigna Mithridati opitulemini; aut postremo non intercedatis suas injurias vindicaturò, neutris partibus immixti.' Hæc iterante Pelopida, licet jam ante Nicomedi auxilia polliciti erant, movebantur tamen Romani dictis, et amicitiae nomine, cujus adhuc inviolata erant fœdera: neque facile quomodo responderent inveniebant. Tandem vafro perplexoque responso, 'neque Mithridatem a Nicomede vexari passuros, neque bello peti a Mithridate Nicomedem' dixerunt. Simul Pelopidas arguere dictorum obscuritatem cupiens, e consilio dimissus est.

41. Hæc ubi Mithridati audita sunt, se vero jam haud obscure læsum a Romanis esse testatus, Ariarathem unum ex filiis in Cappadociam mittit, quam ille antea quoque tenuerat. Atque is victo Romanorum duce Maltino (qui et Mancinus ^f alibi scribitur) ejectoque Ariobarzane, cum igni ferroque pleraque vastavisset, haud magna mole regnum occupavit.

Justin.
xxxviii. 4.
Appian.

42. Tum remissus ad Romanos duces Pelopidas, in

^f *Duce Maltino, qui et Mancinus]* De hoc nomine vid. not. ad LXXIV. 11. supra. *Crev.*

hunc modum verba fecisse dicitur: ‘ Quam indigna rex Mithridates passus sit, Phrygia Cappadociaque spoliatus, id equidem, Romani, nuper audivistis. Quas deinde vobis inspectantibus injurias eidem Nicomedes intulit, eas cum vindicare deberetis, negligere maluistis. Denique societatis amicitiaequae implorantibus fidem ita respondistis, ut, tanquam læsissemus alios, non ab aliis læsi essemus, non videri e republica vestra diceretis, Nicomedem et Bithynos violari. Idcirco ipsi causam præbuitis recentibus Cappadociaequae turbis. Vester ille neglectus, vestraequae in responsis ambages, Mithridatem in hæc consilia coegerunt. Jamque vos ad senatus vestri judicium vocat, Romam legatos missurus de rebus omnibus.

43. ‘ Vos interea videritis, ne quid inconsultis patribus, temere moliamini. Quantum conflare incendium belli possit, ex potentia Mithridatis aestimatu haud est difficile. Supra vicies centena millia passuum[§] paternae ditionis tenet: ipse magnam adjecit terrarum partem, Colchorum bellicosos populos, Græcorumque et barbarorum quotquot supra Pontum nationes incolunt.

44. ‘ Jam Scythiis, Tauricisque, et Bastarnis, et Thracibus, et omnibus quæ Tanain Istrumque fluvios et Mæotidem paludem circum gentes habitant, promptissimis ad imperia sua sociis utitur.³ Porro Tigranes Armenus gener illi, Parthorum rex Arsaces socius et amicus est. Navium quoque magnum possidet numerum: isque augeatur quotidie: neque instruendis ornandisque ulla pars apparatusum deest. Sed et Bithyni nuper de Syriacis Ægyptiisque regibus mentiti minime sunt, quos equidem, si bellandum sit, nostros fore non ambigo. Sed et nuper possessam vobis Asiam, Græciamque, et Africam, nobis accessuras reor: ipsiusque Italiaequae haud contemnendam partem, quando illa quoque impotentiaequae vestraequae injuriarum pertæsa, bellum contra vos inexpiabile gerit.

3 *Promptissimos . . . socios habet* edd. ante Crev.



§ *Supra vicies centena millia passuum*] Stadiorum viginti millia, ut habet Appianus, quæ continent passus 2,500,000. leucas nostrates plus 530. Crev.

45. ‘ Atque illud bellum cum conficere nondum potueritis, irritatis Mithridatem, nunc Nicomedem ei, nunc Ariobarzanem immittendo: et verbis amicitiam præferentes, hostium opera facitis. Quapropter si quid actorum pœnitet, vel nunc punite vestros in amicos injurium Nicomedem: quod si feceritis, magna vobis auxilia contra Italicos a rege polliceor. Hæc ratio si displicet, aut insidiosam istam amicitiam abrumpite, aut Romam in jus eamus.’ Hæc ubi dicta sunt a Pelopida, Romani orationis insolentia commotiores, ‘ Mithridatem abstinere Nicomede et Cappadocia ’ jusserunt, ‘ hanc enim Ariobarzani se reddituros: Pelopidam continuo abire castris, neque reverti, nisi rex imperata fecisset.’ Discedenti custodiam addi placuit, ne quos obiter in via corrumpere.

Eutr. Oros.
Dio ap.
Fulv. Ursin. 46. Haud absimilis legatorum quos deinde ad senatum Mithridates misit oratio, patrumque ad eam responsum fuit. Petentibus, ‘ siquidem amicus populi Romani Nicomedes esset, illum auctoritate sua ad satisfaciendum compellerent; sin vero, Mithridatem sibi consulere patenterentur;’ neutrum concessum est: minæque insuper additæ, ‘ nisi Cappadociam Ariobarzani redderet, et omitteret Nicomedem.’ Eademque die coactos abire legatos ‘ nuntiare regi suo ’ jusserunt, ‘ ne quem deinde mitteret, donec mandatis senatus paruisset.’

Appian. 47. Sic irritatis utrimque animis, qui per Asiam erant Romani duces, non expectato senatusconsulto populivæ jussu, ex Bithyniæ Cappadociæque et Paphlagoniæ delectibus exercitum coegerunt, additis etiam Gallogræcorum auxiliis. Simul L. Cassii, qui Asiam obtinebat, convenire jussus est exercitus, copiæque auxiliares omnes eundem in locum conductæ.

48. Deinde partiti inter se vires. Cassius, ubi Bithyniæ Gallogræcia committitur, castris cepit locum. Manius Aquillinus, qua irrupturus in Bithyniam Mithridates credebatur, consedit. Cappadociæ finibus Appius Claudius præsidebat. Copiæ his erant equitum peditumque quadragena circiter millia. Naves etiam aderant, quibus præfecti Miancius Rufus, C. Popillius angustias Ponti apud Byzantium observabant. Præter hæc Nicomedes

sum habebat exercitum, quinquaginta peditum millia, sex equitum. Neque minus Mithridati virium erat, centum quinquaginta millia proprii militis, cum equitum millibus quadraginta: naves tectæ trecentæ, centum dicota. Deinde reliquis apparatus tantæ expeditioni non impar.

49. Prætoribus Neoptolemo maxime et fratre ejus Archelao utebatur, nobilissimis viris, et genus ad regem Argivorum Temenum, cujus inter posteros et Magnus Alexander fuit, referentibus. Sed ipse rex per se administrabat plurima. Auxilia ex Minore Armenia Areathias Mithridatis ipsius filius adduxerat, decem equitum millia. Dorylaus phalangem regebat. Craterus curribus falcatis præerat, numero centum triginta. Hæ tum ab utraque parte copiæ erant, cum primum Romana arma Mithridaticis collisa sunt.

50. Primum inter Nicomedem et duces Mithridatis (ipse enim aberat) prælium fuit apud flumen Amniam, ubi Nicomedes exercitum suum instruxit. At Pontici cum in universum quadraginta peditum, decem equitum millia haberent; quia phalanx sequi non potuerat, præter Areathia equitatum, quosdamque falcatorum curruum, tantummodo levem armaturam adduxerant. Idcirco ne a multitudine Bithynorum circumvenirentur, tumulum quendam saxosum mediocri præsidio occuparunt. Animadversum a Bithynis consilium est: et ad recuperandum collem magnæ copiæ missæ.

51. Igitur Neoptolemus, ubi dejici suos videt, salutem omnium in eo verti ratus ut locus teneretur, celeriter ad opem ferendam advolat, Areathia quoque in partem periculi accito. Hoc ubi Nicomedes conspexit, universum rapit agmen, et post acre certamen, multo sanguine fuso, Mithridaticos in fugam agit; illustris victoriæ futurus compos, nisi Archelaus cum suis mature persequentem fugientes a latere invasisset.

52. Hujus virtute et prudentia mirifice commutata pugna fortuna est. Nam aversum in se Nicomedem, jamque concepta spe vincendi, et impatientia moræ calidius instantem, servatis ordinibus sensim recedendo tantisper tenuit, donec Neoptolemo retinendi suos aciemque redintegrandi

Joseph,
de Bell.
Jud. i. 17.
Appian.

Strab. xii.
p. 562.
Memnon.
Appian.



spatium esset. Deinde conversus in hostem quadrigas falcatas immisit, non sine clade Bithynorum. Ceterum major quam pro damno terror erat. Fœditas spectaculi magis, quam vis hostium turbavit ordines: cum calidis adhuc vulneribus semineces viros, divisa corpora, truncos artus in multo sanguine volutari, aliorum membra hastis aut falcibus curruum rotari cernerent. Perterritis Archelaus a fronte, Neoptolemus et Arcathias, relictis qui fugerant, a tergo incubuere. Diu tamen utrisque resistere Bithyni, donec, plerisque cadentibus, Nicomedes solutis ordinibus abiit. Fugientem in Paphlagoniam secuti sunt, qui potuerunt: ceteros prælium confecit, aut in potestatem victoris tradidit captivitas. Castra quoque cum pecunia Nicomedis capta sunt.

53. Hæc pugna Romanos etiam duces haud mediocriter commovit: quod per expeditos tantum et equites, cum gravis armaturæ robur abesset, rem tantam confectam esse, nulla locorum opportunitate, nullo hostium errore adjuvante Ponticos, ne numero quidem æquo, sed consilio ducum et virtute militum, cernebant. Captivos ad se adductos Mithridates comiter affatus, viatico dato dimisit domum, ut inter initia rerum utilem clementiæ famam acquireret. Circa eadem tempora Thraces, qui non sine dolo Mithridatis Macedoniam populabantur, magnam iis locis ex vastitate famem et frumenti caritatem effecerunt; donec a prætore Macedoniae C. Sentio superati, cum rege suo Sothimo ad patrias sedes reverterunt.

Curt. iv.
15.
Appian.

Diod. ap.
Vales.

Liv. Epit.

Cic. in
Verr. III.
93.

Plut. Syll.
c. 22.

Oros. v. 18.

SUPPLEMENTUM

LIBRI LXXVII.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

1. L. SYLLA, Q. Pompeio consulibus, provinciarum ea ratio cum esset inita, ut Sylla, qui tum adhuc Romæ erat, simul per res Italicas posset, Asiam et Mithridaticum bellum, cum exercitu quem haetenus duxerat, provinciam haberet: P. Sulpicius tribunus plebis, perniciosis legibus ferendis, priusquam vetus illud consopitum incendium esset, etiam fœdus aliud atque horribilius auctore Mario conflavit. Quippe C. Marius (ut est insatiabile honorum et potentiae humanum ingenium, quoties ratione contenta cupiditatum imperio regitur) post amplissimos triumphos, et consulatum sexies gestum, miserum se putabat, si in tanta populi Romani fortuna quicquam ad laudem eximium cuiquam alteri relinqueretur. Atqui jam et bellis et bellorum præmiis vigorem annosque consumserat; gravis corpore, etiam nuper imperio ob senectutis incommoda abdicato.

2. Igitur, dum conficiendis socialis belli reliquiis Sylla consul in Campania distinctetur, C. Marius Asiaticæ laureæ desiderio P. Sulpicium Rufum impellit, ut ademptam Syllæ provinciam sibi decernat. Erat alioqui in magna invidia consul, quod uxore Cœlia per causam sterilitatis dimissa, Cæciliam duxerat Q. Me-

Vell. ii, 18.

Appian.
Civ. l. 1.

Joann.
Antioch.
ap. Vales.

Liv. Epit.
Plut. Mar.
et Syll.

Diod. ap.
Vales.

Plut.

Eutr. Vell.

Joann. An-
tioch.

Plut. Syll.
c. 13.

Oros. v. 19.

Appian.
Plut.

telli pontificis maximi filiam. Id multi nobilium ægre ferebant, et populus indignabatur. Tanta erat ejus feminae aestimatio, ut hujus matrimonio judicarent indignum, quem dignissimum consulatu judicaverant. Hac animorum inclinatione Marius cum Sulpicio uti cupiebant, infaustis ominibus, et ad graviora reipublicae mala perventuris, quam unquam antea sustinuisset.

3. Idque significatum multis prodigiis putant. Flamma ex hastilibus signorum cum emicuisset, vix restingui potuit. Corvi tres pullos in conspectum hominum allatos devoraverunt, et reliquias reportarunt in nidum. Mures in templo quodam sacrum aurum roserunt: e quibus cum feminam unam aeditui cepissent, in muscipula quinque musculos enixa, tres eorum devoravit.

4. Sed nihil fuit horribilius, quam quod sereno caelo tubae vox insonuit, lugubre et valde acutum canens, ut homines ad vehementiam sonori clangoris cohorterent. Ex his Tusci haruspices ‘mutationem rerum instare’ praedicabant. Dumque his rebus operam dat senatus in aede Bellonae, passer in conspectu omnium cicadam ore correptam intulit; ejusque parte abjecta et in fano relicta, cum altera parte avolavit. ‘Id portendere secessionem agrestium urbanorumque’ responderunt haruspices: ‘quorum alteri^a cicadae in morem streperent vocibus, alteri similiter atque illi ruri exigent vitam.’

Suid. in
Σύλλας.
Plut.

Joann. Ant.
Plut. Syll.
c. 15.

5. Nihil horum Sulpicium a coeptis remorabatur, mirapravitate hominem; ut improbitate non modo superaret ceteros, sed secum ipse certare videretur. Crudelitatem enim maximam pari audacia avaritiaque miscuerat: neque tantum erat ullum flagitium, cujus vel turpitudine abisteret a patrando, vel¹ pœnitentia post factum duce- retur.

6. Quid multa? Civitatem Romanam propalam ven-

1 *Nec, pro vel legebatur ante Crev.*

^a *Id portendere secessionem agrestium urbanorumque... quorum alteri]* Haec parum clara sunt apud ipsum Plutarchum: ac vix

est ut non aliquod mendum in verba Graeca irreperit. Vid. not. Hermannii Crusarii ad illum Plutarchi locum.

debat libertinis et inquilinis: et mensa in foro posita pretium numerabat. Tria circa se habebat hominum millia cum eisibus, et ad omnia paratam equestrium juvenum multitudinem. Sexcenti erant delecti, quos Antisenatum vocare consueverat. Saturnini seditiosissimi hominis omnia laudare solitus, contationem in præcipiti homine, et timiditatem in furibundo reprehendebat. Idem cum tulisset legem, ‘ne quis senator amplius octo² millia nummum^b æris alieni contraheret,’ ipse moriens debuit centies vicies.

Plut. Mar.
c. 57.

Plut. Syll.

7. Talis vir a Mario immissus in rempublicam, vi ferroque destinata perficere conatus est, cum ingenium etiam facundiamque a bonis initiis et rectissima voluntate ad ancipitia et prava transtulisset. Præcipuæ Sulpicii actiones erant, ‘ut exules, quibus causam dicere non licuisset, revocarentur; novi cives, libertinique distribuerentur in quinque et triginta veteres tribus; et,’ cujus gratia cetera fiebant, ‘C. Mario Mithridaticum bellum decerneretur.’

Vell. II. 16.

Ascon. in
Corn.
Liv. Epit.

8. Sed exules ne reducerentur, ipse nuper intercesserat: jam immutata voluntate, verba cavillando eandem legem referebat, ‘non exules a se reduci, sed vi ejectos’ dictitando: quasi non iidem essent, utro nomine appellarentur: aut quasi de vocibus, non de rebus controversia in republica esset. Libertinos autem, et qui modo de sociis facti cives fuerant, ideo distribui in veteres tribus volebat, ut plus in suffragiis illorum roboris esset. Quippe homines callidi, si hos numero veteribus civibus facile superiores, jure æquassent, nihil fore existimabant, quod illorum opera non assequerentur: et, quo minore negotio rem perficerent, de bello Mithridatico interea silentium agebant.

Rhet. ad
Herenn. II.
28.

Appian.

9. Ne sic tamen tenere propositum potuerunt. Cum ei rogationi veteres cives præfractis animis resisterent, resque interdum ad fustes et saxa pervenisset, L. Sylla ad

Joann. Ant.

² Octo pro quinque (lectio edd. priorr.) correxit Crev. ex Plutarchi.



^b Octo millia nummum] Marcus argenti 31. uncias 2. Centies vicies. Marcus 46875. Crev.

Diod. xxxvii.
Vell. ii. 17.
Diod.

opem reipublicæ ferendam, ab Italici belli conficiendis reliquiis, alieno tempore avulsus est. Vehementer enim accisæ sociorum vires erant. Lamponius tantum et Cleptius cum parte Lucanorum erant in armis: Samnitesque et Sabelli Nolam et vicina Nolæ retinebant. Igitur Sylla profectus jam ad exercitum, qui Nolam obsidebat, fuerat; receptisque plerisque circa præsiidiis, haud procul fine belli aberat.

Plut. Syll. c. 16.
Appian.

10. Sed urbano tumultu excitatus, accurrit Romam, ut collegam tribunitiis furoribus repugnantem adjuvaret. Consilio tamen magis, quam viribus, grassari placuit; ne patriæ incumbentem pestem, si arma corripuissent, alia peste viderentur repellere. Igitur justitio in dies aliquam- multos indicto hoc agebant, ut comitia differendo legis impediendæ idoneam aliquam occasionem tempus suggereret.

Liv. Epit.
Vell.
Appian.
Plut. Mar. c. 57.

11. At Sulpicius justitio valere jusso, suos in forum educit, admonitos 'ut pugiones sub vestibus secum ferrent; iisque adversus quoscumque opus esset, ne consulibus quidem exceptis, uterentur.' Sic instructus ad ædem Castorum pergit, ubi forte concionem consules habebant. Ibi ferias ut parum rite edictas arguere orsus, postremo tolli eas a consulibus jubet, comitiisque legum tempus atque locum dari. Tum vero consulibus adversantibus in nervum erupit furor; strictisque mucronibus vis intentatur. Cadit inter alios Pompeius adolescens consulis filius, idemque alterius consulis gener. Pater Pompeius clam elabitur. Sylla qui in domum Marii confugerat, sive, ut ipse in Commentariis prodidit, cinctus inimicorum gladiis consultandi causa secesserat, cum inde rediisset in forum, justitium ex voluntate Sulpicii solvit. Ideo Plut. Syll. Sulpicius reliquit magistratum Syllæ, cum eundem Q. Pompeio abrogaret.

Appian.
Diod. ap. Val.
Oros. Val.
Max. ix. 7.

12. Ita dimissus ad exercitum Sylla cum Capuam venisset, unde rebus omnibus ordinatis ad bellum Asiaticum pergere statuerat, P. Sulpicius legem, ejus ergo turbæ istæ excitatæ omnes fuerant, perfert: 'Cainumque Marium pro Sylla Mithridatici belli imperatorem esse' jubet. Mittitur e vestigio Gratidius propinquus et lega-

tus Marii, cum alio tribuno militum, qui Nolanum exercitum ad Marium perducant. At Sylla, cognitis quæ in urbe fierent, jam ad legiones venerat prior, vocatasque in concionem ita erat allocutus.

Plut. Mar.
c. 58.
Appian.

13. 'Quæ per hosce dies in urbe gesta sunt, milites, ea varie ad vos perlata esse existimo, ut ferme solent quæ incertis auctoribus aut vago rumore differuntur. Quo magis ad vos properandum esse censi, ut in communibus injuriis mutui aspectus solatio uteremur; et vos, quid mihi sit in præsentibus consilii, ego, quid vobis voluntatis, cognosceremus. Nam siquidem populi Romani consulem, imperatorem vestrum, una cum concordia collega cogi in ordinem, violari minis, terreri cæde carissimorum oportuit: causam non dico, quin adversarii nostri cupitis fruantur. Sin vero paucorum importunitate victum consulare imperium, cædem clarissimi juvenis, consulis alterius fugam, alterius periculum, dominantes in urbe nostra, quos priore anno³ in adversa acie stantes ferro ac virtute vicimus, vos juxta mecum intoleranda judicatis;⁴ quid fieri in rem nostram publicamque sit, consideremus.

14. 'Sed mature decreto opus est, donec consultare communiter et agere quæ volumus licet. Si enim nescitis, mihi bellum Mithridaticum, vobis ego imperator eripior. C. Mario tradimini, nisi tamen vos ille fastidiat, et alterum exercitum nupero commilitio notiores malit. Atqui provinciam illam, et has legiones senatus mihi dederat: et ego jam ad trajiciendum omnia paraveram, lætus et festinans, non ut mihi tantum gloriam triumphumque ex veris hostibus quærerem, sed etiam ut vobis aliquando referrem gratiam; vosque, tot exantlatis me duce pro republica laboribus, Asiaticarum opum larga et facili copia ditarem, quo reliquam deinceps ætatem in otio locuplete et honorato degeretis. Sed hæc et alia nobis ereptum eunt injustissimi mortales. Quod si vobis volentibus est, doleo et quiesco: si quod jure datum est, per injuriam auferri

³ Ab edd. ante Crev. abest τὸ *priore*.

⁴ *Vobis mihi que juxta intolerandum est* edd. ante Crev.

non sinitis, non me subtraham vobis ducem. Ad capesenda jussa prompti paratique este.’

15. Ad hæc verba, quanquam nihil apertius de proposito suo dicere erat ausus, succlamatum a militibus est, facile quid vellet interpretantibus, ‘bono esset animo, et recta duceret ad Urbem.’ Nec enim imperatoris tantummodo vicem dolebant, sed de sua quoque erant solliciti, ne forte Marius ad bellum ut rebantur facile et quæstuosum alio potius exercitu uteretur. Igitur tribunos a Mario præmissos lapidibus cooperiunt, signisque correptis properant Romam.

Plut. Syll.
et Mar.
Val. Max.
Joann. Ant.
Plut. Mar.

16. Ibi quoque populus inquietus et discors agebat; aliis unicum ducem Marium efferentibus in cælum, aliis ad curandum corpus, senio et morbis confectum, Baias facessere jubentibus. Nam in Misenensi villam C. Marius posuerat, quam postea L. Lucullus centies sestertio emit.^c Sed Marius ut se vegetum paremque militiæ munis ostenderet, quotidie in Campo inter juvenes exercebatur: miserantibus multis, qui perspiciebant, quam inane ob præmium, vir ab ima sorte ad summam provectus,⁵ post septuagesimum ætatis annum, inhabile propter carnum molem corpus (nam in senecta obesus evaserat) et fracta laboribus membra fatigaret. Sed magis ridicula erat, quam cupiditatibus suis obtendebat, causa: cum ‘ideo se concupivisse imperium’ diceret, ‘ut filium adolescentem artes belli ipse præsens edoceret.’

Plin.
xviii. 6.
Plut.

Vell.
Plut.

Appian.
Plut. Syll.

17. Inter hæc, cum occisos quos ad exercitum miserat tribunos, Syllamque cum sex legionibus venire ad urbem comperisset, ipse vicissim quosdam amicorum Syllæ occidit, bonaque cæsorum diripuit. Itaque miserabilis Romani populi conditio erat, cujus principes, nusquam certa spe salutis, aut ulla concordiae fide, alii ex Urbe in castra; alii ex castris in Urbem confugiebant. Nam excepto

Appian.

5 *Profectus* edd. ante Crev.

//////////

^c Centies sestertio emit] Sic loquebantur antiqui: sic et ipse sunt nostrates 39062. unciae 4. Freinshemius infra, LXXIX. 1. Crev. Male ergo hic legebatur *sester-*

tiun. Centies sestertium marciæ

quæstore uno, ceteri tribuni præfectique signa patriæ inferenda abominati, Romam se receperant. Contra ab iis qui vim Marii Sulpicii insolentiam metuebant, in castra Syllæ tanquam ad asylum, concurrebatur.

Plut.

18. In urbe senatus suæ potestatis non erat, sed ad nuntium tyrannorum circumagebatur. His volentibus ex magistratibus ejus anni duos ad L. Syllam misit, Brutum et Servilium prætores. Ii cum ad exercitum venissent, paulo animosius locuti, in extremum discrimen inciderunt: ut con fractis fascibus, prætextisque dereptis, vix et ægre corpus incolume referrent in Urbem, ipso aspectu, quorsum jam seditionis furor evasisset, ostensuri. Marius, quantum in tali trepidatione potest, ad defensionem se comparat. Sylla triginta peditum, quinque equitum millia adducens, ad Urbem intendit cursum: præter alia quibus incitabatur, per somnium quoque stimulantibus geniis.

Plut. Mar.
c. 58.
Plut. Syll.
c. 17.

19. Nam quæ Cappadocum instituto Romæ colebatur Dea (Lunam, an Minervam, an vero Bellonam interpretarentur, ipsi quoque dubitabant) eam assistere sibi per quietem vidit Sylla, fulmenque porrigere, recitatisque inimicorum ejus nominibus, ad singula præcepisse, feriret; atque illos, tanquam ad ictum concidentes, evanescere. Id visum collegæ narravit, qui cum laude et gratulationibus occurrens, ad omnia operam suam promiserat. Interea secundi, deinde tertii ab urbe legati venerant, quibus causam consilii tam præcipitis requirentibus, idem responsum omnibus datum: ‘ad liberandam tyrannide patriam iri.’ Postremo tamen adjecit, ‘si senatus cum Mario et Sulpicio descendere in campum Martium velit, nihil se nisi de communi sententia acturum esse.’

Appian.
Plut.
Appian.

20. Sed Marius Sulpiciusque, neque fidei se inimici credere ausi, neque satis parati ad resistendum, novam senatus nomine legationem mittunt: cujus hæc mandata fuere: ‘Neminem magis quam ipsos consules scire, quantopere semper senatus laborasset, uti amborum, et præcipue L. Syllæ, pro præstantissimis in rempublicam meritis, quam amplissima dignitas foret. Ceterum eam esse conditionem Romæ, ut sæpe contra voluntatem senatus populi jussa valeant: præsertim ubi propter metum ma-

joris mali, prudentissimus quisque concedendum temeritati multitudinis putet. Id adeo nuper etiam accidisse, iis ferendis legibus, a quibus haud minus reliqui patres, quam consules ipsi abhorreant.

21. ' Verum enimvero in libero populo multa ferenda esse potentioribus, donec arte et occasione corrigantur. Ita Gracchorum olim, ita postea Saturnini rogationes, quæ ferventibus populi studiis nulla vi potuissent impedi-ri, tempore captato citra tumultum abolitas esse. Idem nunc quoque fieri posse de iis, quorum iniquitate se læsum consul Sylla conqueratur.

22. ' Nihil antiquius esse senatui, quam ut inter claros et potentes viros quæ inciderint controversiæ, citra publici status periculum ex æquo et bono componantur. Eundem animum et C. Marium, et P. Sulpicium præ se ferre. Nec dubitari, quin par maneat et consulibus in communem patriam pietas. Nihil opus esse armis, ubi civili modestia transigi melius possit: nec adhuc admissum tam inexpiabile quicquam, ut ad extrema desperationis auxilia veniri oporteat. Tempore tantummodo et modica patientia rem indigere. Igitur hoc unum deprecari patres, ne per præcipitem iracundiam omnis concordiaæ spes abjiciatur. Omnia conventura, modo hanc dent consules senatui veniam, ut ne propius quinque millia passuum ab urbe castra metentur, donec patres conscripti consultare amplius de præsentibus possint.'

Plut. Syll.
c. 18.
Cluv.
Ital. Ant.
III. 4.
Appian.
Plut.

23. Ad Pictas^d hæc agebantur; id tabernis nomen erat ad quintum decimum ab urbe lapidem via Lavicana sitis. Ibi responsum a Sylla legati abstulerunt, ' in loco castra positurum: ' idque ipsis audientibus, more militiæ statim imperatum est. At hæc simulatio consulum erat. Nam ipsi consilio intellecto inimicorum, dum legati, velut impetrato quod volebant, læti redeunt Romanam, L. Basilo, C. Mummius præmissis, citato agmine

^d Ad Pictas] Male hic edebatur ad Pictos; male apud Plutarchum περι Πικτίας. Hic locus ex Strabone, l. v. p. 237. et Antonini Itinerario, aberat ab urbe

quinque et viginti millia passuum, non quindecim tantummodo, ut hic scribit Freinshemius. Passus 25000. efficiunt plus 8. leucas nostrates. Crev.

sequuntur. Sylla Esquilinam portam cum vicina parte occupandam cum legione una sumserat: Collinam cum alia legione Pompeius: ad Sublicium pontem tertia, quarta pro muris ad subsidium stare iussa est: duæ hostili fremitu animoque in urbem irruerunt.

Liv. Epit.

24. Ibi cum juxta collem Esquilinum Marius Sulpicusque cum tumultuaria manu occurrissent, miserrimum facinus factum est, ut in ipsa Urbe non per seditionem et correptis temere telis, sed aperto Marte signis canentibus in justæ pugnae faciem tum primum post Romam conditam inter cives concurreretur. In hoc prælio cum Syllanos non oppositus modo hostis, sed desuper e tectis jaculantes patresfamilias urgerent, consul ipse correpto signo in primam aciem procurrit, fugamque militis religione signorum et præsentia ducis cohibet. Simul ad omnia respiciens, vocari ex subsidiis legionem, et interea delectos ex præsentibus circumire Suburrana via, et a tergo includere hostes jubet. Ipse correpta face, contra eos qui de tectis saxa atque tegulas jaciebant, subdi ædificiis ignem imperat, sagittariosque tela ignita immittere. Ita detrusus ad ædem Telluris Marius, plebem ex domibus, itemque servitia ad pileum vocat. Sed potentior promissis metus fuit. Tres tantummodo repertos aiunt, qui conditionem acciperent.

Appian.

Joann. Ant.
Eutrop.Plut.
Appian.

Flor. Plut.

Val. Max.
viii. 6.
Plut. Mar.
c. 58.

25. Sylla per Sacram viam in Capitolium pergens, quo se Marius cum suis receperat, cum milites quosdam suos obvia diripere vidisset, eundem delicti suppliciique locum esse voluit, coram statim in conspectu omnium punitis. Ab eadem modestia, dejectis a Capitolio cum cæde multorum inimicis, custodias per omnes regiones Urbis posuit; totaque nocte cum collega pervigil, obivit omnia, ne quid a victoribus per insolentiam in urbanos committeretur.

Oros. v. 19.
Flor.
Appian.

26. Orta demum luce, vocato in concionem populo, 'tempora reipublicæ' deplorant, 'tribunitio vento ad talia præcipitia compulsæ. Hac necessitate coactos ad consilia necessaria magis quam optanda descendisse. Revocandum itaque majorum morem, quo obtinente nihil tale accidisset; neque de re qualibet postea ad populum

ferri oportere, nisi de ea deliberatum ante in senatu foret. Centuriata quoque comitia ex lege Servii regis, non, ut postea assuevissent, tributa haberi, consultius esse. Non aliis rationibus reduci civium concordiam, et publicæ rei tranquillitatem posse, quam si a temeritate populari ad maturitatem patrum consilia, et ab egentissimi cujusque audacia ad circumspectionem locupletium suffragia revocarentur. Tantum ferme cuique fidei amorisque in republicam, quantum in privata spei atque opum esse.^e

27. Sic tribunorum plebis vehementer accisa potestate, quibus imaginem nomenque tantum sine vi reliquerunt: e Vell. 11. 30. cum etiam ob paucitatem senatorum contemni amplissimum ordinem animadverterent consules, tributis comitiis Appian. (ut aliquid dare populo viderentur) ex equestri ordine honestissimum quemque allegerunt, numero trecentos.

28. Viri deinde duodecim a senatu hostes judicati, Liv. Epit. Sulpicius inprimis et duo Marii. Deinde P. Cethegus, Vell. 11. 19. Junius Brutus, Cn. et Q. Gracii, P. Albinovanus, M. Flor. Lectorius, Q. Rubrius Varro, et præterea duo alii Appian. Cic. Brut. c. 45. Appian. senatores, 'quod seditione concitata consulibus populi Romani arma opposuissent, servosque vocassent ad pileum.' Aqua igitur et igni his interdictum: adjecto a quocumque impune occidi, aut ad consules adduci posse. Diod. ap. Vales. Bona quoque eorum publicata: et perquisitores missi, qui Appian. caperent profugos, aut occiderent. P. Sulpicius, cum in Cic. de Laurentinis paludibus, villæ cujusdam latebris occultaretur, Or. 111. 3. indicio servi sui retractus et ab equitibus oppressus Joann. Ant. Vell. est. Caput occisi relatum Romam, et pro Rostris Liv. Epit. propositum. Servus qui secundum edictum consulum Oros. Flor. libertatem indicii præmium ferre debebat, manumissus, Val. Max. statimque cum insignibus novæ libertatis ob scelus prodi- vi. 5. 7. heri de saxo præcipitatus est. In alios quoque viros claros, qui reperiri potuerunt, velut jure sævitum.

29. At Marius post fugam ex urbe desertus a turba, Plut. Mar. c. 58.

^e *Tribunorum plebis... quibus imago sine re fuit tribunatus. Ad hæc posteriora tempora potius quam ad primum Sylla consulatum referenda Velleii verba crediderimus. Cæc.*
L. LXXXIX. c. 11. tuncque demum

per tenebras in prædium quoddam, quod habebat in Solonio, qui campus est agri Lanuvini, se conjecit. Unde eum filium ex vicinis agris Q. Mucii auguris, cujus ille filiam duxerat, necessaria petere jussisset, Ostiam descendit, repertoque navigio, quod unus amicorum Numerius paraverat eum privigno Granio, filii reditum non expectans, abnavigavit. Interim adolescens imminens exitium fide et astu villici evasit. Cum enim eum in prædio Muciano deprehendisset dies, ad comprehendendum eum suspicione ducti equites properabant. Ibi enim latere Marios posse propter affinitatem rebantur, et quia Mucius hostem Marium judicare noluerat. Quod ejus nobile factum non est silentio prætereundum.

Cic. de
Div. 1. 36.
Plut.

Val. Max.
III. 8.

30. Cum L. Sylla victor armatis circumdedisset Curiam, eoque C. Marium hostem decerni cupienti nemo auderet negare, solus Q. Mucius sententiam dicere noluit. Atque mitius instante Sylla, ‘ Non ita,’ inquit, ‘ gladios tuos extimesco, ut propter has senilis sanguinis tenues reliquias, hostem judicare C. Marium sustineam, a quo Italiam et hanc urbem conservatas memini.’ Hujus igitur villicus nihil a fide heri animoque dissentiens, Marium adolescentem inter fabas abditum imposuit plaustro, bubusque junctis, per medios inimicos deportavit in Urbem. Sic acceptis ab uxore quorum præcipuus tum usus erat, ante lucem ad mare pergit; et eum forte solventes in Africam nautas invenisset, navem conscendit.

Plut.

Liv. Epit.

31. Major patri Mario cum ventis et tempestatibus lucta fuit, ingruentibus in eum velut manu facta malis. Ferente vento littus Italiæ legens, Terracinam evitare nautas jussit, Geminium, cujus ibi magnæ opes erant, timens, inimicum hominem, et Syllanis partibus deditum. Ceterum illis enixe parentibus, magna vis ventorum a mari coorta, navigium procellis, et ipsum nausea sic fatigavit, ut vix apud Circeios applicare posset. Ibi ob tempestatis sævitiem, et quia deficiebant comæatus, excensio facta est: sed anxiiis et in momenta temporum extrema quæque expectantibus, incerta omnia intutaque, et, ut fit in magno metu, præsentia quæque molestissima videbantur. Terram hostilem vitarent; inimicum erat

Plut.

mare: occursum metuerent hominum ob pericula; non minus metuendæ ob penuriam solitudines erant. Sero in bubulcos paucos inciderunt, qui dare quidem nihil poterant egentes egentibus, sed agnitum Marium celeriter jubebant se subducere: ‘ paulo enim ante magnam affuisse equitum manum, quæ illum quæreret.’

32. Plurima tum malorum imago circumsisiebat hominem. Nudus, desertus, inops, inter mortis et contumeliarum assiduos terrores, Italiam quam honoribus imperiisque suis toties ornaverant, semel iterumque defenderat, ut hostilem terram fugere cogebatur. Jamque etiam comites tædio et inedia fatiscebant: cum omissa militari via, in profundum nemus secessit.

33. Ibi cum ærumnosam sane noctem exegisset, cogente inopia, et corpore, donec aliquid superesset virium, usurus, secundum littus incessit, adhortans comites, ‘ ne deficerent animis, neve spes suas extremas, et promissa numinum immatura mollitie corrumpere. Sibi enim, cum ruri adolescentulus ageret, id ostentum evenisse, ut septem pulli aquilini cum ipso nido in sinum⁶ deciderent: parentibusque suis consultos haruspices respondisse, fore se mortalium omnium clarissimum, summumque imperium uti septies capessat, fatale esse.’ Id quidem sæpe jactasse Marium in confesso est: rei vero fidem naturæ avium periti derogant, negantes aquilam plura duobus ova parere. Sed tamen id vere seu falso expositum, Marius temporis profuit, ut ad extrema omnia spem animosque comites sui durarent.

34. Sed ubi ad passus bis mille quingentos Minturnis abfuerunt, simul equitum alam ad se tendentem eminus conspexere, simul duas naves onerarias, prope littus per quod incedebant ipsi, vela facientes. Igitur ad has citato cursu delati, projectis in mare corporibus adnatant. Et Granius quidem altera navium exceptus, in Ænariam insulam trajecit. Marius corpore gravior, multo duorum servorum labore vix sublevatus, et in alteram impositus est. Jamque aderant equites, et nautas clamore cientes

Appian.
Plut.

⁶ Inscerebatur ante Crev. vox *ejus*.

appellere jubebant, aut saltem præcipitato in aquas Mario, quo instituissent cursum pergere. Sed supplicante cum lacrymis sene, domini navis, postquam diu fluctuasent animis, negarunt se ejicere virum posse.

35. Deinde ubi cum atrocibus minis equites citi recesserunt, iterum immutata mente, ad Liris amnis ostia prope terram jecerunt anchoras; hortatique Marium, ut ad cibum capiendum, corpusque rectius curandum tot afflictum incommodis, in terram exscenderet, donec qui stata hora flare debebat ventus surgeret, sublatis velis in gramine accumbentem reliquerunt. Ita derelictus ab omnibus hominibus, diu in littore sine voce jacuit. Postquam ægre se recollegit, per invia et uliginosa loca, oppletasque cœno et aquis fossas defecta membra trahens, tandem ad tuguriolum venit, in quo senex quidam paludibus purgandis operam dare solitus habitabat. Ad hujus pedes se abiciens, obtestabatur, ‘servator atque adjutor esse vellet hominis, si præsentem tempestatem effugisset, majora opinione præmia reddituri.’ Ille sive olim visum recognoscens, sive ex aspectu virum haud vulgarem judicans, placide respondit: ‘si quidem quietis egeret, posse tugurio uti; sin vero inimicos aliquos fugeret, monstraturum se aptiorem latebris locum.’

Appian.
Plut.

36. Ibi dum juxta profluentem, in cava ripa, multa arundine levibusque sarmentis contactus sedet, subito ad aures accidit clamor, increpantium senem, et ubi Marium abscondisset jubentium ostendere. Nam quosdam eorum qui a Geminio ad retrahendum Marium quoquoersum emissi fuerant, ad illud tuguriolum casus detulerat. Is tumultus hominem prodicionis certum subegit, ut exutis vestibis in paludem se immergeret, oculis tantummodo ac naribus extantibus. Sic repertus extractusque, ut erat nudo corpore, limo cœnoque deformis, injecto in collum loro, Minturnas rapitur: et, dum quid facto opus esset magistratus deliberant, custodiendus ad ædes Fannix mittitur, quæ ob veterem offensam irata Mario putabatur.

Liv. Epit.
Vell. II. 19.

Plut.

Val. Max.
VIII. 2.

37. Nam sexto ejus consulatu repudiata a C. Titinnio Minturnense, causam dixerat. Titinnius ampla dote spo-

liare cupiverat mulierem, impudicitiae crimine objecto. Sed Marius causa cognita ‘ Fanniam impudicam videri ’ pronuntiavit, multamque ei dixit sestertium nummum : Titinnio præcepit, ‘ ut dotem mulieri restitueret, quod quam impudicam esse scisset, eam pecuniæ insidiatus duxerat, diuque matrimonio ejus usus fuerat.’ Fannia tamen beneficii magis quam injuriæ memor, quibuscumque potuit officiis adjuvit. Unde Marius hilarior, colaudata mulieris voluntate, fore sibi reddendæ gratiæ potestatem lætus gestiensque prædicat : ‘ ejus enim rei certum se modo omen accepisse.’

Plut.

38. Pudet referre vanissimæ superstitionis sordes : nisi vel ideo magis sunt referendæ, ut intelligamus quam turpi dementia orbem terrarum Christiana disciplina liberaverit. Post tantam rerum experientiam, vir animo gestisque rebus maximus, quam a ratione impetrare non poterat tranquillitatem, ab asini obtutu ac voce sumsit. Nam

Val. Max.
1. 5.
Plut.

cum ad Fanniæ domum adductus erat Marius, relicto pabulo prorumpens e foribus animal, ex adverso Marii constitit ; et blande hominem intuitus, luculentumque rudens, ad vicinum fontem proeuerrit. Idecirco mari salutem portendi fatus, obserari januam cubiculi, ut se quieti daret, jussit.

Val. Max.
11. 19.
Liv. Epit.
Appian.
Oros. Vell.
Plut.

39. Interea magistratus, ‘ sine mora de medio tollendum esse,’ decreto, Cimbrum quendam mittunt de reliquiis Marianæ victoriæ, qui eum conficeret : quod omnes oppidani misericordia clarissimi viri fœdum occidendi ejus ministerium abnuebant. Sed ille cubiculum ingressus, ubi Marium esse cognovit, abjecto gladio profugit, ‘ Marium se non posse occidere ’ clamitans. Quidam aiunt ingenti flamma ex oculis Marii promicante territum hominem : auctum deinde terrorem, postquam assurgens e lecto senex, terribili voce, ‘ Tune homo C. Marium audes occidere?’ inelamasset. Minturnenses profecto homini divinitus injectum timorem, salutemque Marii cordi esse Diis interpretati, mutata sententia, quem paulo ante necari jusserant, repente incolumem volunt. Nec ipse sibi deest,

Appian.
Plut.

Cic. pro
Sext. c. 22.

ad quosvis, etiam infimum et vilissimum quemque, tendit manus ; preces, spem, fata, fabulam suam de aquilis, de

asino, varie miscet. Tandem consensu omnium cum viatico et veste collata ad naviculam publice instructam deducitur.

40. Sed properantibus obstabat religio, quod per lucum Maricæ, quam et Circen frequentius vocant, ad mare iter erat, quem præcipuæ sanctitatis Minturnenses habebant, neque fas putabant offerri quicquam carum rerum quæ semel co illatæ forent. Sed ceterorum dubitationem unius senis alacritas solvit; qui ' nihil irreverens, aut ingratum Diis esse ' clamitans, ' quod ad C. Marii salutem pertineret, ' cum parte rerum quæ ad mare portabantur, per lucum primus evasit. Pingenda deinde curavit ista Marius, tabulamque votivam in fano Maricæ suspendit. Sic in perparvum impositus navigium, lacrymis, votis, omnibusque prosequente Minturnense populo, evitatis quantum poterat terris portubusque omnibus, vela in altum fecit.

41. Forte ad insulam Ænariam delatus, cum ibi Gracchum et nonnullos amicorum reperisset, una in Africam cursum intenderunt. Sed quia penuria aquæ laborabant, in agro Erycino Siciliæ fecerunt excensionem. Ibi quæstoris Romani cura dispositi equites propemodum egredientem navi Marium exceperunt. Aquatores ferme sexdecim interfecti sunt. Marius prope soluto navigio Meniniam tenuit Africæ insulam, quæ hodie Gerbarum vocabulo est notior.

42. Hic de filio suo cognoscit, ' illum cum P. Cethego salvum, ire ad Hiempsalem, ' sive Mandrestal is fuit: cui patrie ejus Numidiæ partem, capto Jugurtha, Marii maxime opera senatus dederat. Hinc recepto nonnihil animo, statuit in Carthaginensem agrum transmittere. Ibi cum in locis solitariis vastisque sederet, venit ad eum licitor Sextilii, qui tum Africam proprætore obtinebat. De hoc Marius neutram in partem meritis, humanitatis tamen aliquod officium expectabat. At licitor ' decedere eum provincia ' jussit, ' ni malit in se ut hostem ab senatu judicatum decerni: ' torveque intuentem et vocem nullam emittentem Marius rogavit tandem, ' ecquid reuantiari prætori vellet? ' Ibi Marius, ' Nuntia, ' inquit, ' vidisse

Vell.
Liv. Epit.
Lactant. 1.
21.
Hor. Carm.
111. 17. et
ibi interp.
Strab. v.
p. 233.
Plut.
Cic. pro
Sext.
Cic. pro
Plancc. c. 10.
Cic. pro
Sext.
Appian.
Plut.
Cellar.
Geogr.
Aut. l. iv.
Plut.
Appian.
Cic. post
Red. ad
Quir. c. 8.
Plut.
Appian.
Plut.

te C. Marium exulem⁷ in Carthaginis Magnæ ruinis sedentem:’ duobus clarissimis exemplis inconstantiam rerum humanarum prætoris animo figurare non inepte conatus.

Appian.
Plut.

43. Hic ad eum cum Cethegø filius venit, Albino-
vanusque, et ceteri exules. Ii Numidarum dolos, non sine digno qui notetur casu, evaserant. Marium adolescentem miris in speciem officiis colebat regulus. Sed quia discedere cupientem morabatur crebrius et apertius, quam ut per benevolentiam facere credi posset, suspicionem illi, et ex hac ardentius abeundi desiderium iniecit. Igitur ob formam a pellice regia dilectus, cum ejus amorem aversatus eousque fuisset, tum amplexus occasionem est, eaque juvante cum amicis fuga capta ad patrem penetravit.

Val. Max.
1. 5.
Plut.

44. Magna erat gratulatio, quod post ancipites tot casus, qui de se suisque sæpius utrimque desperassent, salvi sospitesque se vicissim intuerentur. Inter hanc dum in littore obambulant, forte scorpiones inter se pugnantes Marius pater videt. Erat ille vir huic stultitiæ generi deditus, et, ut facile est delirantibus artem ex errore facere, valere se talia interpretandi calliditate putabat. Igitur aversatus hostilitatis omen, non distulit conscendere piscatorium navigiolum, et cursum in Cercinam dirigere. Et opinionem prudentiæ ejus sors velut dedita opera confirmavit. Vix in altum eveci erant, cum missos a Numida vident equites eo ipso in loco vagantes, unde navem conscenderant. Sic inter Africi maris insulas, quia plus insidiarum in continente timebat, quod reliquum erat hyemis C. Marius exegit.

Appian.

Liv. Epit.

45. Dum ad hunc modum inimicus L. Syllæ terra marique jactatur; ipse rerum omnium potens, statum civitatis ordinabat, non victoris insolentia, sed propemodum ad justum legitimumque modum. Igitur et æris alieni perplexam atrocemque controversiam, quæ nuper ad prætoris Romani necem pervenerat, ex æquo bonoque lata lege ‘Unciaria.’ Unciaria decidit. Ejus legis cum argumentum lateat,

Fest. voce
‘Unciaria.’

⁷ Exulem ex Plut. add. Crev.

nomen esse videtur indicio, duodecimam debiti partem remissam debitoribus fuisse.

46. Comitia deinde, priusquam proficisceretur in provinciam, habuit: in quo negotio mansuetum se præbuit, et omnimodis popularem. Nam et Nonium sororis filium, et Ser. Sulpicium, quanquam subnixi sua commendatione essent, ignominiose repulsos civiliter tulit: 'jucundum sibi esse' dictitans 'videre populum libertate recepta vel contra auctores beneficii utentem.' Plut. Syll. c. 19.

47. Consulem quoque L. Cinnam designari passus est, licet iniquum sibi, et partibus adversum sciret. Jurejurando tamen adegit nihil novaturum: isque in Capitolio multis præsentibus silice lapide comprehenso, 'si falleret' precatus Deos fuerat, 'ita se quoque projectum vellent;' cum dicto lapidem emittens manu. Sed et collegam ei Cn. Octavium addidit, compertæ modestiæ virum, ejus maturitate Cinnam, si rucere cœpisset, sperabat retineri posse. His ita curatis, consulari potestate contentus, præmisso ad Capuam exercitu, coloniis per Italiam deducendis operam dedit. Dio ap. Vales. Plut. Appian. Liv. Epit.

48. Sed adversa factio, ubi cessare metum armorum videt, ad pristinum consilium revoluta, locupletes præsertim et fœminæ quædam prædivites, nihil non ut exules restituerent moliebantur. Etiam consulum vitæ dicebantur insidiæ fieri, quod iis se salvis tenere posse propositum inimici non putabant. Sed Sylla belli Mithridatici decreto imperio tutior ab ejusmodi periculo videbatur: Q. Pompeii miscratio subibat animis, quod is nihil ad prævalidas reprimendas inimicitias virium habebat. Ideo provincia ei Italia cum exercitu qui tum sub Cn. Pompeio proconsule merebat, populi jussu datur. Appian.

49. Offendit ea res Cnæum, et ut novo nec antea audito sceleri præberet exemplum incitavit. Hoc enim primum anno consulis Romani sanguine polluta castra imbutæque militum manus sunt. Quippe consul Pompeius ad accipiendum exercitum profectus, et intra vallum acceptus, cum postridie concionem haberet, cedente in speciem proconsule, satis læta habere initia imperii visus est. Sed mox majore turba quasi audire concionantem cupientium Vell. II, 20. Liv. Epit. Appian.

Val. Max. concurrente, ab iis quos ad eadem proconsul subornaverat, cum sacrificare jam inciperet, interfectus est.
 1x. 7.

Appian. 50. Proconsul, diffugiente consulis comitatu, tanquam nescius omnium tulit se obviam, et, re scilicet cognita, graviter increpuit⁸ tanti sceleris auctores. Sed statim rediit cum iis in gratiam, receptoque imperio non est passus dubitari, cujus ope consilioque interceptus consul foret. Neque senatus vindicavit: majore talibus temporibus castrorum, quam Curiae, potentia. Hac re comperta, consul Sylla intentiorem corporis sui custodem egit, nunquam non fido septus amicorum, etiam per noctem, praesidio. Neque diu moratus, Capuam ad exercitum profectus, militibus commeatuque et ceteris bello necessariis in classem impositis, ad Mithridaticum bellum navigavit.

51. Neque res Asiaticae adventum ejus parum desiderabant: ita tempore et occasione Mithridates utebatur. Huic regi tum in se magna erant omnia, tum quae sibi dare nemo potest, fortuna providerat. Opes atque potentiam illustrabat genus a septem Persis illustri serie deductum, et Artabanes^f regni conditor. Sed praecipue auctoritatem ei pararant prospera et magna belli primordia, quod tanta in eo vis esse videretur, ut, cum primum inciperet moveri, tota regna, nullo magnopere adhibito conatu, raperet. Neque majus aliud ad movendam quolibet inclinationem animorum instrumentum est, quam commodo conatorum eventu parta felicitatis fama.

Memn. ap. 52. Igitur fortunae instandum ratus, post victum a suis
 Phot. Nicomedem, ex Amaseno campo, ubi auxilia variarum gentium recensuerat, per Paphlagoniam incessit, centum
 Oros. vi. 2. quinquaginta millium exercitum ducens. Inde expulso
 Eutrop. obiter Pylameuc rege, ad Scoroba montem, ubi Bithyniae
 Appian. Pontique confinia sunt, deflexit.
 Mithrid.

53. Non longe abhinc M. Aquilius castra posuerat, et post infelix praelium cum reliquiis suorum Nicomedes. Ibi ex praecursoribus centum omnino Sarmatae, quae acer-
 Tac. Hist. i. 79.

⁸ *Increpavit* edd. ante Crev.

^f *Artabanes*] Sic habetur hoc nomen apud L. Ampelium; apud Florum *Artabazes*. Crev.

rima equestribus praeliis gens est, octingentos Nicomedis Appian. equites nacti, profligant Bithynos, quosdamque eorum captos adducunt ad regem. Ille ex priorē instituto hos quoque viatico dato dimittit in patriam. Ita vim aliis Pontici regis, militumque virtutem, aliis elementiam prædicantibus, cum ab utraque causa popularium animis Nicomedes diffideret, non expectato Mithridatis adventu, versus L. Cassium retrocessit.

54. Manius fuga Bithynorum nudatus, cum solus resistero tantis copiis non posset, in tutiora loca cogitabat recedere. Sed eum Neoptolemus Mithridatis purpuratus cum Armenio Menophane, sub horam diei septimam assecuti pugnare cœgerunt. Habebat sub signis equitum quatuor millia, peditum decuplum, sed victus ab hostibus, ferme decem millia militum in prælio amisit: cetera copiae dissipatae in diversa abierunt. Aquillius ad Sangarium fluvium fuga delatus, licet jam nox tegeter terras, transmissa statim flumine, postea Pergamum venit. Castra quoque ejus capta sunt. Sed Mithridates captivos, sicut antea facere consueverat, cum Asiatici essent, comiter allocutus, cum vestibis et viatico ad suos quemque redire passus, tantum excivit benevolentiae, ut certatim ad eum omnia deficerent; legatique magno numero accederent decreta civitatum afferentes, quibus regem ad se vocabant, Deum atque Servatorem appellantes: et quocumque venisset, obviam effusis cum splendida veste omnibus ordinibus, summa lætitia excipiebatur.

55. Neque Cassius, et Nicomedes, et qui alii legatorum Romanorum iis locis erant, ihibere impetum proferantis, aut opponere se ruenti Asiae audebant: frustra tentatis Phrygum auxiliis, cum homines ad militiam ineptos exercere irritō labore instituissent, dimiserunt omnes, et a castello Phrygiae, quod Leomm appellat caput (eo enim propter munitionem loci convenerant) diversi abierunt. Cassius Apameam reduxit suos: Nicomedes Pergamum, Mancinus Rhodum ire constituit. A Pergamo Nicomedes, ut conspectu suo plus moveret senatum, in Italiam navigavit. Hoc ubi auditum est iis qui ocludendis Pontici maris faucibus ad Byzantium excubabant,

Memnon.
Appian.

Diod. ap.
Val.

Justin.
xxxviii. 3.
Cic. pro
Flac. c. 25.

Appian.

Plut. The-
mist. c. 52.
Appian.

Strab. xii.
p. 562.
Appian.

partim diffugerunt, alii majore flagitio naves quoque Nicomedis tradiderunt Mithridati.

Justin. xxxviii. 3. 56. Bithynia omni paucos intra dies recepta, rex Mithridates civitates obiens, pecunias apparatusque belli ubique ab hostibus relicta colligebat. Ceterum, quo clementius imperium speraretur, debita publica simul ac privata remittebantur. His ita ex præsentis usu ordinatis vocatos in concionem milites accurata oratione ad virtutem cohortatus, intentos in signum profectionis esse jussit: omnibusque uti voluerat paratis, Phrygiam Romani populi provinciam cum ingenti exercitu irrupit, omnisque causa, ubi quondam Magnus Alexander stativa habuisse dicebatur, castra posuit.

Liv. Epit.

Appian.

SUPPLEMENTUM

LIBRI LXXVIII.

HISTORiarUM

T. LIVII PATAVINI.

1. **MITHRIDATES**, simul tantum aggredi bellum, vimque Romanam lacessere cœpit, eo prosperitatis cursu est usus, ut proniora ei omnia quam votis optare ausus esset viderentur. Phrygiam et Mysos et Minorem Asiam nemine obsistente percurrens, maximas urbes, opulentos populos, citra sudorem atque sanguinem recipiebat. Lyciam quoque ac Pamphyliam, et cetera ad Ioniam usque dimissis passim ducibus occupavit.

Appian.
Mithrid.
Liv. Epit.
Flor. III. 5.
Appian.

2. Laodiceam Lyco flumini impositam, **Q. Oppio** pro-
consule cum equitibus et mercede conductis tenente, præ-
cone tantum ad mœnia misso, in deditionem accepit. Lao-
dicenses enim offerri sibi veniam audientes, si Romanum
ducem tradidissent; nihil contati, dimissis mercenariis,
Q. Oppium comprehensum ad Mithridatem adduxerunt:
ludibrio addito, ut lictores cum cum fascibus præcederent.
Et hunc quidem rex cetera illæsum, vinculorumque im-
munem, quocumque pergeret, circumducebat, proconsu-
lem Romanum a se captum civitatibus gentibusque obiter
ostentans.

Plin. v. 29.
Appian.
Liv. Epit.
Appian.

3. Sed in **M. Aquillium**, postquam et ille in manus
ejus incidit, multa asperitate usus est: quod is et legati-
onis Asiaticæ, et belli contra Ponticos sumendi præcipuus

Liv. Epit.
Appian.

- auctor extitisset. Hunc Mitylenis ex ægritudine decumbentem Lesbii maximam a Mithridate imitari gratiam si vivum traderent, robustissimos juvenum miserunt, a quibus comprehensus atque vinctus est. Alii quoque Romanorum eadem perfidia correpti: nisi quod unus adolescens hostilem sævitiam voluntaria morte antevertit. Quo magis crimini Manio datum, quod vir triumphalis et senex, vitæ desiderio victus, extremæ servitutis mala perferret. Rex enim vinculis et verberibus atque omni supplicio excruciatum asino miserum imposuit, secumque ducens in agmine, subinde 'Manium se esse' proclamare coëgit: donec in Pergamenam urbem ventum est. Ibi ut ipsi non modo, sed etiam universo nomini Romano exprobraret avaritiam, aurum liquefactum in os ejus infudit.
4. Inde præfectis ubique impositis, Mitylenen adiit. Mox in Ioniam usque processit, ac Magnesiae, deinde Ephesi gratanter exceptus est. Ephesii cum aliis rebus omnibus eximia in regem studia declararunt, tum etiam Romanorum quas in urbe sua collocaverant statuas everterunt: quo nomine non ita multo post acerbe muletati sunt. Ex Ionia revertenti Stratonicæ portas clausit, non ignobilis Cariae civitas. Igitur post deditionem pecuniam exegit ab oppidanis, præsidiumque imposuit.
5. Dum in his curandis occupatur, forte puellam egregiæ formæ conspicatus, Monimæ nomen erat, Philopœmenis Milesii filiae, aureos ei quindecim millia^a dono misit, concubitum virginis expetens. Sed illa pudicitiam divitiis anteponebat, cum nec expugnare blanditiis animum ejus posset, neque vim adhibere vellet, eo postremum adductus est, ut justas cum ea nuptias contraheret, missoque diademate reginam appellaret.
6. Hæc per otium agendi tempus regi Romanæ urbis discordiæ dabant: quibus prohibitus Sylla maturare expeditionem nequiverat. Sed et nummariæ rei difficultas non parvum festinanti impedimentum se objecerat: tantum inopiæ uno intestini belli biennio effectum erat. Neque deerant omnino pecuniæ, sed paucos intra sinus con-

Diod. ap.
Val.

Vell. II. 18.

Diod.

Val. Max.
IX. 13.

Cic. pro
Scaur.

Cic. pro
Leg. Manil.
c. 5.

Appian.

Plin.
XXXIII. 3.

Appian.

Eutrop.
Appian.

Strab. XIV.
p. 660.

Appian.

Plut. Luc.
c. 36.

Appian.
Plut.

Appian.

Oros. v. 18.

^a Aureos ... quindecim millia] gunt marcæ nostrates 468. unciæ 6. Crer.

debantur. Quos inter Cn. Pompeius Strabo, qui Asculum omni refertum opulentia ceperat, de tantis manubiis in ærarium intulerat nihil: bellator fortissimus, sed avaritia inexplibilis. Igitur loca quæ in circumitu Capitoli sacerdotibus et sacris jam a Numæ temporibus erant dicata, subjecta hastæ et publice divendita sunt. Auri inde redacta¹ millia librarum novem: ^b ea sola tantum ad bellum proficiscenti de publico data pecunia est.

7. Interea Mithridates pluribus exædificandis navibus operam dabat, quo Rhodios, quæ, ceteris deficientibus, aut vi abstractis, sola civitas Asiatica, præter Magnetas Sipyli accolæ, in fide Romana mansit, ad obsequium cogeret.

8. Cognito deinde cives Romanos, quorum ingens erat per Asiam negotiandi gratia dispersus numerus, passim apud urbes destinatis suis impedimento esse conari; consilium cepit crudelissimæ calliditatis, clam misso ad magistratus locorum edicto, 'uti ad diem trigesimum postquam datæ eæ literæ essent, quotquot in suis quique urbibus haberent Romani generis homines, cum liberis et uxoribus, atque etiam libertis qui Italici sanguinis essent, occiderent.' Cæsos autem inlumatos projici jubebat: bona cum interfectores partiebatur. Sed et minæ adjectæ erant, si quis aliquem ex eo numero aut celare vivum, aut sepelire mortuum ausus esset. Contra, servis heros interfecturis libertatem, debitoribus dimidium æris alieni, præmii loco promittebat.

9. Dubites scelestius hæc a rege excogitata, an ab Asiaticis facta sint. Postquam constituta dies affuit, miserima per omnes Asiæ urbes spectacula edebantur. Notabilis inter hæc Trallianorum amentia fuit, qui quos in urbe sua habebant Romanos, ne videlicet hospitali sanguine polluerent manus, Theophilo Paphlagoni jugulandos locaverunt, tanquam interesset. Atque illud singulari sævitiæ monstrum compulsos intra ædem Concordiæ

1 Redactum edd. ante Crev.

^b Auri inde redacta millia librarum novem] Marcæ auri 14062. uncia 4. Crev.

Athen. v. 14. Acta A. post. c. 19. Appian. contrucidavit; etiam manibus quorundam abscissis, quibus Deorum complexi simulacra fuerant. Neque magna illa Diana contra furorem Ephesiorum tueri supplices suos potuit: neque Pergamenorum Æsculapius, quominus ad ipsa pulvinaria gladiis aut sagittis interficerentur.

Polyb. Leg. 99. Appian.

10. Adramytteni nando salutem quærere visos inter ipsas undas consecuti trucidarunt; infantibus fugientium liberis pelago mersis. Caunii quoque, qui devicto Antiocho Rhodiis attributi,^c deinde ab horum dominatu Romanorum beneficio liberati fuerant, Italos ad sacratam urbem curiam concurrentes ab ipsis aris diripuerunt, raptosque ab ulnis matrum infantes ante ora ipsarum, ipsas deinde, et postremo viros eorum interfecerunt. Soli omnium qui

Tac. iv. Ann. 14.

Mithridatem reverebantur Coi, Romanos in Æsculapii templum introductos vetusto asyli jure tutos præstiterunt. Hac tam improvisa clade intra eandem diem diversissimis locis extincta hominum circiter octoginta millia esse, satis inter auctores constat.

Memnon. Val. Max. ix. 2. Plut. Pomp.

11. Neque silentio præterierim atrocem Theophanis Lesbii calumniam, qua viri innocentissimi P. Rutilii famam lacerare est conatus: 'Rutilii scilicet hortatu Mithridatem tantæ sævitie consilium cepisse.' Ceterum Theophanes illis quoque temporibus, quibus recens harum rerum erat memoria, se potius turpissime mendacem, quam Rutilium improbum ostendit: liberalibus literis perquam illiberaliter usus, qui in historia scribere de Rutilio falsa crimina non erubuit, non ob aliud quam quia Rutilius de patre Cn. Pompeii vera scripserat. Colorem fingenti nonnullum præbuit Rutilii, qui tum Mitylenis agebat, cum Romani occiderentur, incolumitas. Sed ille comperto togatos ad necem quæri, præsens periculum vestitus mutatione vitaverat. Quæ cautio aliis etiam passim per Asiam saluti fuit.

Cic. pro Rab. Post. c. 10. Athen. v. 14.

12. Sed hæc atque talia revolventi animo illa subinde cogitatio occurrat, eos qui rerum gestarum monumenta

^c Caunii . . . devicto Antiocho Rhodiis attributi] Nimis secure exscribit Appianum Freinsheimius. Polybius, haud paulo gra-

vior auctor, Rhodios a Ptolemæo Caunum ducentis talentis emisse testis est. Crer.

conscribunt, nihil maguopere aliud, quam errorum atque suppliciorum humanorum commentarios texere. Atque utinam hujus tantæ calamitatis causam ut investigare non difficile, ita tollere promptum esset! Sed nos bellum cum natura suscepimus, ejusque certum et immutabilem ordinem, cujus auctor statorque Deus est, neque scire curamus, neque respicere: deinde optime consulta male ceci-disse questi, nos absolvimus, fatum et nescio quam Fortunam incusamus.

13. Atqui nobis hoc jam a primo rerum conditore inditum insertumque fuerat, ut, qui hæc omnia regit, neque bonis adversum, neque contumaciter pravis placibilem intelligere possemus. Eundem tanta esse sapientia, tantisque viribus novimus, ut neque cujusquam astu circumveniri, neque cogi ingratis queat. Omnem igitur prudentiæ summam eo recidere, ut, siquidem bene nobis esse velimus, hunc ante omnia faventem propitiumque habere debeamus.

14. Hæc vera atque indelebilia decreta rationi omnium insevit Deus. At homines his contentis ad quælibet alia, quæ deceptor atque deceptus animus suggerit, lubentius exerrant: et cum de cetero absonum atque indignum putent, pueros sapientia non vincere, in rebus longe maximis id modo pueriliter anteponunt quod in præsentia jucundissimum videatur. Ergo et inter magnorum bellorum initia deprehensi, eo plerumque inclinant, unde præsens aliqua lucri spes affulget: et dum hujus potiantur, fas fidemque, et si quæ alia præferenda omnibus erant, pro nihilo ducunt.

15. Neque mihi aliquis Saguntum, et præterea paucos objecerit, qui pro fide extrema quæque perferendo perierunt. Longe major eorum est numerus, quos perdidit perfidia. Et tamen, si par omnium eventus fuisset, ingens inter utrosque discrimen communis inveniret sensus, quod alteri perierunt et laudantur; alteri nec laudantur, et perierunt. Sed bene, quod meliora plerumque exempla felici exitu donavit Deus: ut quibus hæc offeruntur, si sua sponte honestum amare nolint, saltem utilitatis causa turpitudinem vitiorum sequi dediscant.

16. Mithridatici etiam belli casibus hæc approbata sen-

Appian.

tentia est: quo ceteræ civitates Asiæ, postquam Pontici regis causa multa nefanda fecerunt, ab illo primum miserrime vexatæ, deinde a victoribus graviter mulctatæ sunt; Rhodios atque Magnetæ, et ab hoste tutos virtus, et apud populum Romanum fides caros honoratosque præstitit. Nam Rhodii mœnibus portubusque communitis, machinas locis opportunis frequentes opposuerunt, a Telmissensibus quibusdam et Lyciis adjuti. Romanorum etiam omnium, qui vitare crudelitatem Asiaticorum potuerunt, interque eos L. Cassii, qui proconsul erat Asiæ, receptus fuit.

Strab. ap.
Joseph.
xiv. 12.Cic. pro
Flac. c. 28.
Joseph.Liv. Epit.
Appian.

17. At Mithridates instituta in Coom navigatione, promte susceptus ab oppidanis, Alexandri qui nuper in Ægypto regnaverat filium abduxit, regioque secum cultu habuit. Sed ex thesauris, quos ibidem avia pueri Cleopatra posuerat, magnas opes, mundumque muliebrem, et alia lapillis aut arte pretiosa, signatæque pecuniæ vim minime spernendam in Pontum mittere non est oblitus. Reperit etiam ibidem pretium talentorum octingentorum in auro,^d quod Asiatici Judæi, ut Hierosolymam exportaretur, collegerant; deinde, quia Mithridatem metuebant, apud Coos, tanquam tutissimo loco, deposuerant.

18. Omni continente Asiæ, insulisque in potestatem redactis, cum sola Rhodus resisteret, totis viribus in oppugnationem ejus urbis rex incubuit. Jam ante plures in hunc usum naves fabricandas curaverat. His perfectis, cum ingenti classe ad insulam est advectus. Rhodii dirutis, ne qua hostibus adjumento forent, suburbiis, suas quoque naves instruxerunt, ita formata acie, ut aliæ recta in hostem ferrentur, aliæ a lateribus facerent impetum.

19. Sed Mithridates cum quinquere mi sua circumvectus, præcipiebat suis, ut in altum recedentes producerent cornu, celerique deinde remigio pauciores Rhodiorum naves circumventas includerent. Id priusquam fieret suspicata classis Rhodiorum, sensim e prælio se recepit: mox expansis velis refugit in portum. Ponticos celeriter insequentes opposita claustra prohibuerunt ingressu: simul

^d *Talentorum octingentorum in auro*] Apud Josephum auti non fit mentio. Itaque talenta illa, more solito, argenti esse existimamus. Talenta octingenta marcas efficiunt 75000. *Crev.*

a mœnibus ballistarum scorpionumque telis petiti, recesserunt. Ab hoc tempore Mithridates, donec pedestres copiae advenissent, oppugnatione abstinuit: levia tantum certamina ad muros fiebant. Quibus plerumque superiores Rhodii, magis magisque confirmabantur animis, paratasque ad audendum, si qua occasio se dedisset, naves habebant.

20. Forte in onerariam ex regiis præter portum vela facientem, Rhodia dicotos invecta fuerat. Ab hoc initio, cum utriusque ad suorum auxilium multæ naves adremigassent, in acre certamen contentio evaluit. Diu atque vehementer est pugnatum, cum dissimillimis causis par utrorumque robur esset. Rhodiis ars gubernatorum, Diod. ap. Val. ordo navium, peritia remigum aderat: præfectorum quoque dexteritate, et navalium sociorum virtute præstabant. Pontici maritimarum rerum rudes, non minus inter sese, quam ab hostibus turbabantur: ita quidem flagitiose, ut Chia navis quæ Mithridati militabat, in prætoriam qua Appian. rex ipse vehebatur illisa, magno illam impetu concussam tantum non deprimeret.

21. Animis tamen æquabant hostem, quod sub oculis Diod. Mithridatis pugnabatur, cui fidem suam virtutemque approbare cupiebant. Ad hoc multitudine navium superiores, Appian. circumdare hostes, et in medium acceptos undique urgere nitebantur. Sed id periculum Rhodii eadem qua prius arte vitarunt: trirememque unam cum ipsis viris captam remulco trahentes, multis armamentis atque spoliis onusti in portum redierunt. At postquam recensitis navibus abesse quinqueremem videre, ignari ab hostibus captam, quæsitum eam velociores ceteris naves sex de omni numero longarum emittunt: in his Damagoras erat, classis Rhodiæ præfectus. Vicissim a rege naves quinque et viginti occurrere jubentur: quas Damagoras cum ad solis occasum usque cedendo elusisset, recedentibus invectus duas depressit; totidem ad importuosa Lyciæ littora compulit: et inter hæc nocte consumpta, postridie Rhodum reversus est.

22. Mithridates cum tanto paucioribus par esse non Val. Max. v. 2. 2. ext. potuisset, in Chios effudit iram, totique civitati minatus,

gubernatorem navis quæ in suam accurrerat, cum proreta supplicio affecit. Sub eisdem dies, cum pedestris exercitus regis onerariis et triremibus adveheretur, repentinus turbo partem earum navium in Rhodium littus impexit. Rhodii impigre evecti in afflictam tempestate sparsamque classem, naves quasdam cum viris quadriagentis abripuerunt, alias perforatas merserunt alto, aut injecto igne exusserunt.

23. Nescio hac, an superiore aliqua navali pugna captus Leonicus fuerit: qui se acerrimum salutis regiae defensorem aliquando ostenderat. Hunc igitur ut recuperaret, quotquot habebat Rhodiorum captivos, pro uno corpore reddidit. Deinde obfirmato ad expugnationem animo, simul ad navale aliud prælium, simul ad tentanda mœnia cogitationes intendit.

24. Forte proditores quidam clivum ei monstraverant, juxta Jovis Atabyrii delubrum, qua parte qui primi extruxerant mœnia, quod altitudini situs confiderent, breviori contenti muro fuerant. Sed clivum ascensu non difficilem esse transfugæ confirmabant. Igitur noctu copiis in naves impositis, silentio admovere naves jussit, donec in Atabyrio² monte fax tolleretur; deinde quanto possint cum clamore ac impetu, ad locum cuique assignatum decurrere. Nam ita partitus erat operas, ut, donec pars exercitus cum scalis ad mœnia vim tentat, alii ad portum terrorem facerent.

25. Sed id quidem consilium, ut multa alia ejusdem, casus elusit. Execubiæ Rhodiorum, cum forte surdum strepitum audivissent, ignem extulerunt. Id prope Atabyrii factum^e Mithridatici putantes, signumque suum arbitrati, ex altissimo silentio simul repente omnes horribilem clamorem ediderunt. Rhodii contra, alacriter clamore reddito, cum ad mœnia confertim currebant, regios,

2 Atabyro edd. ante Crev.

^e *Id prope Atabyrii factum*] Hic discrepant omnes editiones. Prima habet, *Atabyrii*: Clericus, *Atabyrum*: Doujatius, *Atabyri*. Nulla harum lectionum satis placet. Quicquid scripserit Freinshemius, sensus Appiani claus

est, ἡ στρατιὰ τοῦ Μιθριδάτου νομίσασα τοῦτο εἶναι τὴν ἐκταβυρίου, sive potius, ἢ Ἀταβυρίου πυρρῶν: milites Mithridatis rati hunc illum esse ignem ex Atabyrio. Crev.

ne per noctem aliquid auderent, absternerunt. Luce dein orta, ut homines non ad prælium, sed ad furtum noctis egressos, haud magna mole summovertunt.

26. Ad Isidis tamen fanum haud mediocris illatus terror est, ubi sambucam duobus navigiis junctis impositam Mithridates applicuerat, et ab ingenti machina plurima simul tela hastasque late spargebat, et arietem inde ad pulsanda mœnia admovebat. Juxta frequens manus cum multis scaphis aderat, scalas ferens, et oppugnationi parata. Resistebant tamen egregie Rhodii, neque laboribus aut periculo fatigabantur: donec Mithridatem major vis amovit. Nam et sambuca præ pondere subse- Jul. Obs.
dit, et Isidis apparuit species, copiosum ignem, fulminis in modum, eidem machinæ immittens.

27. Postremus hic adversum Rhodios conatus regis Appian.
fuit. Frustra videbat operam copiasque et tempus perdi ad firmissimam urbem, quæ portuum murorumque muni- Strab. XIV.
mentis, omnique apparatu parem eo tempore non habe- P. 652.
bat; et a peritissimis rei nauticæ hominibus, atque inter sese legibus optimis egregie conjunctis³ defendebatur.

28. Ad Patara hinc ductus est exercitus, ubi iterum Appian.
iniquos expertus est quos vocabant Deos. Cum enim, quia machinis exardificandis materia deerat, lucum Lato-
næ dicatum succidere cœpisset, minaci somnio territus destitit. Sunt qui lucum Furiarum succidi cœptum scri- Jul. Obs.
bant, sed ingenti risu, cujus auctor non apparebat, deter-
ritos qui in opere erant. Inde cum haruspiciis jussu Furiis
virginem Mithridates immolaret, e jugulo puellæ risum
ortum. Igitur Pelopida Lycium bellum administrare Appian.
jusso, principem amicorum Archelaum cum magnis copiis
in Græciam misit. Ipse Pergamum secedens, delectibus
agendis, parandisque armis, et interim Monimæ amoribus Plut. Syll.
operam dabat: simul cognosebat causas Asiaticorum c. 21.
principum, quorum petitus insidiis dicebatur, quive res Appian.
novare, aut omnino Romanis studere arguebantur.

29. Inter hæc, Sylla adhuc in Italia faciente appa- Plut.
tus, variisque impedimentis retento, Cn. Octavius, L. Cor- Dio ap.
Vales.

³ *Conjunctos* legitur in edd. ante Crev.

nelius Cinna consulatum inierunt.* Cinna, licet ultimis execrationibus, nihil contra Syllæ rationes, et ordinatam ab eo rempublicam facturum, se astrinxerat; fidem adeo non præstitit, ut nihil magis haberet cordi, quam quemadmodum Syllam citissime ex Italia summo-
 Plut. detrusus, contanti, et reliqua prius ex usu suo componere volenti, accusationem struxit; diemque dicendam curavit
 Cic. Brut. per M. Verginium^f tribunum plebis.
 c. 48.

30. Ea fuerant erantque tempora, ut deesse criminandi materia non posset. ‘Hominem superbum et ambitiosum’ dicebant ‘olim prædicare solitum, sibi summam in omnes et omnia potentiam deberi. Ab hac cupiditate, non ab aliqua injuria sua, exstimulatum fuisse, ut nefarium patriæ bellum inferret, dominamque gentium, et hostilibus armis intactam urbem, civis, et, si Diis placeret, consul expugnatam captamque cruentus ingrederetur.

31. ‘Scilicet egregium impio facinori colorem induci, quod decretam ab senatu provinciam inimici eripissent: eam injuriam hominem generosum pati nequissime. Sane datum Mario jussu populi Mithridaticum bellum: neque referre, si prius L. Syllæ senatus idem decrevisset. Non minoris æstimandum fuisse Marium toties consulem, quam fuerit in primo consulatu: neque eum Q. Metello Numidico Syllam comparari posse: neque minus modo fuisse juris populo Romano, quam ante annos viginti fuisset. Sed tum quoque Numidiam provinciam, quanquam ab senatu Metello decretam, populum Romanum C. Mario dedisse: neque ideo Metellum Urbi bellum indixisse.

32. ‘Syllam vero, ne quidem sanguine aut exilio tot illustrium civium satiari potuisse, aut vindicta, licet nimia sane fuerit, placari, ne ultro rempublicam everteret, statumque immutaret civitatis. Scilicet non dolore, nec cupiditate ultionis, sed spe et desiderio regnandi, impetum in leges, in mores, in populi Romani jus auctoritatemque fecisse. Quorsum enim alias tribunitiam coercere potes-

* A. U. C. 665. A. C. 87.
^f M. Verginium] Hujus tribuni
 nomen sic effert Plutarchus. Le-

gitur apud Ciceronem M. Virgilius. Crev.

tatem vellet, nisi ut ipsam invaderet arcem libertatis? Ferme quadringentorum annorum experimentis esse cognitum, tribunatum plebis quasi Palladium populi esse, quo sublato, interire ipsum, aut certe servire necessum sit.⁴

33. Ex diverso non amici modo Syllæ, sed qui omnino quietem ac pacem amabant, ‘Tribunatum, omnium in urbe seditionum unicam originem, recte atque ordine justos intra fines cohibitum’ asseverabant. ‘Neque Syllam aut sine causa, aut ultra modum, aut postremo solum fecisse quæ fecerit. Hominem sociali bello de republica optime meritum, consulem populi Romani, vigentem ætate et armorum gloria, nihil fecisse novum aut mirum, si eripi datam ab senatu provinciam ægre sit passus. Sed neque e republica fuisse, ut ad tantum bellum imperator⁴ exacti jam ævi, exhaustarum virium, et cui modo difficilis in Italia militia fuisset, trans mare mitteretur.

34. ‘Sed nec ibi substitisse adversariorum insolentiam, verum etiam ad sanguinem ac cædes erupisse. Filium consulis, eundemque consulis alterius generum occisum: patrem ejus fuga, socerum dissimulatione et temporibus obsequendo, vix retinuisse vitam. Syllæ vero sicuti dolorem non injustum, ita modestiam in victoria singularem fuisse. De sententia senatus et optimi cujusque constitutam rempublicam; liberrima magistratum comitia fuisse. Atque hæc omnia socio et adjutore Q. Pompeio gesta, ut duorum consulum voluntate ac consensu fierent: neque aliud oppressos tyrannide factionum Patres optavisse.

35. ‘Quid vero stultius, siquidem violentia arguatur Syllæ, quam irritare impetum, quo violata omnia modo ac eversa queraris? Scilicet L. Cinnam novum consulem, Cic. Brut. c. 48. et Verginium hac balbutie tribunum, laturus tempestatem, cui summa gloria belli, summaque facundia viri, C. Marius, P. Sulpicius succubuissent! Et iis cum incipientibus adhuc Syllæ opibus negotium fuisse; nunc pugnantium fore cum confirmatis. Eisdem illos milites, qui nullo dum exemplo portas urbis hostiliter essent ausi recludere, nunc feliciter tentatam vim, quocumque⁵ juberet imperator, incontanter adhibituros.

⁴ Deerat vox *imperator* in edd. ante Crev.

⁵ *Quoscumque* edd. ante Crev.

36. 'Præterea quod neque fieri oporteat, neque possit, ut Sylla legibus reus peragatur, id hoc tempore neque optandum postulandumve fuisse. Universam Asiam erumpentes ab Euxino Ponto barbaros velut diluvio inundasse: trucidata tot civium Romanorum fædo exemplo esse millia: regem nomini Romano inimicissimum instare, urgere. Ab eodem fidelissimos socios, unicam hostilium successuum moram, Rhodios oppugnari. His temporibus detineri paratum ad hæc corrigenda imperatorem, eorum potius esse, qui perlitam, quam qui salvam rempublicam cupiant.' Sane etiam iis qui abessent reipublicæ causa negotium creari lex Memmia vetabat. Igitur ejus beneficio L. Sylla, tribuno et judicibus valere jussis, in Asiam est profectus.

Val. Max.
111. 7.

Plut. Syll.

37. Iisdem diebus, quibus⁶ Syllana classis ab Italia solvit, multa Mithridati terribilia ostenta objecta esse memorant: et inter alia Victoriam adulatione Pergamenorum tali artificio fabricatam, ut quasi de cælo descendens coronam Mithridati imponeret, cum ferre caput ejus attigisset, subito et occulto machinæ vitio hæsisse: dimissamque e manibus ejus coronam de theatro ita procidisse humi, ut confringeretur, non sine ingenti horrore populi, ut regis ipsius consternatione.

Appian.

Flor. 111. 5.
Plut.
Memnon.
Pausan.
Lacon.

38. Inter hæc profectus in Græciam cum magna classe Archelaus, Cycladas in potestatem regis redegit, aliasque item insulas ad Maleam usque: Eretria quoque et Chalcide, totaque simul Eubœa potitus. Eo tempore, Delus a Metrophane præfecto regio direpta est: cum sine muris et præsidio, sacrorum veneratione ad id tempus defendi soleret. In eo tumultu convulsum a barbaro quodam Apollinis Delii simulacrum, et in mare per contumeliam missum, ferentibus undis ad Laconia oppidum Beas appulisse autumant, ubi deinde fanum Apollinis Epidelii cognomento Beatae dedicarunt. Alia quoque diversis insulis castella a regis expugnata sunt: occisis ubique circiter viginti hominum millibus, maximam partem Italicis. Ea loca Atheniensibus Archelaus attribuit, a quibus defecisse dicebantur.

Appian.

⁶ Diebus, quo legebatur ante Crev.

39. Athenas enim regis partibus Aristion quidam ad-
 junxerat; adeo nullis vel ad cogendum vel ad suadendum
 præsidiis instructus, ut nihil relinquatur hæc legentibus,
 quam Græcam levitatem admirari. Eum Aristionem ex
 Aristotelis, vel ut alii malunt, ex Epicuri schola sophis-
 tam, Athenienses ad Mithridatem legatum miserant; et
 rex benigne acceptum, quoniam magni æstimabat Athe-
 nienses habere socios, in amicorum cohortem receperat:
 ejusque opera in legationibus ad Græcas urbes utebatur.

Posid. ap.
 Athen. v.
 13.
 Appian.
 Posid.

Pausan. 1.

40. Atque ille sæpe domum missitando literas, gratiam
 suam, regisque magnitudinem extollebat. ‘Hujus amici-
 tiam si amplecterentur, et muletas a Romanis dictas fac-
 tuos lucri; et restituto populi imperio, maxima publice
 privatimque a rege munera impetraturos esse.’ Ita le-
 vissimæ parti populi facile persuasum est: et cum appa-
 reret quid esset futurum, optimates qui Romanarum par-
 tium erant, mature excesserunt; cum quibus et princeps
 Academiæ Philo Romam profectus est.

Posid.

Pausan.

Cic. Brut.
 c. 89.

41. Interim Aristio cum sacra quæ in Delo fuerat pe-
 cunia, et duorum millium militum præsidio quod Arche-
 laus adjunxerat, Athenas rediens, tempestate abreptus
 apud Carystios appulit. Hoc ubi populo Atheniensi
 compertum, longæ naves ad deducendum eum mittuntur,
 cum sella argenteis pedibus fulta.

Appian.

Posid.

42. Advenientem effusa civitas excepit, plerique cæca
 in Mithridatem benevolentia, quidam ut spectarent ino-
 pinatum fortunæ ludum, quod obscurus ancillæ filius,
 ascriptitius Athenarum civis, majore fastu, quam Roma-
 norum magistratum spectatus quisquam fuerat, adventa-
 bat. Occurrerant inter ceteros et Bacchici artifices, ‘Li-
 berique junioris (ita Mithridates vocari cœperat) nuntium,
 ad communem focum, epulasque et sacrificia’ invitabant.
 Nam propter felicem ejus reditum sacra faciebant, et
 præcone publice proclamante libabant.

Plut.
 Symp. 1.
 quæst. 6.
 Posid.

43. Ille in domum splendidissime instructam degressus,
 postridie cum insigni vestitu, et annulo cui Mithridatis
 insculpta effigies erat, cum magna antecedentium prose-
 quentiumque turba, in publicum processit. Jam artata
 plateæ erant exitum ejus præstolantium turba, maximus-

que peregrinorum oppidanorumque numerus spontanea concione Ceramicum impleverat. Circa ipsum præcipue premebat inter se populus, satellitum vicem comitantibus hastatis, qui ut populo placerent, hoc munus rapuerant. Alii pro magno ducebant, si vel vestimenta hominis possent contingere.

44. Ante porticum Attali exstructum tribunal erat, unde concionari proconsules Romani consueverant. Hoc consensu Aristion, circumspectans in orbem, deinde sublatis in cælum oculis, ‘ Res ipsa me cogit, Athenienses, patriæque caritas,’ inquit, ‘ ut quæ mihi comperta sunt non reticeam : vicissim eorum quæ dicenda sunt gravitas, et incredibilis rerum conversio vocem intercludit.’

45. Adhortantibus deinde cunctis ut proloqueretur, ‘ Ergo igitur dicenda sunt,’ inquit, ‘ qualia ne per somnium quidem expectare quisquam potuisset. Rex Mithridates Bithyniam obtinet, atque Cappadociam, Asiam præterea omnem ad Pamphylios usque et Cilicas. Reges Armeniorum Persarumque in satellitio habet, Mæoticosque regulos, et qui Ponti universum illum ambitum per triginta stadiorum millia [§] possident. Romani vero duces, Q. Oppius Pamphyliæ proconsul in vinculis sequitur; Manius Aquillius consulatu functus, et Siculo triumpho insignis, Bastarnam quendam quinque cubitorum hominem, catena eadem vinctus, sed equitem pedes sequitur. Cetera togatorum turba vel ad ipsa numinum simulacra effudit spiritum, vel abjecto patrio cultu palliorum beneficio servat.

46. ‘ Civitates autem omnes augustioribus quam hominem fas est honoribus exceptum, Deum fatentur et nuncupant. Oracula quoque passim hunc designatum a Diis dominum et rectorem Orbis canunt. Sed et adsunt ab ipsa Italia legati; adsunt et ab ipsa Carthagine; et ad evertendas Romæ opes, amicitiam regis et societatem expetunt.’

47. Hæc ubi dixisset, silentio interposito, cum capita inter se conferre homines, et de rebus tam inopinatis dis-

[§] *Triginta stadiorum millia*] Leucas nostrates 1250. *Crev.*

serere videret; perfricuit frontem, et resumto sermone, ‘ Quid igitur vobis consulam?’ inquit. ‘ Quid enim aliud, quam ut rempublicam sine certo imperio diutius esse ne sinatis? Senatus Romanus urbis nostræ ad se revocavit arbitrium: vetuitque magistratus officio fungi, priusquam ipse quid fieri vellet constituisset. Ergone clausas aspiciemus Deorum ædes, squalentia gymnasia, theatri hanc solitudinem, et hoc silentium fori? Sacram Iacchi vocem non audiemus amplius? Quid autem Deorum responsis consecrata Pnyx?^b quid vetustissimis religionibus venerabile Castorum templum? Ipsæ denique philosophorum scholæ, perpetuane oblivione damnabuntur, et velut in capta dirutaque urbe conticescent?’

48. His atque talibus animatum vulgus, et inter se tumultuarie collocutum, in theatrum se proripit, et, ‘ quod bene vertat, imperium atque præturam Aristioni’ decernunt. Ille cum in orchestram ascendisset, gratis populo actis, postremo hæc adjecit: ‘ Quandoquidem ergo rei-publicæ summa ad vos rediit, vestris autem sententiis ego lectus sum princeps, æquum est, ut non minus ego possim, quam universi potestis atque polletis.’ Statimque juris usurpandi causa, nomina quorundam, quos collegas esset habiturus, edidit.

49. Neque multos post dies, præsidio militum Archelai fretus, aperte arripuit tyrannidem, grassarique in optimum Appian. quemque aut locupletissimum mira ferocia et crudelitate Posid. cœpit. Unde cum ex urbe multi profugerent, custodias in portis posuit: at illi noctu e muris demittebantur. Igitur emissis qui fugientes persequerentur equitibus, multi ab his occisi sunt, alii in vinculis retracti. Sæpe inter hæc prodibat in concionem cum armato satellitio, multosque studere Romanis insimulans, resque novas moliri, ac clam ad profugos missitare, complures hoc crimine sustulit: aliis ademit bona, tantumque his rapinis congescit nummorum, ut etiam puteos aliquot compleret pecunia. Nec enim civium tantum, sed etiam peregrinorum facultates diripuit: sed nec a Delii Apollinis pecunia sacrilegas abstinuit manus.

^b Pnyx] Locus Athenis, in quo comitia habebantur. *Crev.*

50. Quoties alicui dixisset perduellionis diem, inter iudices ipse quoque suffragium ferebat. Sic qui semel factus esset reus, elabebatur nemo: eratque tantundem, postulatum aliquem hoc iudicio, quam convictum atque condemnatum esse. Unde ceteri exterriti, simul deferri nomen suum intellexerant, in exilium proficiscebantur. Sed Aristion fuga illorum minime contentus, sanguinemque sitiens, terdenis apposis militibus, ne quis egredi se invito ingredive posset, portas custodiebat: et quotquot ab insidiatoribus passim per agros dispositis excipi poterant, eos indicta causa excruciatos supplicio capitis afficiebat. Sed et inter ipsa tormenta multi emoriebantur. Cum sic quoque præsentium malorum sensu minas impendentium vincente, multi profugerent; edixit per præconem, 'ut sub occasum diei domi suæ quisque esset; nec inde postea, vel cum laterna aut funali egrederetur.'

Plut. Syll.

Appian.
et Memn.

Pausan. IX.

Pausan. III.

Appian.

Plut. App.

Pausan. III.

Appian.

Plut.

51. Ceterum Athenis hunc in modum ad Mithridaticas partes adductis, Archelaus tanquam arce belli usus, alias quoque Græciæ civitates a Romanis abalienavit. Inter hos Achæi fuerunt et Lacedæmonii, cum universa Bœotia, nisi quod una Thespiensium urbs obsidionem pati maluerat. Nam Thebani, sive propter amicitiam Atheniensium, sive levitate quadam animorum, ultro partibus accesserunt.

52. Inter hæc Metrophanes qui Delum spoliaverat, cum regia classe vagatus, agros circa Demetriadem, itemque Magnetas, et si qui alii dominationem regis abnuebant, populabatur. Sed hunc Bruttius Sura, C. Sentii Macedoniam obtinentis legatus, cum paucis suis navibus aggressus, navem unam cum hemiolia depressit, et omnes qui his vehebantur, inspectante Metrophane, concidit. Quem contentis velis fugientem negotiatores, qui crudelitatem regionum Deli effugerant, ex insidiis adorti, nova clade affecerunt. Bruttius ad Sciathum insulam appulsis navibus, ubi prædarum receptaculum barbaris erat, oppidum expugnavit, servos in crucem egit, liberorum amputavit manus.

53. Inde profectus in Bœotiam, cum mille præterea hominum equites peditesque ex Macedonia ad eum pervenissent; ruenti torrentis instar Archelao, parvis copiis,

sed excellenti animo prudentiaque fretus, se opposuit. Apud Cheroneam cum Archelao et Aristione triduo continuo est dimicatum: et contra horum vim atque potentiam Bruttii virtus invicta stetit. Cum æquo Marte certatum esset, Archelaus eo ipso se inferiorem judicans, quod superior esse non potuisset, ommissa Bœotia ad mare cessit: donec Lacedæmoniorum Achæorumque auxiliis auctum. Romanus amplius lacessere non ausus, Piræei munitionibus se continuit, ad id usque tempus, quo præmissus a Sylla L. Lucillus quæstor, abstinere Bruttium aliena provincia jussit. Tum enim vir laude dignissimus, quamvis omnia supra votum processerant, et integritate ejus allecta Græcia Romanam amicitiam respiciebat, ne quid præter leges faceret, in Macedoniam reversus est. Archelaus discessu Bruttii cognito Piræeum admota classe statim recepit.

SUPPLEMENTUM

LIBRI LXXIX.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

Liv. Epit. 1. L. SYLLA ex Italia profecto, L. Cornelius Cinna consul, homo fœdus et seditiosus, occasionem novandi res App. Civ. r. adesse ratus, corruptus insuper, ut suspicio fuit, septuagies sestertio,^a perniciosas ferre leges cœpit; ab iisdem illis orsus, quas nuper auctore Mario P. Sulpicius in tribunatu promulgaverat: ‘ ut novi cives in omnibus tribu- Vell. ii. 20. bus suffragia ferrent.’ Ad quam legem sciscendam ex universa Italia civium novorum multitudo ingens concu- Appian. currit. E diverso veteres, et quicumque quæta republica Flor. iii. 21. gaudebant, refragabantur. Apparebat enim rem ad re- Auct. de Vir. Ill. in Cinnæ. vocandos exules spectare, renovandamque malorum istorum acerbiter, unde paulo ante vix eluctata civitas fuerat.

Flor. Appian. 2. Idcirco postquam Cinnani cum sicis veste tectis in forum convolaverant, antiquas in tribus recipi postulantes; melior pars civitatis ad consulis Octavii domum, ne ipsa quidem inermis, confluit. Is quorsum evasura res esset

^a *Septuagies sestertio*] Marcis argenti nostratibus 273 13. unciis 6. Ceterum, quam hic Romano more summam exprimit Freinsheimius, ea haud paulo minor

est, quam quæ ab Appiano memorata est, trecenta nempe talenta, quæ sunt marea argenti nastrates 28125. *Crcv.*

animo circumspectans, ubi majorem tribunorum partem intercedere legi audivit, sed eosdem a novis civibus stricto ferro de rostris deturbari, ad auxilium ferendum per Sacram Viam cum magno civium agmine decurrit in forum, disjectisque adversariis Cinnam reverentia parvis potestatis, et solita ingenii lenitate declinans, in aedem Castorum deflexit. Vell. II. 22.

3. At comites ejus non expectato consulis jussu impetum in novos cives fecerunt; caesisque non multo minus decem millibus, reliquos ad ipsas usque portas urbis insecti sunt. Cinna cum praeter expectationem suam, fusos fugatosque a paucioribus multos videret, per urbem discurrerebat, servitia ad pileum vocans. Sed accedente nemine pulsus ab optimatibus in Campaniam contendit, omnes quas in itinere adierat urbes cohortatus, 'ut jus civitatis nuper acceptum totis animis tuerentur, pecuniasque conferrent.' Hoc apud Tiburtes, et Praenestinos, et alios qui ad Nolam usque colunt, egit. Appian.
Plut. Sert.
c. 6.
Appian.
Auct. de
Vir. Illustr.
Liv. Epit.
Vell. II. 20.
Appian.

4. Neque senatorii ordinis viri adjuvandis Cinnæ coepit deorant, C. Milonius ante alios, Caius Marius, magno illi Mario cognominis, et ob tribunatus repulsam infensus Plut. Syllæ Q. Sertorius. Nam post Atiniam legem, senatores tribunatum plebis petebant: ^b cum antiquitus contra A. Gell. ^{xiv. 8.} fuisset, quia tum tribunis plebis intrare Curiam non licebat, ^c sed subselliis ante valvas positus consulta senatus Val. Max. ^{II. 2.} examinabant. Igitur Sertorius Sylla consule tribunatum Plut. petens, illo adversante cupitis exciderat. Neque enim conducere suis rebus Sylla arbitrabatur, ut, quam depri-

^b *Post Atiniam legem senatores tribunatum plebis petebant*] Manutius, lib. de Leg. Romanis, censet hanc fuisse vim Atinii plebisciti, non ut senatoribus liceret tribunatum plebis petere, (liberum enim semper fuisse populo Romano, tribunatum plebis mandare cui vellet, modo ne patricio,) sed ut qui tribunus plebis creatus esset, is hoc ipso in posterum senator esset. Et sane cum Atinius suam legem tulerit, indignatus quod cum esset tribunus plebis a Metello censore

praeteritus esset, procul dubio sancire debuit, ut tribunatum plebis senatoria dignitas necessario sequeretur. Vid. supra LIX. 54.

^c *Cum antiquitus contra fuisset, quia tum tribunis plebis intrare Curiam non licebat*] Constat profecto antiquissimis temporibus, cum nemo senator esset nisi patricius, tribunos plebis non fuisse lectos ex senatorum ordine. Sed id servatum fuisse ad Atiniae legis tempora, non est verisimile. *Crev.*

mere potestatem cupiebat, eam viro acri atque diserto committi pateretur. Quippe Sertorius ita versatus in foro fuerat, ut adhuc adolescentulus nonnullam in urbe potentiam causis agendis comparatam obtineret; et postea senator, si claros oratores paucos excipias, ea existimatione ageret, ut non alius ejus ordinis solutius acutiusque dicere putaretur.

Cic. Brut. c. 48.
Appian. 5. Ceterum cum ex urbe Cinna profugisset, senatus ei, quod rempublicam consul deseruisset, et ad libertatem vocasset servitia, magistratum abrogavit; in locum ejus L. Cornelio Merula, qui flamen Dialis erat, suffecto. His Liv. Epit. Auct. de Vir. Illustr. Plut. Mar. c. 69. Appian. Liv. Epit. Appian. Cinna compertis cum Capuam venisset, ubi Ap. Claudii exercitus erat, conciliatis sibi tribunis, et quotquot forte ab urbe senatores aderant, consulari habitu in publicum progressus, mox profusus abunde lacrymis discedere cum fascibus lictores jussit.

6. 'Et hos quidem,' inquit, 'vestro hactenus beneficio habui, cives, populi suffragiis creatus consul. Sed incon-sulta plebe honorem mihi senatus abstulit. Acerba omnino ignominia, sed in qua plus vestram irascor vicem, quam meam doleo. Nam mihi quidem unius anni magistratus, vobis in omne tempus jus vestrum, et, si animadvertitis, libertas peritit. Quid enim postea demereri plebem studeant candidati? Aut quorsum vos comitorum potentes, vestraque in manu consulatus atque imperia esse creditis? Si tam infirma atque instabilia beneficia vestra sunt, et quæ bene de vobis meritis dedistis, ea per male meritos tam facile auferuntur.'

7. Simul multa de republica, multa de suis injuriis questus, veste lacerata de tribunali desiliit, et in mediam concionem misso corpore diu jacuit humi: donec permoti misericordia qui aderant, erexerunt hominem, et in suggesto reposuerunt, redditisque lictoribus bono animo esse jusserunt: 'se ubicumque opus esset, auspicia ejus secuturos.' Hac inclinatione vulgi usa pars tribunorum antea Vell. 11. 20. Appian. corrupta, conscendit tribunal, sacramentoque dicto, suos quisque in verba L. Cinnae consulis adegit.

8. Quibus rebus perfectis, circum urbes sociorum discurrit, qui nuper erant in civitatem lege Julia recepti,

quocumque advenisset, tali ferme oratione usus: ‘*Consulem populi Romani, an vero exulem ad vos venisse putetis, interest, cives. Illum mihi honorem libera civium suffragia dederunt: hanc fortunam captus adversariorum potentia senatus imposuit. Cum utra parte vos sentiat, tametsi dubitare non debeam, malo tamen ex vobis coram cognoscere. Mihi sane curæ cordique fuit, ut quæ vobis concessa dataque dicitur civitas, ejus jure commodisque vere frueremini. Neque veteribus civibus meis fieri injuriam rebar, si per me effectum esset, ut vobiscum, hoc est, cum amicis cognatisque suis, stabili pace atque concordia coalescerent.*

9. ‘*Sed videte quanta sit hominum iniquitas, et quanta invidia. Nullam potius civitatem suam, quam vobiscum esse communem volunt. Idem ille senatus, cujus nunc nomen scelestissimis consiliis præscribitur, paulo ante senserat, non alia ratione retineri imperium, pacari Italiam, servari Urbem posse, quam si fidelissimi sociorum, data civitate, in eandem causam pertraherentur. Atqui hoc consilium, cum non prudens modo et humanum, sed etiam felix fuisset, eoque pacto sociale bellum ad tenues redactum reliquias esset; extitere tamen, qui per summam improbitatem turbare composita mallent, quam turbis desideratum diu finem imponere.*

10. ‘*Igitur qui paulo ante quibusdam Italicis gentibus male resistebant, quanquam adjuti a ceteris, non quidem penitus quietam domi rempublicam, sed tamen tolerabiliter agitatam haberent, iidem nondum plane extincto veteri bello, novum et civile parant: super priores hostes, partem antiquorum civium, et omnes eos populos quorum auxilio prius usi sunt, adversarios habituri.*

11. ‘*Nam profecto aut graviter fallor, aut ii non estis, qui deludi vos feratis, sub tam iniquis et impudentibus dominis pristinam servitutem novo nomine toleraturi. Etiam mancipia, quæ ære nostro paravimus, cum emittuntur manu, in quam conditionem venerint, intelligunt; neque minui sibi datam libertatem patiuntur; et de injuria patronorum querentibus jus redditur. Homines, ab ultima origine liberi, quondam æmuli, mox socii et auxilia-*

tores urbis Romanæ, verba sibi dari patienter scilicet ferent! Immo vero jus suum, si modeste agendo nequiverint obtinere, iisdem illis armis, quibus meruere, vindicabunt. Omnium enim, quibus nuper decreta est civitas, eadem nunc causa est, etiamsi fortasse dispari via hanc ad causam pervenerint. Aliis enim, quia pro nobis pugnarunt, aliis, quia contra nos pugnarunt minus atrociter et diu, civitatem dari placuit, obventuram neutris, nisi alteri amare virtutem suam populum Romanum; alteri timere; utrique æstimare docuissent.

12. ‘Atque utinam iisdem animis, quibus promittendam sibi civitatem senatus censuit, præstare voluisset! Nihil nunc his esset contentionibus opus: et in alta pace ac florente republica, veteres simul novique cives mutuæ benevolentiae concordiaeque fructus lætissimos caperent. Sed sive Deorum hæc ira est, nullam diuturnam felicitatem humanis rebus relinquentium; sive hominum tanta importunitas, ut concessam a Diis quietem possit evertere: omnia nunc in contrarium versa sunt, et ultimæ propemodum desperationis iudicio, ipsa in morbum remedia verterunt.

13. ‘Proh Deum hominumque fidem! ideo nimirum datam sociis civitatem esse, ut cum iisdem deinceps civili bello collideremur! At vero aut nunquam datam iis civitatem oportuit, aut bona datam fide. O distorta hominum ingenia! o corruptas mentes! Amicissimos modo populos subito tumultu dissiluisse, repletam armis Italiam, ferro atque igne vastatam, extrema et fecisse socios et passos esse, quisquam sanæ mentis crediderit, pro nomine tantum, non pro jure civitatis? An vero existimare potuerunt, vos, qui in media republica Romana nati plerique et educati estis, decipi tam turpiter posse, ut appellatione civium Romanorum contenti, quo jure quaque conditione Romani cives agerent, non requireretis?

14. ‘Nimirum improba cupiditas dominandi, et suum ad lucrum trahendi rempublicam, ita excæcavit animos, ut homines cetera non cupidissimi tantam hanc tamque singularem amentiam videre atque deprehendere nequeant. Igitur festivo sane consilio, cum aliquanto pluribus darent

civitatem, quam essent ipsi, a quibus dabatur, quinque et triginta tribus veteri populo relictæ sunt; majori longe numero hominum octo videlicet attributæ.

15. ‘At vero quis nescit, ita comparatum esse Romæ, ut maxima quæque negotia tributis comitiis peragantur? His magistratus creantur,^c qui civibus omnibus præsent: his sciscuntur leges, ipsis quoque magistratibus imperaturæ: nec aliud nisi per has, ad pleraque sacerdotiorum iter est. Postremo quibus de criminibus ad populi iudicium itur, suffragiis tribuum decidenda res est. Vos autem, hoc est, universa hæc Italorum multitudo, paucas et extremas in tribus coniecti, tota vita vestra, ne semel quidem ad suffragia vocabimini. Quorum igitur hominum, in his causis quibus tota ferme respublica continetur, nullæ aut exiguæ partes sunt, eos vocabulo civium appellari quid refert, si ab omnibus negotiis publicis, haud secus atque peregrini, abarcentur?

16. ‘Hæc ludibria vos pati non posse, quis miretur, cum ex veteribus Romanis, quotquot æqui justique amantes, et pacis tranquillitatisque studiosi fuerunt, ferre nequiverint? Nec enim ego solus hujus causæ sum amplexus æquitatem: multis et mecum, et ante me idem iudicium studiumque fuit.

17. ‘Sed ista repetentem animum acerbus dolor occupat. Nec enim C. Marii, P. Sulpicii miserabilem casum queam sine lacrymis ac luctu recordari: quorum hic a nefariis latronibus crudeliter interfectus est; illum, post tot consulatus summa gloria gestos, in gravi et sollicito exilio sterilium insularum tristes latebræ tegunt. Et quis postea patronorum vestrorum incolumitatem speret, ubi P. Sulpicium summa nobilitas,^d et ingenium, et tribunitia potes-

^c *His magistratus creantur*] Minores tantum magistratus tributis comitiis creabantur, tribuni et ædiles plebis, quæstores, &c. Sed et quod dicitur infra, leges his comitiis juberi, id de plebiscitis intelligendum est. Leges enim proprie dictæ centuriatis comitiis jubebantur. Postremo de crimine perduellionis, centu-

riatis quoque comitiis, non tributis, iudicabatur. Id tamen observari opus est, in centuriatis quoque comitiis rationem tribuum haberi solitam esse. *Creer.*

^d *P. Sulpicium summa nobilitas*] Unde illam hujus Sulpicii nobilitatem eruat Freinshemius, incomperatum nobis est. Neque enim ad patriciam Sulpicioium

tas; C. Marium multiplicati honores, amplissimæ res gestæ, triumphatus Jugurtha, urbs et Italia haud dubie conservata, non defenderunt?

18. 'Est tamen quorundam animis hæc innata generositas, ut officium anteponant securitati; et vivere cum dedecore, quam perire per virtutem, acerbius putent. An inter hos ego locum ac nomen merear, si viderint, quorum causam tam invisam domi, summorumque hominum morte aut exilio terribilem, nequaquam timide aut contanter suscepimus. Sed neque armis adversariorum petiti, nisi tentata ultima spe, reliquimus urbem; et postea minime despondimus animum, in negotio semel probato susceptoque vel ad extremum spiritum perseveraturi.

19. 'Et dederunt Dii, ut præmium huic esset constantiæ, ceptumque probatum numinibus secunda statim fortuna sequeretur. Nam, qui apud Capuam erat, fortissimus exercitus, tribunis præfectisque et optimo quoque manipularium ad bonam causam ultro accedentibus, sacramento mihi rogatus est; et Prænestini, Tiburtes, ceteri plerique populi, qui inter Capuam et Urbem interjecti sunt, omnia polliciti, haud aspernam pecuniæ summam contulerunt. Aliis etiam passim inclinantibus ad communem causam, eas propediem copias habebo, adversus quas inimici nequeant consistere.

20. 'Nam ut impetu magis, quam consilio, ferri improbitas solet, omnia in eo esse rati, si res urbanas per vim ad sua commoda componerent, adversus ea quæ possent aliunde accidere, nihil providerunt. Caput factionis, homo insigni audacia L. Sylla, quasi nihil referret, esse in civitate, qui armatum et furem legibus agere reum sustineret, cum quinque legionibus, quod firmamentum partium istarum fuit, in longinquam militiam profectus est. Cn. Pompeius, qui alterum exercitum obtinet, nec amicus esse patribus, nec sperare amicos potest, occiso consule, qui missus ab senatu ad accipiendas copias ejus venerat. In ipsa urbe multa sunt hominum millia nostras sequentium partes. In Italia Samnites et Lucani, quantum accisis opibus, bellum sustinent: ut quantum deces-

gentem pertinuisse potuit, qui te ad plebem per adoptionem
tribunus plebis fuit; nisi, for- transierat. Crev.

sit viribus, tantum accessisse animis videatur. Quæ postquam omnia recogitaveritis cum animo vestro, non ad bellum magis invitari vos, quam ad victoriam reperietis.’

21. Non erat difficile concitare propensos ad arma, nec aliud magnopere ad rebellandum, præterquam ducem, requirentes. Qui Latini nominis erant, ‘ nihil se ornatiores auctioresque ’ fremebant ‘ hæc nova lege civitatis. Honestius majores suos in una tamen veterum tribuum ^e suffragia tulisse, quæcumque sors quoquo tempore dedisset. Jam separari tribus antiquas, tanquam consortio Latinorum polluerentur : novas et plane supernumerarias fieri, quibus ascripti haberentur ludibrio, nominis Romani participes, juris exsortes. Certe sapienter olim a Servio rege constitutas centurias, ut egens et infima fæx populi speciem haberet æqui juris, vis omnis penes honestiores esset. Verum in præsentia nec causam huic astutiæ, nec locum esse : multas habere Latium familias, Romanis nec genere, nec censu impares : neque sibi posse fucum tantum fieri, ut nomen pro re, et umbram pro corpore accipiant. Igitur aut vere futuros cives Romæ ; aut si hoc potiri non detur, vanum vocabulum abjecturos. Aliud majores suos olim, seque ipsos modo meruisse, et quotidie mereri, quam ut pro continuis laboribus ac periculis suis, ludibrio haberi ab Romanis debeant, nullam habituris civitatem, si Latio conspirandi cum cetera Italia voluntas venisset.’

22. Hæc Latinis, et si qui alii pro Romanis adversus socios steterant, dicebantur. At apud alios populos, qui positis armis recepti in civitatem fuerant, plus adhuc irarum erat. Acceptis nuper cladibus nondum ad cicatricem pervenerat vulnus, et novæ injuriæ sensu violentius recrudescibat. Præcipue quorum postremo tumultu interfecti fratres liberive ab Octavianis fuerant, vindictæ cupiditate flagrabant. Sed et exules, quorum plerosque non aliam

^e *Honestius majores suos in una . . . veterum tribuum*] Utrum Latini tulerint suffragium in Romanorum comitiis, antequam cives fierent, valde incertum est.

Vid. not. ad Liv. xxv. 3. Ceterum hæc et quæ sequuntur omnia ad c. 23. usque Freinshemius e suo protulit. *Crev.*

ob causam urbe pulsos credebant, quam quod favere illis putarentur, quamprimum reduci, valde existimabant ad rationes suas pertinere.

23. Cum hic omnium sensus esset, haud difficulter obtinere Cinna potuit, ut dicta sua faventes exciperent: Plut. Mar. brevique tempore formidabilem civitati potentiam comparavit. Appian. Nam neque Itali segniter pecuniam virosque præbebant, et affluebant ab Urbe quotidie, quibus præsens respublica displicebat. Idcirco ex delectibus novorum Vell. 11. 20. civium triginta legionibus effectis, ut auctoritatem atque gratiam viribus adderet, C. Marium ceterosque exules ad communionem consiliorum et spei evocavit. Liv. Epit.

Appian. 24. Interea Cn. Octavius, L. Merula consules adversus provisam tempestatem fossis mœnibusque reparandis muniebant Urbem: machinas locis idoneis disponebant: et quia non abundabant copiis, Metelloque procul agente longa spes auxiliorum erat, circum urbes imperio parentes, et in Cisalpinam Galliam missitando, exercitum contrahebant. Sall. ap. Serv. En. x. et Incert. 14. Appian.

25. Ad Cn. quoque Pompeium proconsulem legati ierant, qui ad Adriaticum mare, ubi reliquæ adhuc Italicorum M. Lamponio, Ti. Cleptio ducibus agebant, exercitui Romano præerat. Sed ille, quia frustratus spe continuandi consulatus erat, nihil ad rempublicam, sed ad suam utilitatem omnia consilia referens, ita se dubium et inter utrosque ancepitum gessit, ut Cinnanæ factioni, quam ab initio facillime evertere potuisset, vires daret, nec nisi profligatæ jam optimatum causæ succurreret. Diod. Ecl. xxxvii. Vell. 11. 21. Oros. v. 19. Liv. Epit.

Appian. 26. Aduato igitur exercitu, cum ante portam Collinam castra posuisset; eodem et Cinna cum Sertorio supervenit, neque multo abinde intervallo castra metatus est. Vell. Oros. Pugna deinde inter Sertorium et Pompeium commissa, cum ad sexcentos eecidissent, interventu noctis diremta est. Eo tempore accidit res sæva et horribilis, ut Pompeianus miles fratrem ex adversa acie ignorans ignorantem interficeret. Eum deinde, cum mortuū corpus spoliando fratrem agnovisset, ingenti lamentatione edita, rogam extruxisse memorant; et consensu rogo, cum eodem se gladio transfixisset quo fratrem occiderat, commune cum Siscn. ap. Tac. Hist. 111. 51. Oros. Liv. Epit.

illo bustum habuisse. Miserabile hoc facinus et erat, et Oros. videbatur; sed tot hominum utrimque millia, cum ista de- testarentur, haud leviora committebant.

27. In hoc articulo rerum C. Marius ceterique ex Plut. Mar. Africa ad Telamonem Etruriæ portum appulerunt. Erant cum his equites Mauri, et quidam Itolorum quos in Africam æstus bellorum aut aliæ causæ expulerant; in univ- sum haud amplius mille. Sed ad nomen Marii concurren- tibus multis, cum et ergastula armaret, et ex liberis ho- Flor. III. 21. minibus agricolarum pastorumque robustissimos centuria- Plut. ret, brevi ad sex hominum millia coacta sunt: quibus in Appian. naves quadraginta impositis, cum Cn. Octavium virum Plut. optimum esse nosset, Cinnae se statuit adjungere; præ- missis qui venire Marium, consuli que dicto audientem fore nuntiarent.

28. Ea de re cum ad consilium Cinna retulisset, ceteri Plut. Sert. præter Sertorium omnes cupide recipiendum censebant. c. 6. ‘ Summam in viro virtutem cum pari peritia rei militaris, propemodum certam spoudere victoriam quibus accessis- set. In Urbe, in Italia, in provinciis ubique notum C. Marii nomen, ubique amplum atque honoratum esse. Ne- minem ferme militem veteranum ullis in castris Romanis inveniri, qui sub hoc imperatore non meruerit. Neque ignotum, quantam vim apud militares animos memoria ducum habeat, quorum auspicio vicerint, quorum benefi- cio dona, honores, divitias, famam sint consecuti. Sed et in magistratibus, quos togatus in Urbe gesserit, multam materiam opportunitatemque demerendi homines, concili- andique animos, habuisse.

29. ‘ Quibus rebus jam olim in tanto optimatum odio invictus contra potentissimam factionem steterit, iisdem inclinatum jam et infractam, si præsentibus viribus con- junctus adjuvet et adjuvetur, facile pessumdatum. Sane deceptas ab Sylla legiones pellendo ex urbe Mario, contra vim improvisam haud satis parato, commodasse manus: sed non ideo extinctam hominis audaciam existimationem- que esse. Quin contra accessisse aliquid ad utramque, prodigiis Deorum et inclinatione hominum brevem status mutationem præsentibus. Ideirco citius, quam de red- itu ejus sciri potuerit, rerum omnium inopem, sola no-

minis Mariani admiratione ac favore, exercitum et classem comparavisse.

30. 'Præterea nihil magis convenire consulis actionibus, qui de restituendis exulibus tantopere depugnarit, quam C. Marium recipi, exulum omnium haud dubie principem: idque nisi fiat, apud multos orituram suspicionem, aliud simulatum illis contentionibus, aliud quæsitum esse. Præterea cavendum, ne, velut hac repulsa irritatus, in contrarias partes transeat homo, contumeliæ omnis impatiens, et ad vindictam præceps. Nunc occupari eum, retinerique benevolentia posse. Ubi hoc tempus prætermissum fuerit, seram neglectæ occasionis pœnitentiam fore.'

Plut. Sert.

31. Adversus hæc atque talia, Q. Sertorius omnia alia censebat, sive, tanto viro præsentem, minoris se æstimatum iri putans; sive, probabili causa motus, acerbiter Marii, et implacabilem in victoria animum procul rebus urbanis habendum existimabat. Is ergo hunc maxime in modum disseruit:

32. 'Quæ de virtute atque gloria C. Marii dicta sunt, neque ab inimicis ejus negantur: et ego neminem eadem ætate imperatorem cum hoc comparari posse arbitror. Ceterum quemadmodum reliqua quæ oriuntur et occidunt, stata crescendi minuendique tempora habent, neque fines a natura præscriptos transilire possunt: ita et humanæ virtuti suus ortus, deinde maturitas, postremo quæ illam extinguat, senectus est. Nec aliter de gloria judicaverim. Multorum hodie vix nomina cognoscuntur, quos scimus vetustis temporibus clarissima fama floruisse. Priorem autem gloria virtutem esse, necessum est, cum hæc illa consequatur. At, quæ posterius orta sunt, diutius manent. Eo fit, ut non idem utriusque sit finis atque terminus, sed ferme tum præcipue vigeat fama, postquam longa ætate, aut morbo corporis, aut alio veluti situ virtus emarcuit. Idecirco, cum nulla fuerit unquam respublica magnorum ducum feracior, ubi commentarios historiæ Romanæ atque annales omnes evolveris, neminem reperies, cui ad hos annos ille vigor animi ac corporis, quem virtutem vocamus, duraverit.

33. 'Unde sapienter a majoribus nostris constitutum

est, ut post quinquagesimum annum militiae sit vacatio; a quinto et sexagesimo^f senator venire non cogatur in Curiam; in comitiis de ponte sexagenarii dejiciantur. Quae profecto illis non placuissent, nisi senectus ita corporis animique vires enervaret, ut iidem homines, postquam aetate mutati sunt, minime iidem esse videantur.

Sen. de
Brev. Vit.
c. 20.
Fest. in
voce 'De-
pontani.'

34. 'Hæc mihi visa sunt in præsentī consultatione diligenter attendi debere: ne decepti et opinione falsi, alium quæramus Marium, alium adipiscamur. Nam ille profecto Marius, qui Jugurthæ fregit ferociam, qui Cimbro Tentonosque decantatissimis pugnis contudit, olim est mortuus: nomen tantum et hæc velut umbra Marii superant, quam nuper L. Sylla, postquam semel contemnere ausus est, nullo labore profligavit. Ab illo tempore calamitatibus et miseris conflictatus, quales etiam juventutis extinguere vigorem potuissent, quod robur ad communem causam, quas ille vires affleret?

35. 'Sed fac, alia sorte C. Marium, quam ceteros mortales, vivere; tempori et annis licere in illum nihil, quod tamen res ipsa refutat: an igitur recipiendus est? Ego vero, admirentur licet qui ad pauca respicientes cetera non animadvertunt, ego, inquam, vel ob hoc ipsam dicerem recipiendum esse minus. L. Cinna consul, ceterique duces omnes, sub unius senis umbra latere videremur; ab hoc defendi; huic debere victoriam.

36. 'At vero quæ nos tanta necessitas subigit, ut alienam gloriam supra modum extollendo, nostram existimationem infra meritum deprimamus? Res nobis est cum optimatibus, Syllæ discessu propemodum exarmatis. Sub segni duce tiro exercitus, tumultuario contractus delectu, et urbis vastæ aliis munitionibus indigenis munitio, graviora scilicet, quam sustineri queant a nobis, bella minantur? At nobis, præter veteres copias, arma virosque omnis Italia subministrat: passimque concurrentibus ad signa civibus novis, cohortes paulo minus trecentas effecimus. Inesumus, aut videri volumus, ut tantis instructi exercitibus, non pecuniæ, non commeatus indigi, hoc bellum conficere

Strab. v.
p. 234.

Vell. II. 20.

^f A quinto et sexagesimo] A sexagesimo, teste Seneca.

desperemus, nisi alterius virtute atque opinione adjuvemur?

37. 'Sic quoque, bello propemodum profligato, paucisque ad summam victoriæ reliquis, horum omnium gloriam arbitriumque Marius rapiet, æmulorum impatiens, (quod vitium, cum alia minuantur annis, in senectute fit validius,) et, ubi de potentia agitur, fidei haud sane tenax. Quantis ille suspicionibus nuper P.¹ Rutilium consulem legatus torserit, omnes scimus: et quamvis, qua est astutiâ, mire innocentiam simularet, minime persuasit reputantibus qualis in Q. Metellum fuisset. Neque enim est expectandum, ut qui junior senem, prætorius consulem, legatus imperatorem non est reveritus, is cuiquam juveni senex et sexies consul concedat.

38. 'Hoc ingenio virum apud hostes nostros, quam nobiscum, esse longe malim: adeo nihil moveor curis metuentium, ne ad partes optimatum² transeat. Transeat vero, et ibi potius consilia turbet; æmulationes exerceat; ceterorum conatus ambitione et discordia moretur. At vero magnum nobis præsidium detrahemus, idemque adjiciemus adversariis. Ego vero non video, quid his rebus afferre momenti queant decrepitis imperator, et piscatoria navigia, et manipulus pastorum cum agrestibus armis. Ille sane classem et exercitum vocet: nos collectam ex agris et ergastulis multitudinem esse comperimus: ejus generis arma consociari nostris, si nos pati possimus, milites non ferent, quotquot sunt Romani nominis et sacramenti memores. Sane extremis temporibus servos armari necessitas defendit: sed, ubi hæc abiit, honestorumque militum est copia, nemo prudens hoc dedecus ultra sustinebit. Hostibus potius hanc optemus infamiam, ut civibus suis ereptum ire suffragia et tribus servili manu dicantur. Nihil æque retinebit in partibus eos qui jam coiverunt ad communem causam; et dubitantes explicabit.

39. 'Ceterum ego plus timeo, ut vel hic accedere nostris adversariis, vel illi hunc recipere velint. Odit, odioque

¹ *L.* pro *P.* legebatur ante Crev.

² *Optimates* edd. ante Crev.

est nobilitati : neque tanto temporis tractu, postquam ille semel accessit ad rempublicam, ulla occasio premendi invicem sugillandique prætermissa est. Ideoque nuper, cum de eo L. Sylla consul ad senatum retulisset, præter unum hominem, adolescentis Marii socerum, nemo patrum fuit, ejus ille sententia hostis non judicaretur. Quis credat, tantillo tempore sensum atque memoriam tantæ injuriæ excidere animis potuisse, ut fida concordia stabilique fœdere conjungantur ?

40. ‘ Marius his corpus suum salutemque credet, a quibus proximo anno hostis judicatus est ? An illi causam suam urbemque aut exercitum committent Mario, ejus irritabilem animum non ignorant, recenti offensa, nihil aliud quam ultionem meditari ? Scilicet Cn. Octavius ea de re ad senatum referet, tam eminente in Syllanam factionem studio, ut delectus ab Sylla fuerit, quem tecum, L. Cinna, immo contra te consulem faceret ? Decernent vero tum alii, tum vero cupidissime Q. Catulus, post interversum Cimbrici belli decus semper obliquus ?

41. ‘ Quintus autem Metellus et Cn. Pompeius, qui soli nunc justos exercitus habent, hunc enixe recipient juvabuntque ? Ille paternarum inimicitiarum hæres, hic tam cupidus imperiorum, ut traditum consuli exercitum necesse illius repetere non sit veritas, nedum ille recipi exulem sinat : eum præcipue, quem in hanc fortunam ex nimia cupiditate provinciæ et exercitus incidisse norit. Nempe si decretum ab senatu bellum Mithridaticum adimere L. Syllæ Marius voluit, et propemodum potuit : quid Pompeio relinquitur spei, a quo non modo retentus contra voluntatem patrum exercitus, sed etiam missus ab senatu consul occisus est ? Enimvero hæc vel præcipua nobis cautio esse debet, ne hominem tot atque tantis inimicitiis obrutum ita complectamur, ut in nos expetere odia ipsi debita possint. Multi haud dubie nostras, aut etiam neutras partes sequentium, ubi hunc³ nobiscum esse audient, odio metuve illius in adversa castra conjicientur.

42. ‘ Igitur modis omnibus id aspernari ac rejicere consilium debemus, quo nobis et difficilius bellum fiat, et

3 Ubi nunc legitur in edd. ante Crev.

invidiosior victoria. Nam ille, ubi fortuna nos adjuverit, vindicare privatas inimicitias communibus armis volet: et, supra naturam sævam atque sanguinariam, contumelias suas et pericula nuperæ fugæ in consilium adhibebit. Nondum hæc erat passus, cum ob tribunos ab exercitu lapidatos, quanquam ante fores ultor esset, multos insignes viros propter amicitiam Syllæ necavit. Quantas illum strages editurum putemus, ubi vacuus metu, incensus malis, arbitrio suo de inimicis vindictam sumet?

43. ‘ Sed ea res multa cooperiet infamia victoriam nostram, summoque nos pudore ac tristitia conficiet, qui utique non sanguinem civium, sed concordiam, et reipublicæ salutem, et sua cuique jura integra atque illæsa optamus, et his gladiis non aliam ob causam cingimur. Accedit adolescentis Marii simillima paternæ naturæ perfidia et crudelitas: quem ubi receperis, consul, jam noveris, qua sit agendum modestia, ne te ille puer, jam insigni specimine indolis edito, L. Porcium esse putet. Erant et alia quæ moneri utiliter potuissent: sed ego aut hæc quæ dixi suffectura vobis credo, aut nihil profecto futurum satis.

Sup. LXXV.
20.

44. ‘ Quid igitur C. Mario suam offerenti operam respondebitur? Dicam equidem quod sentio: quidlibet potius, quam recipi. Sed hoc forte neque indignum nobis, neque rebus præsentibus inutile fuerit, ita responderi: Quod C. Marius, quique cum eo sunt, operam suam L. Cinnæ consuli rei que publicæ obtulit, id rite ab eo factum, omnique favore dignum videri. Ceterum L. Cinnæ consulis opes in præsentia tantas esse, ut propediem ad Urbem, certa spe boni successus, admovere signa decreverit. Inimicorum coërcita pravitate curæ consuli fore, ut et ceteri, qui essent per vim ejecti, et præsertim C. Marius, quantoocyus restituantur. Interea posse illum se tenere tutis locis: omnes hostium copias ab illo in se advocaturum esse consulem: et si præter spem urgeatur, ad primum nuntium, quod satis sit ad præsidium ejus copiarum affore. Ita nec invidia aliena onerabimur: et si quid utiliter in rem nostram conari Marius poterit, id nihilo segnius, et citra fraudem nostram fiet.’

Plut. Sert.

45. Hæc ubi sunt a Sertorio dicta, L. Cinna, ‘ recte

quidem atque salubriter admoneri' fatebatur: ' ceterum pudore se contineri, ne Marium excludat, quem in societatem belli ultro advocasset.' Ibi Sertorius excipiens, ' Atqui ego,' inquit, ' quod sua sponte Marium in Italiam venisse arbitrabar, eam sententiam dixi. Quod si accitui tuo adest, transacta res erat, neque revocari in deliberationem debebat.' Ita receptum Cinna appellavit proconsulem, fascisque ad eum et alia magistratus insignia misit. Sed ille, convenire hæc exulis fortunæ negando, sordidatus atque squalidus lento passu incedebat, misericordiam concire studens. Sed prominebat atrox animus, effertumque potius calamitate, quam domitum, torvitas vultus indicabat.

Plut. Mar.
Liv. Epit.
Diod. ap.
Val. Plut.

46. Salutato consule, et ad milites oratione habita, de bello deliberatum inter duces est. Oppugnandam esse Urbem conveniebat, invitante præter alia consulis Cn. Octavii segnitie, non tam imperitia, quam intempestiva legum cura, occasiones corrumpentis. Inter quæ, jubentibus multis ad defensionem Urbis libertate proposita, servorum auxilio uti, negavit, ' servis se contra leges daturum eam civitatem, unde C. Marium legibus parens arceret.' At longe alia Cinnanis ratio erat, qui, quatuor factis exercitibus, pro numero ducum, (nam præter Cinnam et Marium, seorsim Q. Sertorius, Cn. Papirius Carbo ducebant,) Tiberim amnem clauserant. Ex adverso Urbis Cinna et Carbo habebant castra: supra Urbem Sertorius, infra C. Marius consederant: et, pontibus ubique impositis, dimissisque ad diripiendos negotiatores lembis, ne quid importari in Urbem posset, prohibebant.

Flor. iii. 21.
Appian.

Plut.

47. Ostiam quoque coloniam proditione quorundam expugnavit Marius, multisque in ea perentis civibus, oppidum nefanda strage diripuit: omnibus avaritiæ, libidinis, sævitæque exemplis ibi editis. Ab alia parte Ariminum, missis eo copiis, Cinna redegit in potestatem: quo facto, quæ in Togata Gallia collectæ copię erant, excludebantur. Unde arctæ in Urbe res esse incipiebant: tantam multitudinem cito premente comœtuum inopia; variisque interim obortis difficultatibus, cum longe omnia auxilia essent; populus animis, senatus consilio,

Liv. Epit.
Plut. Flor.
Oros.
Appian.



magistratus auctoritate, concordia omnes deficerentur:⁴ multoque plus virium divisa in partes Roma haberet, quo se opprimeret, quam quo defenderetur.

48. Hæc nimirum illa est Romana respublica, cujus magnitudinem omnes mirantur; et solertissimus quisque rebus suis optime consultum existimaret, si ad eadem pervenire sineretur. Enimvero nusquam illustriora documenta extiterunt, quam nihil sit in opibus atque potentia, bellique virtute, boni, si scientia desit utendi. Quemadmodum enim Herculi furenti longe fuisset satius armis membrisque uti non potuisse, quam librasse gravem clavam, et volucres emisisse sagittas, quibus semetipsum carissimis pignoribus spoliaret; ita civitati præstat exiguas habere vires, quam prægrandes, quibus in suum exitium abatur. Ego certe, si detur optio, ejus civitatis civis esse minime vellem, quæ gentibus omnibus imperare diceretur; ceterum per intestinos tumultus nemini suorum salutem atque dignitatem tutam præstare vel in horam posset. Igitur concordiæ studendum fuerat, quæ non nisi justitia et bonis moribus continetur.

Arist. Eth.
IX. 6.

49. At pro his quidem ubique nunc perfidia, perjuria, sordes, ambitio, luxus invaluit: quibus rebus homines nihil aliud quam lædere et lædi docentur. Ergo his proximis annis, nullum ferme toto orbe terrarum imperium fuit, quod non sævissimis motibus concuteretur. Et sicuti singulis hominibus facilis in morbos ex bono corporis habitu transitio est, ex mala valetudine in commodiorem ægre eluctamur: ita, quid de moribus hujus ævi sperandum videatur, nolo ominari. Certe parum abest, quin optimi quique sapientissimique desperaverint; quando jam soli deponunt imperia,⁵ qui soli fortasse, si hæc emendabilia rerumpublicarum vitia forent, emendare potuissent.

4 *Dejicerentur* edd. ante Crev.

//////////

⁵ *Quando jam soli deponunt imperia*] Intuetur hic Freinsheimius, et non incallide laudat Christianæ Suedorum reginæ abdicationem. Crev.

SUPPLEMENTUM

LIBRI LXXX.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

1. **I**N his angustiis cum deprehensa respublica esset, omnia circumspiciens senatus, nulla satis aut matura, aut firma præsidia reperiebat. L. Sylla, in quo spes esse maxima potuisset, procul in Græcia gerebat cum Mithridaticis copiis bellum : servitia si armarentur, plus dedecoris allatura, quam auxilii putabant. Unicum erat haud pœnitendum, ut in tali tempore, consilium, ‘ ut Italicis omnibus, modo arma posuissent, civitatem darent. Ita et illos, et, qui adhuc eo bello implicitus erat, Q. Metelli exercitum, velut communi patriæ succursuros.’

Appian.
Civ. I.

Liv. Epit.

2. Sed Italicorum nemo ferme præter Lucanos et Samnites supererat. Lucani Cleptio et Lamponio ducibus *Asiam* oppidum^a munitum in Bruttis longo tempore inani conatu obsederant: Rhegium etiam oppugnare conati erant, si potiti ea urbe fuissent, Siciliam petituri. Sed prætor insulæ C. Norbanus, magnitudine apparatus territis Italis, periculo Rheginos eripuit. Ergo Lucani, beneficio senatus usi, Syllanis partibus se adjunxerunt. Cete-

Diod.
XXXVII.

^a *Asiam oppidum*] Interpres Diodori corruptum esse hoc nomen judicavit, et ejus in locum substituit *Isias*. Crev.

rum id quidem in præsentia modicum gaudium fuit, quod infirmior ea pars sociorum, et in ultimum Italiae angulum summotâ erat.

Liv. Epit. 3. Samnites, qui jam soli arma retinebant, Campaniam-
Appian. que et superiores regiones vexabant, conciliare, majus operæ pretium fuerat: sed dum honestas condiciones senatus expectat, a Mario nihil non tribuente præventus est. Q. Metello Pio consules eo de negotio scripserant, castra contra Samnites habenti, ut, quibus posset conditionibus, cum iis transigeret. Sed illi civitatem non sibi modo, sed etiam iis, qui ad se transfugissent, paciscebantur: præterea prædam undecumque ablatam retinebant: postremo captivos atque transfugas omnes sibi restitui postulabant. Quæ tam inhonesta cum neque Metellus, neque patres concederent; Cinna quid ageretur sentiens, auctore Mario, quæcumque petissent pollicitus, Samnites partibus suis adjunxit. Ab his deinde, cum Romam arcessitus Q. Metellus esset, A. Plautius cum exercitu oppressus est.

Appian. 4. Inter hæc Appius Claudius tribunus militum, qui
Plut. Mar. Janiculo præerat, ut Mario beneficii, nescio cujus, gratiam referret, circa diluculum semiaperta porta eum intro-
c. 70. misit. Cinna quoque cum parte exercitus eadem ingressus est, statimque ad captæ Urbis rumorem Sertorius et Carbo accurrerunt. Sed, Octavio consule et Cn. Pompeio celeriter arma opponentibus, locum tenere non potuerunt.

Plut. 5. Circum hæc tempora Cinnæ insidiis petitus Cn. Pom-
Pomp. c. 5. peius, consilio adolescentis filii, quem postea Magnum
Vell. 11. 29. terrarum orbis agnovit, est conservatus. Is a virili toga
Cic. pro commilitio patris assuetus, contubernalem L. Terentium
Leg. Manil. habebat, quo plurimum et familiarissime utebatur. Sed
c. 10. corruptus a Cinna Terentius ita partes cum sociis divi-
Plut. serat, ut illi tabernaculum ducis incenderent, hic per insidias tolleret Pompeium. Tam atrocis propositi indicium cœnanti Pompeio delatum est. Quo dissimulato, adolescens hilarius etiam solito bibit, et cum Terentio, qua solebat comitate, agere perseveravit. Deinde cubiculum ingressus, ubi proditoribus satis persuasum esse,

quod volebat, censet, clam subducit se a tabernaculo, firmaque patri circumposita custodia, eventum quietus expectat. Interea Terentius, Pompeium in eodem contubernio dormire putans, clam e cubili surgit, correptoque gladio lectum Pompeii repetitis ictibus confodit.

6. Hinc orto tumultu, magna consternatio incessit¹ copias, odio ducis, et ad defectionem pronis animis, ad quamlibet occasionem mobiles. Jamque diripi tentoria, sumi arma cœperant: neque proconsul obviam ibat, offerre se tumultuantibus non ausus. Adolescens Pompeius, mediis agminibus immixtus, prehendebat milites, lacrymabatur, supplicabat: postremo abjecto in porta castrorum corpore, illac jubebat transire fidem mutatuos. Donec multo fletu et deformitate spectaculi retento militi rediit pudor, et præter octingentos qui jam ad Cinnam transierant, reliquus exercitus pacatus, imperioque proconsulis restitutus est.

7. Minime tamen diuturnus receptæ potestatis usus Pompeio fuit. Paulo enim post utrumque exercitum pestilentia invasit: et de Pompeii copiis hominum millia undecim, de Octavianis sex desiderata sunt. Deinde ingens apud Romam tempestas orta est, et castra, præcipue Pompeii, tam crebris percussa fulminibus, ut ruere cælum videretur. Arma signaque passim tacta: milites, et quidam ex illustribus, exanimati sunt: ipse quoque proconsul fulmine afflatus interiit. Tam improvisum viri exitum singularis etiam exequiarum ignominia comitata est. Quod enim, inperio et maximis exercitibus instructus, periclitanti patriæ tempestive subvenire neglexerat; in tantum populi Romani odium venit, ut lectum ejus, cum ad rogam efferretur, diriperet, corpusque omni contumelia affectum unco traheret.

8. Dum ista fiunt, Marius relictis supra infraque Urbem ad arcendos commeatus præsidiis, ut etiam ex agris subvectionem omnem amputaret, vicina oppida, in quibus populi Romani horrea erant, subito aggressus, Antium, et Ariciam, et Lanuvium, et præterea nonnullas alias colo-

Vell. II. 21.

Oros. v. 19.

Appian.

Jul. Obseq.

Plut.

Pomp. c. 1.

Jul. Obseq.

Vell.

Plut. de

his qui sero

a num. puniuntur, c.

15.

Appian.

Liv. Epit.

Oros.

Appian. nias, vi aut prodicione potitus, deletis propemodum habitatoribus, devastavit. Inde, priusquam aliis ex locis importari aliquid rerum necessariorum posset, Appia Via Urbem petens, assumtis ceteris ducibus, intra tertium decimum lapidem castra posuit.

9. Contra ab Urbe consul Octavius, cum P. Crasso et Plut. Mar. Q. Metello, venientibus occurrit: virtute numeroque mi-
c. 71. litum non inferior; neque impar negotiis, nisi quod rebus turbatis eadem omnia custodienda credebat, quæ composita republica erant constituta. Inde lenta et impedita consilia quasi vinctum constrictumque hostium audaciæ præbuerunt: qui omnia ausi, duces, milites, ad extremum servos, quibus quemque poterant artibus promissisque excitabant. Exercitus Pompeii post interitum proconsulis Q. Metellum ducem optaverat.^b ‘Sub impigri viri ductu, neque virtutem sibi, neque fortunam defuturam esse.’ Q. Metellus, quod ea res contra leges fieri videretur, legatos cum minis et conviciis adire consulem jussit, et illi audientes dicto esse. At vero milites consulem, ut segnem et rerum imperitum aspernati, signa ad hostes transtulerunt. Appian. Crebra inter hæc et ex Urbe transfugia fiebant, servitorum maxime, cui generi circummissis ad Urbem præconibus libertatem Cinna promiserat.

Liv. Epit. 10. Eo jam perventum erat, ut spes resistendi nulla superesset. Ducum alias segnitias, alias perfidia rem corrumperebat. Appian. Militum quoque corruptum vulgus aut pugnare nolebat, aut palam transibat ad hostes. Urbana plebis, si annonæ inopia diutius premeretur, desperatio haud minus formidini optimatibus, quam superiora, erat.

11. In tantis angustiis convocato senatu, plerique mutato consilio ‘mittendos ad Cinnam legatos’ eusebant, ‘de conditionibus pacis acturos. Nihil civili bello fues-tius, omnesque præ illo tolerabiles calamitates esse. Op-tandum sane fuisse, postquam eo Deorum ira perventum esset, ut pars modestior vinceret: sed adversus vim majore-

^b Exercitus Pompeii... Q. Metellum ducem optaverat] Hoc narrat Plutarchus de ipsis Octavii militibus. Sed non absurde videtur, etsi nullo auctore quem quidem sciamus, narrationem Plutarchi correxisse Freinsheimius. Crece.

rem resisti non posse. Omnia expertos, ut sibi atque Urbi consulerent, nihil proficere : quin ipsis remediis morbum invalescere. Transitione militum et plebis auctas Cinnæ Mariique in immensum copias : et plures propemodum inde militare, quos ipsi, quam quos hostes, sacramento rogassent. Reliquorum etiam magnam partem, corpore apud ipsos, animo votoque cum adversariis agere. Non igitur dubitandum, quin mittendis legatis tentanda sit compositio. C. Marium, L. Cinnam, illum senectam suam et tot magnifica non ita clausurum, hunc primo consulatu et maturitatem votorum et summi loci dignitatem non ita inchoaturum, ut ille gestis honoribus, hic speratis, indignus videri debeat.

12. ‘ Quod si quis diffidere malit, et præsgo animo futurorum malorum acerbitatem enarrare, ei hoc fore cogitandum, neque illa evitari, hac quidem ratione, et provocari præterea plura posse. Non ita cum rebus humanis agi, ut quolibet tempore teneri queat tuta et periculorum expers via. Plerumque de eo tantummodo deliberari, utro modo miseriarum sit futurum minus. Sane non esse inanem metum eorum qui vehementiam Cinnæ, qui asperitatem Marii timeant. Sed, ut omnia quam possint procedant pessime, in paucos forte expetituram calamitatem : populum certe Romanum Urbemque in tuto fore.

13. ‘ Neque scire ipsos, qui hanc sententiam dicant, utrumne illorum sanguine satiare cupiditatem ultionis inimici velint : sed ita existimare, sibi subeunda potius extrema omnia esse, ut Urbem servent, quam committendum, ut suæ incolumitatis gratia, rempublicam inexplicabilibus malis involvisse dicantur. Mortem cuivis tolerandam esse : felices qui ob patriam oppetierint ; feliciores etiam, si anteventant avertantque populi cladem : cui, si trahatur obsidio, fame pereundum sit ; si pugnando vincat hostis, ferro. Quod si forte Cinnæ aut Marii suspecta quibusdam sit fides, pactis obligari et jurejurando posse : et ut sic quoque non omnia respondeant votis, mitiorem tamen sperari victorem posse, cui conditiones et preces, quam cui arma opposueris.’

14. His atque talibus pauci, et præcipue Q. Metellus,^c obsistebant. ‘Vellem equidem,’ inquit, ‘aut civibus nostris modestia, aut senatui animus constitisset: nulla extitissent civilia bella, aut compressa in ipso exortu fuissent: neque nos novæ deliberationis egeremus. Sed quia pessimi quique omnia audent, boni omnia formidant, in hunc nimirum statum res pervenit, ut leges ab his cogamur accipere, quibus, si leges valerent, nullus esset consistendi tota Italia locus. Mihi sane etiam servari rempublicam, consuli civibus, parci vitæ tot millium, parci incolumitati placet. Sed sera hæc est, postquam nulla nobis restat qua servari respublica possit, deliberatio: et reliquis ejus quemadmodum rectissime consulatur, ambiguum faciunt, qui placitam nuper sententiam ob duriores quosdam eventus mutaverunt.

15. ‘Dudum enim concors senatus censuit, contra vim fugitivorum et exulum, armis defendi rempublicam oportere. Nunc eandem illam sententiam damnant plerique qui tulerunt, dum legatos mitti jubent, et velut cum justis hostibus de pace agi. Sed id quidem sine maximo tum pudore, tum etiam incommodo fieri a nobis nequit. Sic enim omnia tot mensium decreta una opera rescindimus; et paucorum exulum potentiæ cedere senatus majestatem patimur; eoque et malorum confirmamus audaciam, et bonos exarmamus, pauloque minus quam vinetos tradimus inimicis. Qui enim hætenus omnia pro communi salute promte enixeque fecerunt, quique facturi fuerunt postea, ii, patrum timore perspecto semel, concident animis; et fortasse non expectato donec in commune transigatur, sibi quisque propitios celeri obsequio efficere volet, quos paulo post habendos sibi dominos intellexerit.

16. ‘Atque ipsa illa transfugia, quibus concussi quorundam animi contremiscunt, ab hac dubitatione magis, quam ab ulla alia causa profecta sunt: mansuris in fide plerisque, si quanto conatu oppugnari rempublicam vident, tanto consensu defenderetur. Contra famem multa remedia excogitavit necessitas. Conferendo in publicum

^c Q. Metellus] Vid. not. ad LXXXV. l. infra. Crev.

quod privatim quisque continet, dimittendo frumentum, emittenda inutili turba, sæpe quæsita repertaque est avertendi extremum exitium opportunitas. Denique hoc ipsum Capitolium teneri contra Gallos nequivisset, si tam mollis adversus famem illa ætate fuisset Romana juvenus.

17. ‘ Sed nunc, aiunt, non est res cum Gallis : Marius et Cinna ante portas sunt, et ceteri, qui videlicet Romano sanguine orti, pietatem patriæ præstabunt, civibus veniam, pactis fidem. Hei mihi quam celeriter pœnitebit vos huius opinionis, simulatque horum in potestate corpora vestra, conjugumque, et liberorum, erunt ! Neque mihi hæc ignorare aut contemnere videmini, sed tædio præsentium quidlibet malle. Sed hoc parvi infirmique animi argumentum est, neque ferre valentis quæ adsunt, neque duraturi in iis quæ elegerit.

18. ‘ Quibus autem forte decretum est omnia pro patria pati, pro hac² opes fortunasque suas, pro hac spiritum atque vitam profundere, rectius cum ad utilitatem præsentium, tum ad famam posteritatis facient, si potius in tuenda civitate dignam viris mortem obeant, quam si deserta traditaque, tyrannorum arbitrio aut cum cruciatu intereant, aut cum ignominia vivant. Magna vis est ad audenda quælibet, etiam singulis et contemtis hominibus, si semel cupiditatem abjecerint vitæ : multos atque egregios viros quibus ea ratio placuerit, ne destinata exequantur vix ulla potentia satis arceat.

19. ‘ Omitto Scævolas, et Coelites, et Curtios, et tot decora nomina, quæ liberis vestris inculcare soletis, ut horum exemplo amare patriam discant. Meminerimus eorum quæ vidimus ipsi : multas sæpe urbes, cum ad extremum necessitatis venissent, constantia defensorum servatas ; alias cum servari potuissent, mollitie civium deditas, tristissima quæque passas esse. Sunt nobis adhuc militum fortissimorum fidelissimorumque haud spernendæ copiæ : est melior hæc et amantior patriæ pars populi : arma machinæque supersunt : urbs diligentia consulum, quoad fieri potuit, munita est.

² Pro hoc ante opes, et paulo inf. ante spiritum, legebatur in edd. usque ad Crev.

20. 'His rebus non desperem tamdiu resisti hostibus posse, donec Fortuna aperiat meliori spei locum. Multa, cum desperata pro insanabilibus essent, subito aliquo casu commodiorem in statum reducta sunt. Aliqua inter duces factionis oborta suspicio, res apud pravos et æmulos vulgata, mutabit omnia: ipsum Urbis periculum invitabit multos, ut misereri et succurrere velint: et sunt egregia cum alii populi, tum qui Cisalpinam Galliam colunt, in rem Romanam fide; summusque noster pudor foret, si diutius illos Ariminum, quam Cinnam et Marium, defendentibus nobis, Roma moretur. Si nulla spes sit alia, Syllam revocemus: aut si hæc quoque intolerabilis mora videatur, ipsi potius concedamus novis civibus quod petunt. Ubi senatum populumque habebunt hujus beneficii auctores, Cinnam et ceteros ejusdem sortis non ultra morabuntur.'

21. Frustra hæc in tanto plurium metu dicebantur. Idcirco cum legatio decerneretur, Q. Metellus, urbis salute desperata, ut melioribus se temporibus servaret, in Ligures primum, deinde ex Liguribus in Africam est profectus.

Plut. Mar.
Appian.
p. 398.
Liv. Epit.
LXXXIV.

Appian.
p. 392.

22. Legatos, priusquam inciperent fari, L. Cinna interrogavit, 'ad consulemne, an vero ad privatum venirent?' Hærentibus illis, deinde ad consulendum senatum in Urbem reversis, magna etiam ingenuorum civium multitudo ad Cinnam se contulit: multi famem veriti; pars major jam ante illis partibus addicta, et ad nudandos animos opportuna tempora captans. Inde mirifice confirmatus animo Cinna, sub ipsis mœnibus Romæ extra jactum teli consedit. Nec enim Octavius objicere sese audebat, transfugiis et legationibus omne homini consilium omnemque propemodum mentem eripientibus.

23. Senatui non plus animorum, quam Octavio supererat. Cinnam pro consule habere, id vero erat exauctorare Merulam, quem sanctissimo sacerdotio præditum, sine ulla sua culpa, juste partis honoribus exui triste; contra, Cinnæ non obsequi exitiosum habebatur. Ut rebus trepidis solet, utilibus honesta cesserunt: et L. Merula consul, egregii civis officio functus, verbis in senatu, deinde ad populum factis, 'Ego vero,' inquit, 'si præter hos

Diod. ap.
Val.

fascēs nihil impedimento paci est, paratus vobis dux et auctor ad concordiam ero. Quod igitur senatui populoque Romano bene vertat, consulatum quem invitus accēpi, lubens ecce depono.⁷

24. Post abdicatum a Merula magistratum, legati ad Vell. ii. 22. Cinna tanquam consulem remissi sunt : neque multa iis Appian. mandata dari tempestivum fuit. Id unum Cinna, ut cæ- Plut. App. dibus temperaturum juraret, rogabatur. Ille jurare per superbiam abnuit. Se tamen volentem negavit cuiquam mortis causam fore. Octavium etiam, qui circumita Urbe per aliam portam erat ingressus, moneri jussit, abstineret publico, ne quid ei se invito accideret. Hæc de loco superiore, tanquam consul, legatis respondit. Ad curulem ejus Marius astabat tacitus, sed eo vultu, ut nihil aliud quam vindictam et cædes meditari apparet. Neque multum intercessit moræ, quin senatus verbis Cinna atque Marius in urbem venire rogarentur. Marius enim diserte addiderant, non ignari Cinnae quidem nomen his factis obtendi ; ceterum potissimum eorum auctorem Marius esse.

25. Cum ad Urbem ventum, et Cinna cum satellitibus ingressus esset, Marius substitit ad portam, et acerbum Plut. subridens ' exulibus patere aditum ' negavit. Idcirco Cinna operam dante, lex de restituendis exulibus statim ferri³ cæpit : neque ultra expectatum, quam ut tres aut Vell. ii. 21. quatuor tribus suffragia ferrent. Tum irrupit in Urbem Appian. velut captam, fugitivorumque delectum agmen trahens, Dio ap. quos Marianos appellabat,^d cædibus atque rapinis omnia Vales. Plut. vastavit. Aliis quoque portis exercitus inundabant Urbem : iisque mox oclusis, adversariorum, et sub hoc Dio. nomine quorumcumque volebant, domos diripiebant.

26. Jam antequam in Urbem Marius irrumperet, Cn. Octavius sublatus e medio fuerat. Amicis fugam suaden- Appian.

³ Refertur edd. ante Crev.

^d Quos Marianos appellabat] Bis vit, reponendumque esse Μαρ- hoc nomen aliter legitur in Plu- τάρχοι. Vid. not. ejus ad Flor. iii. tarcho, Βαρδάρχοι. Sed Freinshe- 21. Crev.

mius mendosum hoc esse judicá-

- tibus, sive Marii Cinnæque juratis promissis fidens, sive potius haruspicum ludibriis retentus, quam in vanitatem proclivi credulitate agebat, in Janiculum cum aliquot illustribus viris et parte copiarum concessit. ‘Indignum enim atque turpe facinus’ aiebat ‘se commissurum esse, si patriam consulari imperio præditus desereret.’ Igitur illum⁴ sella curuli, magistratus insignia retinentem, astantibus juxta lictoribus, Cinnæ jussu præmissus cum equitibus Censorinus invasit. Ibi quoque hortati ad fugam amici equum obtulerant: ille ne surgere quidem dignatus, necem in ipsa curuli expectavit.
27. In sinu interemti tabellas repertas esse cum signis Chaldæorum ferunt, illustri ad coarguenda artis inania documento. Caput cervicibus abscissum Censorinus ad Cinnam attulit, a quo missum in rostra est, ut quo loco caput spectatum P. Sulpicii foret, proponeretur. Tum demum revelli terra caput potuisse, quod nulla apparente causa ex simulacro Apollinis abruptum diu ante fuerat, ferunt: expleto scilicet eventu prodigii, quod ad suum exitum pertinere Octavius ipse prædixerat.
28. Consultatio deinde ducum tenuit, quemadmodum victoria uterentur, pacemque firmarent. Pro suo quisque ingenio censebat: sed nemo vel lenitate Q. Sertorium, vel sævitia C. Marium adæquabat. Sed ille nec auctoritate par erat Mario, et quicquid dicere poterat, jam a Mario cum assensu ceterorum videbat occupatum. Nam rogatus sententiam Marius, ut erat inter iram toleratæ fortunæ, et lætitiæ emendatæ, parum animi compos, ita crepit:
29. ‘Si quidem ea de re deliberatis, L. Cinna consul, ceterique senatores, legatique, et præfecti, quemadmodum in præsentia quod vultis obtineatis, mea sententia res non indiget. Nam acerbissimi paulo ante inimici vestri, ultro vobis reditum in patriam, reditum ad honores, ad facultates, principem in civitate locum, legum de quibus decretatum est lationem et alia hoc genus liberaliter offerunt. Sin vero, non quid illi vobis offerant intuemini, sed hoc

4 Illa legitur in edd. ante Crev.

potius, quemadmodum ad ea, quæ cupiatis obtinere, nihil sit illorum consensu aut beneficio opus; magnopere interesse arbitror ut quæ me, hujus reipublicæ non rudem, sed ætate ac usu inter primos, res ipsæ docuerunt, hoc tempore non dissimulem.

30. ‘Jam olim in civitate nostra duæ velut partes fuerunt: altera patrum, qui nescio cur optimates vocentur; altera libertatis, quæ quia multitudini præcipue grata esse debuit, non abs re popularis est nominata. Neque nos hujus discordiæ auctores sumus, sed simulatque regum ex Urbe sumnota potestas est, seuatus jura regia sibi vindicare voluit: plebs, quam in regibus non tulisset dominationem, eam ab aliis civibus pati indignum intolerandumque judicavit. Ab eo tempore, quicquid per leges aut armatas quandoque discordias actum est, id omne eo pertinuit, ut vel in multitudinem dominari pauci cuperent; vel adversus cupiditatem paucorum jus suum populus assereret.

Varro de
Vita Pop.
Rom. IV.

31. ‘Inter hæc quandoque præstantes virtute ac meritis viri extiterunt, qui ex æquo invidiam nobilitatis, et levitatem populi odissent. Ii tanquam solliciti cautique gubernatores, inter pugnantes ventos ita direxerunt vela, ut quam minima jactatione et offensa, ac fieri per tempora reipublicæ posset, tranquillitatis atque securitatis portum obtinerent. Sed et ipsi illi, quoties destinatis qua institerant via potiri posse desperarunt, indignatione et odio efferati, quod effici persuasione ac moribus nequibat, vi et armis assequi tentaverunt.

32. ‘Ab his velut fontibus, tanta jam ætate, prorupit immensa vis undarum atque fluctuum, quæ rempublicam toties crudelissimis tempestatibus vexatam in eum statum redegerunt, quem inviti gementesque videmus. Sed nimirum quemadmodum in humanis corporibus, quoties tentata morbo sunt, optare quidlibet licet, fieri nisi quod natura patiatur non potest: ita in hac gravissima civitatis ægritudine, non qualibus quis malit, sed quæ sunt ad præsentem usum accommodatissima remedia, iis utendum est.

33. ‘Etiam medici devenire ad ferrum et ignem solent, ubi leniora remedia pertinax morbus respuit: neque sævi-

tia ad urendum secandumque, sed misericordia hominis, et servandi eum proposito votoque adducuntur. Idem ego hoc tempore sequendum nobis exemplum autumo, quibus in periculosissimo civitatis morbo de idonea medicatione deliberandum est. Sane si esset aliqua medendi suavior ratio, illam potius adhibendam esse dicerem. Sed quia mihi compertum est, hoc genus morbos non emendari timida curatione, sed augeri solere; nemo mirabitur, si quod in corpore meo salubriter expertus sum, idem in republica tentandum arbitror.

Cic. Tusc.
Quæst. 11.
22.

34. 'Cum molesti mihi varices essent, exsecandos præbui. Non aberat acutissimi doloris sensus, sed tanti esse valetudinem arbitrabar. Sunt etiam, credite mihi, sunt in præsentia quidam velut reipublicæ varices, quos etiam cum dolore quodam corporis excidi, ad sanitatem profuerit. Neque hic mihi clementiam aliquis, aut misericordiam nominet. Sæpe is animus ægris est, ut interire morbo, quam liberari cum aliqua molestia malint: his qui parcendo nocet, quam qui offendendo consulit, crudelior est.

35. 'Præterea summæ dementiæ res esset, eos incolumes pati, quibus mox, si forte iterum convalescant, dandum jugulum fuerit. Parcimus sane Syllanis hominibus, si illi Gratidio, si Sulpicio, si nostrorum cuiquam pepererunt. Nam illi quidem atque alii multi crudeliter interfecti sunt: nos beneficio fugæ prius, nunc virtute nostra et armorum tutela vivimus, carituri vita, simul his carere cœpissimus. Quemadmodum igitur amentem potius quam misericordem vocaremus, qui feram bestiam cum occupare telo posset, abstineret ictu, mox ab ea devorandus: ita nulla posset existere satis acerba nostræ stultitiæ accusatio, si vivere sinceremus eos a quibus toties petiti ad necem sumus: ut sint videlicet qui nos nostrosque et hæc omnino partes funditus tollant.

36. 'Ut enim semel explicate dicam quod res est, decutienda sunt Syllanarum partium capita. Non nisi his remotis, stabiles nostræ in rempublicam opes erunt. Quin et illud addidero: tametsi nostram causam, quod abominor, oderint Dii, atque omnia nobis acerba atque funesta efficiant, tamen, si mature de inimicis nostris ultionem

sumserimus, hanc nobis voluptatem,⁵ hanc felicitatem non poterunt eripere. Mili sane, ut me vobis indicem, morti similis vita videbitur, si eadem luce fruente[m] aspiciam Catulum, beneficii quo servatus est perpetuum obrectatorem; si Caesarum, si Crassorum odiis vicem nequeam reponere; si Metellos tolerare diutius et Antonios cogar.

37. ' Sed neque vos, opinor, licet mitiorem aliquis animum simulet, inimicos vestros vivere, atque adeo valere, patienter feretis. Nisi forte collegam tuum lubenter amplecteris, Cinna^e consul, a quo multa tuorum occisa milia, te expulsus Urbe, omni deinceps contumelia vexatum meministi. Quid si L. Merula tibi occurret, tertius hujus anni consul, ejus nomen non alia, quam per summam injuriam tuam, irreperere in fastos potuisset? Ceteri vero perquam tibi jucundi sunt futuri, quorum hæc omnia decreta sententiis, peracta voluntate, opibus animisque defensa novimus. Quod si quis forte ab hac ratione dissentiat, eum primum adhortor, ut priusquam obloquatur, maturius secum dicta mea perpenderit: deinde siquidem perstare in sententia velit, commonefacio, ita temperet, ut tamen amicior nobis, quam hostibus esse videatur.'

38. Cum ita Marius dixisset, et plerisque eadem crudelitas esset, alios auctoritas illius et horum inclinatio deterret, huc concursum: pactorumque et jurisjurandi neglecta fide, multi insignes viri necati, et capita, velut jam recepto more, posita in rostris sunt. In his C. Attilius Serranus vir consularis, et P. Lentulus fuerunt. C. Cæsar Strabo hospitis Etrusci scelere proditus, in penetibus suis trucidatus est. M. Bæbius sine ferro, manibus, ferarum more, discerptus; deinde cum C. Numitorio per medium forum unciis carnificum raptatus est.

39. M. Antonium consularem villicus in prædio suo celabat. Sed simplicitate servi, et scelere cauponis res est prodita, cum a tenuis fortunæ homine, generosius vi-

5 *Voluntatem* edd. ante Crev.

Diod.
Appian.
Cic. de
Or. III. 3.
Val. Max.
v. 3. Flor.
Lucan. II.
119. Flor.
Appian.
Aug. de
Civ. Dei,
III. 27.
Vell. II. 22.
Cicero.
Plut. Mar.
Appian.

^e *Nisi forte collegam tuum lubenter amplecteris, Cinna*] Oblitus est Freinshemius, Octavium jam de medio sublatum modo a se memoratum esse. Crev.

num, et solito carius,⁶ emeretur. Marium epulis accumbentem detecti Antonii indicio sic exultasse ferunt, ut clamore edito, manibusque complois, ipse profecturus ad necandum fuerit, nisi foret ab amicis cohibitus.

40. Missi cum P. Annio tribuno milites, cum ad Antonium venissent, sic hominis eloquentia veluti constricti stetisse dicuntur, ut post longam expectationem ascendens ad visendum tribunus, intactum adhuc repererit, coactusque fuerit ipse commodare Marianæ sævitiae manum. Caput Antonii relatum ad Marium, et in ipsis mensis appositum est : nec ipse abstinuit, quin suis manibus avidè tractaret, Anniumque recenti sanguine madentem in sinum suum reciperet.

41. Ejusdem imperio L. Cæsar, qui consulatum et censuram gesserat, apud seditiosissimi et vilissimi hominis Q. Varii bustum, a C. Fimbria, crudelissimo Cinnae satellite, tanquam piacularis hostia, immolatus est. Duo Crassi, cum in fuga essent, ab equitibus Fimbriæ sunt occupati. Filium in conspectu patris equites interemerunt : pater, ne quid indignum sua virtute pateretur, sua se manu interfecit. Capita omnium pro rostris sunt proposita, ut haud minus acerbitalis ostentatio cædium haberet, quam patratio habuisset : cum in foro Romano locus tota Urbe celeberrimus, quem hostilium navium spoliis majores adornaverant, clarissimorum virorum capitibus, tanquam ornamentis causa dispositis, oppletus videretur.

42. Marius præcipue furebat, et, Cinna jam ferme satiato, etiam quos ipse noverat inimicos interfectis, necdum poterat quiescere : jubebatque promiscue omnes ad se adeuntes occidi, quibus ipse manum non porrexisset. Inter quos et Q. Ancharius vir prætorius, cum sacrificantem in Capitolio Marium adivisset, ut religionis veneratione propitium haberet, ante oculos tyranni in ipsa æde confossus est. Quinque dies continuos totidemque noctes ista scelerum omnium duravit licentia. Neque cadavera sepeliri permissum erat, et in liberos conjugisque interfectorum

6 Ita ex Plut. emend. Crev. pro *crebrius* in edd. priorr.

indigna, maxime a servis, perpetrabantur. Neque ipsi inter se cædibus atque rapinis seditiosi abstinebant.

Plut. Mar.
et Sertor.
Appian.

43. Inter hæc publicationes bonorum assiduæ erant, et magistratuum coacta abdicatio, Syllanarumque eversio legum, et amicorum ejus, quotquot corripì potuerant, internecio. Metella quoque uxor cum liberis Syllæ vix effugerunt periculum, cum domus ejus atque villæ incendio delerentur. Hoc tempore mirifica sane populi Romani abstinentia fuit. Cum enim occisorum domos prædæ multitudinis exposuissent victores, negant inveniri quenquam paulo honestiorum civium potuisse, qui ullam ex his rem cuperet attingere.

Plut. Syll.
c. 64.

App. p. 204.

Val. Max.
iv. 3.

Ammian.
xxx. 28.

44. Post tot mala, tanquam eo rerum statu legibus in civitate esset locus, L. Merula et Q. Catulus subornatis accusatoribus rei fiunt. Merulam propter ablatum, licet nullo ambitu, honorem Cinna oderat: Q. Catulo iratus erat Marius, quasi Cimbrico bello servatus, malam pro beneficio gratiam retulisset, exilii sui acerrimus auctor. Sed ludibrium istud judiciorum ambo dedignati, spontanea morte functi sunt. Merula deposito apice, (quod apicatum Flaminem mori triste et inauspicatum Urbi habebatur,) idque se fecisse scripto testatus, in ipso Jovis sacrario incidit venas, porrectoque super altaria sanguine Cinnanas partes consecravit. Quo in homine propemodum ipsa sacerdotii religio extincta est, cum in locum ejus nemo factus Flamen septem et septuaginta annis reperiatur. Nam C. Cæsar annum agens septimumdecimum a Mario Cinnaque destinatus, victoria Syllæ sacerdotium amisit.

App. p. 395.

Val. Max.
ix. 12.

Flor. Vell.
Dio, liv.

extremo.
Tac. Ann.

iii. 58.

Ruald.
Animadv.

18, in Plut.
Sueton.

Cæs. c. 1.
Vell. ii. 43.

Cic. Tusc.
Quæst. v.

19. et de
Or. iii. 3.

Plut. Mar.
Vell. ii. 22.

Diod. Ecl.
xxxviii.

Appian.
Flor.
Plut. Sert.
c. 7.

45. Pro Catulo deprecati Marium necessarii, ne incolunitatem quidem, sed exilium orantes, nullam ab sævissimo mortalium exprimere vocem potuerunt, præter hanc sæpe repetitam, 'moriatur.' Igitur inclusus loco, qui nuper calce fuerat oblitus, multum inferri ignem jussit, atque ita suffocato spiritu extinctus est. Inter hæc misertus patriæ et civium Q. Sertorius, qui solus inter ceterorum furorem omni maleficio abstinuisse fertur, damnata Marii sævitia, privatim appellavit Cinnam, et miseriarum Urbis postulavit modum: servosque Marianos, cum a Cinna sæpius cohibiti nihil de sceleribus remitterent, acceptis ab eo Gal-

Appian. lorum auxiliis, eodem loco castra habentes noctu circum-
 Plut. Mar. dedit, et ad unum omnes, hominum non minus octo millia,
 Oros. v. 19. delevit.
 Liv. Epit.

46. Sic anno magistratus exacto, Cinna consules in an-
 num sequentem, se iterum, C. Marium septimum, citra
 Appian. ulla comitia renuntiavit:* spei de septem consulatibus
 eventu meliore, quam sperandi causa fuerat. Hujus anni
 triste et minax exordium cetera paulo quietiora tempora
 exceperunt. Sed eodem die quo novi consules inierunt,
 cum maxime sacra in auspicio anni et magistratum patrio
 Dio ap. more fierent; C. Marius filius tribunorum plebis quendam
 Vales. sua manu occidit, caputque consulibus misit. Duobus
 Liv. Epit. prætoribus igni et aqua interdictum est: Sex. Licinius se-
 Plut. nator de saxo Tarpeio consulis Marii jussu præcipitatus.

47. Sed efferam hominis immanitatem Idus Januariæ
 Liv. Epit. finierunt. Laboribus et senio exhaustum, præsertim fa-
 Flor. ma de Sylla exterruisse dicitur, quem finito bello Mithri-
 Plut. datico adesse victorem, et admissorum vindicem, audiver-
 Diod. ap. rat.^f Adeoque hoc est creditum, ut a quibusdam volun-
 Vales. taria morte sublatus existimetur. Certe cum amicis de
 Auct. de Vir. Illustr. adventu Syllæ deque fortunæ vicissitudine multa disse-
 Plut. ruisse dicitur: et negasse 'sapientis videri, toties expertæ
 illius inconstantia se committere.'

48. Hinc in morbum cum incidisset, et ex morbo in deli-
 Vell. Plut. rium, summa hominum lætitia ad inferos, quo infinitam
 Liv. Epit. ante se mortalium vim præmiserat, descendit. Vir, cujus
 si examinentur cum virtutibus vitia, haud facile dixeris,
 utrum bello melior, an pace perniciosior fuerit. Quan-
 quam et bello pestilens, quam rempublicam armis et con-
 siliis servaverat, eandem in pace aliis consiliis, et mox
 infer bella civilia iisdem armis hostiliter oppressit. Ce-
 terum ut sanguinarii hominis ne funus quidem sine dolore
 civitatis atque luctu principum esset, C. Fimbria homo

* A. U. C. 666. A. C. 86.

^f *Quem finito bello Mithridatico adesse victorem... audiret*] Plu-
 tarchum exscribit Freinshemius. Neque tamen hæc satis accura-
 ta videntur. Tum maxime hæ-
 rebat Sylla circa obsidionem A-

thenarum, quas Kalendis demum
 Martis ejus anni quo Marius
 cum Cinna consul fuit, expug-
 navit, diebus plus quadraginta
 post Marii mortem. Vid. infra
 LXXXI. 44. *Crev.*

perdite audax **Q. Scævola** mandavit occidi: comperto-
 que deinde sic esse vulneratum, ut vivere possit, diem ei
 dixit: ac interrogatus, ‘ecquid integerrimo sanctissimoque
 viro esset objecturus?’ ‘Hoc ipsum,’ inquit, ‘quod fer-
 rum maligne recepit.’

Cic. pro
 Sext. Rosc.
 c. 12.
 Val. Max.
 IX. 11.



SUPPLEMENTUM

LIBRI LXXXI.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

Appian.
Mithrid.

1. **EXPOSITIS** Romanæ urbis calamitatibus, ad Mithridaticum bellum, et res interim a L. Sylla gestas, revertendum est.* Sylla quinque legiones cum auxiliariis aliquot cohortibus et equitum alis in Græciam transvexerat. Deinde collectis ex Ætolia Thessaliaque commeatibus et auxiliis, postquam satis instructus esse visus est, in Atticam adversus Archelaum ducere instituerat. Per Bœotiam erat iter, cujus pleramque partem per legatos recepit; eadem levitate animorum deficientibus a Mithridate civitatibus, quam paulo ante ad Mithridatem a Romanis desciverant.

Plut. Syll.
c. 23.
Appian.

Pausan. IX.

2. Quo in genere Thebani, sicut Urbis magnitudine et gloria caput Bœotiae habebantur, ita præcipuè ad mutandos socios inconstantiae documenta dederunt. Sed metum et imbecillitatem suam allegabant, quod, omnibus circa ad regias partes transeuntibus, resistere tantæ potentiae nequivissent, quam neque reges maximis exercitibus instructi, neque Asiæ Græciæque auxiliis subnixi Romanorum duces sustinissent. Modicas civitati suæ vires fuisse, etiam prosperrimis temporibus. Tum vero, præter antiquiora, bello Achaico sic esse debilitatam, ut vix recupe-

* A. U. C. 665. A. C. 87.

rare sexaginta illis annis tenuem pristinæ dignitatis speciem potuerit.

3. ' Proinde magnopere a L. Sylla contendere, ut non tam defectionem suam, quam deficiendi causas respiciat: et siquidem studio sit a se ac voluntate peccatum, puniat noxios; sin vero invitos cognoverit a societate Romana discessisse, det necessitati veniam, cui ignoscere omnes soleant. Plane cum his temporibus fuisse Italiæ et Urbis statum, ut inde neque imperator tantus, neque exercitus sperari potuerit.

4. ' Majorum suorum in populum Romanum frequentiora delictis extare merita. Se quoque semper ejus populi majestatem fide optima coluisse, porroque daturus operam, ut enixe faciant omnia, quæ possint a se in tam exigua fortuna proficisci. Neque sibi lætiorum diem ullum fuisse, quam quo data Romani imperatoris sit copia. Subesse quidem metum, ne forte sua rejiciatur purgatio: sed spem tamen majorem fore, ut pro nominis Romani et sua elementia, placatum se propitiumque deprecantibus Sylla exhibeat.' At ille, cum pro tempore pauca respondisset, in Atticam contendit.

5. Ibi pugna cum hostibus commissa, postquam Aristionem in Urbem, Archelaum intra Piræei munimenta compulit, parte copiarum ad obsidendam cum Aristione urbem missa, ipse Piræeum sibi oppugnandum sumpsit, ubi regii cum prætore suo mœnibus a Pericle olim structis se incluserant. Bello enim Peloponnesiaco, Pericles in munitionibus Piræei spe victoriæ collocata, murum ex quadrato lapide ingentis magnitudinis, ad altitudinem cubitorum quadraginta circumduxerat. Nec dubitabatur, superiorem utique urbem vel sedendo expugnari posse, quod magna rerum necessariorum penuria inerat. Sed frequentes Roma de novis rebus nuntii, festinare potius cum periculo, quam cum multa temporis jactura tuto vincere, cogebant.

6. Igitur scalis ad Piræeum admotis, magna vi conatus est perirumpere: donec omnia nequicquam expertus (nec enim segnius se regii defendebant) ad compingendas omne genus machinas Eleusinem et Megara concessit. Operibus enim oppugnare Piræeum cogitabat. Eum in usum

Pausan. 1.

Appian.

Plut.

Appian.

Plut.

Appian.

Plut.

Appian.

artifices ferrumque et catapultæ aliusque apparatus, decem millibus mulorum jugis, ex urbe Thebana advehebantur: donec inopia materiæ (multa enim opera corrupta et incensa ab hostibus, aut suo pondere procumbentia peribant) sacris quoque lucis injecit manum, et Academiam, nobilissimum orbis terrarum gymnasium, quo non erat alius in suburbanis nemorosior locus, proximumque fama et amœnitate Lycæum arboribus nudavit.

Plut.
Dio ap.
Vales.
Appian.
Sulpic. ap.
Cic. ad
Fam. iv.
ep. 12.
Plut.
Appian.

7. Longi etiam muri, qui ad urbem Atheniensium a portu pertinebant, subruti, saxa trabesque struendis aggregibus præbuerunt. Forte miles cespitem ferens, fulvine exanimatus prociderat. Ob eam rem consultus haruspex, 'quod percussus in opere miles, caputque jacentis in oppidum versum esset, introitum et victoriam respondit Romanis, sed non nisi post diuturnum laborem, significari.'

Jul. Obseq.

8. Has inter moras et sumtus obsidionis, cum rei nummariæ difficultas incessisset, L. Sylla sacros Græciæ thesauros in promiscuum pecuniæ usum vertit, Olympia et Epidaurio jussis advehi pulcherrimis pretiosissimisque donariis. Delphos quoque Caphis nomine missus est, natione Phocensis, ut ab Amphyctionibus ornamenta templi acciperet. Nam 'aut tutius apud se fore illa' scripserat, 'aut, si absumpta essent, non deteriora redditurum.' Caphis cum venisset Delphos, 'auditum ex adytis citharæ sonum' scripsit Syllæ: accepitque responsum, 'gaudentis, non indignantis esse cantum. Ageret igitur, et numine propitio sacrum aurum argentumque ad se deportare ne dubitaret.' Postea quoque per jocum dicitasse ferunt, 'dubitare se non posse de victoria, qui Deorum stipendio militaret.'

Plut.
Pausan. ix.
Diod. ap.
Vales.
Dio ib.

Plut.

Diod.

9. Erat inter regum donaria dolium argenteum ea mole ac pondere, ut extrahi jumentis nequiret. Id concidere coacti Amphyctiones, 'statum Græciæ, et mutatos in deterius dominos' miserabantur. 'Olim T. Quintium et L. Æmilium Romanos duces, itemque M'. Glabrimonem, illos Macedonum regibus, hunc Antiocho devictis, ultro honorem opesque delubrorum auxisse. Nunc, lapsis in pejus moribus, postquam inimicos quacumque re superare principes Romani studeant, largitionibus ad perfidiam luxumque corrumpi milites: hisque obnoxium imperato-

Plut. Dio.

reni, vilissimo teterrimoque hominum generi servire, quo optimis quibusque nobilissimisque dominetur.

10. Ceterum Sylla, neglectis Græculorum querelis, ad quæstorem L. Lucullum sacros thesauros misit, cui cendæ in Peloponneso monetæ negotium imposuerat: ipse redigendis in potestatem Athenis omnem animi cogitationem intendebat. Gloriosam victoriam vetus urbis factura fama erat; utilem, locorum ad omnia opportunitas. Super hæc Aristionis vecordia stimulabatur, inportunissimi et improbissimi scurræ, qui continentibus dictis in ipsum, aut Metellam, quæ impudicitiae arguebatur, iracundum animum mira vindictæ cupiditate inflammabat.

Plut. Lucull.

Plut. Syll.

Hier. in Jovin. 1. 56.

11. Ceterum urbem fame urgere satis visum. Piræcum spes nulla capiendi, nisi per arma, supererat. Sed hæc tamen prodicione juvabantur. Duo servi Attici, quicquid in oppido fiebat, glandibus plumbeis inscribebant. Eas deinde glandes fundis ejaculabantur ad Romanos. Id ubi sæpius fieri ad Syllam relatum, ille re considerata, cum semper eventum respondere nuntiatis comperisset, diligenter colligi glandes emissas et ad se referri jussit. Unde cum aliquando decretam in certum tempus eruptionem didicisset, insidias erupturis struxit; multisque interfectis, aliis in mare compulsis, magnum obsessis detrimentum, et plus aliquanto terroris intulit.

Flor.

Appian. Mithrid.

12. Crescebat interea indefesso labore militum agger, cum Archelaus ex diverso turres opposuit, unde cujusquemodi missilia late spargerentur. Accitis deinde, quæ Chalceide et per reliquas insulas agebant, copiis, cum etiam remiges armasset, numero quidem militum longe superavit Syllam, cum etiam a principio majores aliquanto copias habuisset. Idcirco, minime ratus contandum, proxima post acceptum supplementum nocte, validam eruptionem in opera Romanorum fecit. Circa tertiam vigiliam, cum facibus improvisa turba exsilens, alteram testudinum et quicquid in ea machinarum stabat, incendit: neque potuit defendi. Sed intra proximum decendium aliud excitatum eodem loco opus stetit.

Front.

Strat. iv. 1.

13. Sylla ignaviæ suorum iratus, cohortem et centurio-

Appian.
 Quadr.ap.
 A. Gell.
 xv. 1.

nes quorum stationem hostis perruerat, illam ignominia causa extra vallum tendere, hos galeatos et discinctos^a perstare in principiis jussit. Deinde ligneam turrinam, quam contra suum aggerem Archelaus erexerat, modis omnibus incendere studens, (plurimum enim impediendi obsessoribus afferebat,) summotis valida impressione propugnatoribus, ligna circumponi, faces subjici jussit. Ceterum conatus iste irritus fuit, non concipiente ignem materia, quod eam multo alumine Archelaus obleverat.

Appian.

14. Dum haec aguntur, missu Mithridatis Dromichætes cum novis Thracum auxiliis affuit. Archelaus igitur pugnandi facturus copiam, aciem ita applicuit oppido, ut a mœnibus quoque adjici ad Romanos tela possent: alios deinde facibus armatos intra portas signum erumpendi expectare jussit. Prælio commisso fugientes suos impigre obsistens Archelaus redire coëgit in hostem: unde vicissim Romæ acies pedem referre cœpit. Sed a Muræna cohibiti restiterunt: simul, qui lignatum exiverant, reversi; itemque alii, qui ignominia causa seorsim tendebant, accurrerunt: horumque strenua opera factum est, ut regii, duobus militum millibus amissis, intra muros compellerentur. Archelaus, dum ad retinendos suos tota mente conversus, salutem suam negligit, occlusis jam oppidi portis, fune in mœnia subductus est.

15. Sylla ob egregiam operam laudatis militibus, demtaque iis qui notati fuerant ignominia, cum appetere hymem videret; relictis ad opera præsidii, castra ad Eleusinem movit. Equitabilis eo loco planities erat: et eo genere copiarum hostes abundabant. Igitur Sylla ne eorum pateret incursionibus, fossam profundam a montibus ad mare ducere cœpit. Hoc opus prohibitori hostes, quotidiana, modo ad fossam, modo pro mœnibus Piræei, certamina moverunt. Abundabant enim multitudine, marique libero utentibus, et exponere suos ubi volebant, et recipere, et, quocumque opportunum videretur, trajicere, in promptu erat: rerum quoque necessariarum co-

^a *Galeatos et discinctos*] Cur *galeatos*? aut quodnam est illud ignominia genus? Quidam apud

Frontinum legunt *exgaleatos* vel *disgalceatos*. Crev.

piam suis efficere, penuriam hostibus, ex facili poterant.

16. Igitur Sylla, missis ad Rhodienses certis hominibus, classem arcessit. Quod ubi, regis mare obtinentibus, parum procedebat, L. Lucillum in Ægyptum et Africam proficisci ad corroganda a regibus et maritimis civitatibus navium auxilia jussit, quibus instructus Rhodiorum classem securius deduceret. Lucillus, neque maris incerta, neque vim hostium veritus, hyeme media cum paronibus Græcis tribus, totidemque Rhodiorum dieotis solvit: Cretaque partibus adjuncta, Cyrenas transmisit. Plut. Luc. c. 3.

17. Erat tum pessimus Cyrenaicæ rei status; quæ, post testamentum Apionis, magis sine rege, quam in libertate relicta, neque defensa ab Romanis domi satis negotiorum habentibus, in seditiones et tyrannidem inciderat. Cujus quam intolerabilis sævitia fuerit, ab uno documento intelligi potest: quod Nicocrates ad portas urbis custodes apposuit, qui mortuos, cum efferebantur igne ac ferro admoto tentarent, ne quis simulatione mortis eflugere tyrannidem posset. Ceterum illum ingens animi mulier Aretaphila, concitato in eum fratre tyranni Leandro, sustulerat; deinde ipsum etiam Leandrum, postquam similem se gerebat ei quem interemerat. Accesserant et finitimorum bella. Igitur, licet excisa tyrannide ad optimates republica redisset, tamen nec auctoritas illis, nec concordia aderat: cum a recenti dominatione timidus necessario suspectus fieret, quisquis supra ceteros ingenium animumque habere credebatur. Plut. de Virt. Mulier. c. 34.

18. Cum his temporibus L. Lucillus supervenisset, velut divinitus missum pacis libertatisque instauratorem amplexi, ut leges sibi ferret, oraverunt, quibus deinceps civitas regeretur. Ille, recensitis veteribus legibus, maxime quas olim Ecdemus et Demophanes Megalopolitani rogatu Cyrenæorum tulerant, additisque ex præsentibus aliis, rempublicam eorum belle composuit. Id ubi perfectum est negotium, eadem hyeme in Ægyptum inde navigavit. In eo cursu plerisque navibus piratarum audacia depressis aut captis, ipse incolumis et sospes Alexandriam pervenit, eximioque honore et magnificis a rege Polyæn. Strat. VIII.

Plut. Luc.

Plut. Philop. c. I.

Plut. Luc.

honoribus cultus est. Nam et quadruplum ejus, quod aliis hospitibus assignari consueverat, ei decretum est: et munera e talentis octoginta^b missa, quæ tamen ille non accepit.

Euseb. et
ap. eund.
Porph.

19. Ptolemæus tum iterum regnabat, Lathuri cognomento a ceteris distingui solitus: quem post fratris Alexandri necem, Alexandrini ad vetus regnum e Cypro revocaverant. Nam matrem Cleopatram Alexander, Alexandrum Ægyptii bello persecuti occiderant. Neque adhuc plane motus omnes extincti erant, quanquam Thebas, quæ defecerant, triennii bello recepisset Ptolemæus, adeoque redegisset humiles, ut vix memoria pristinorum opum, quibus nulla civitas copiosior fuit, relinqueretur.

Pausan. 1.

20. Igitur dum his in locis varia per impedimenta Lucullus detinetur,* L. Sylla manum militum frumenta ex Piræo Athenas portantium cum ipsis sarcinis interceptit. Proditæ enim ea res glandium inscriptione fuerat. Eadem die ad Chalcidem cum Archelai fratre Neoptolemo feliciter dimicatum est. Legatus L. Syllæ Munatius, mille quingentis militibus interfectis, aliquanto pluribus captis, duce quoque hostium sauciato, pretium operæ fecit.

Appian.

21. Parvo post tempore, cum sopitis custodibus mœnia Piræei negligenter, Romani milites, scalas machinis imponentes, in murum evaserunt, et, quos primum objecerat casus, obtruncarunt. Excitato inter hæc tumultu, vigiles partim in oppidum quasi jam captis mœnibus desilierunt: alii magnis animis certamine invito, hostes, occiso qui eos ducebat, præcipites abegerunt. Hoc invitati successu regii, non contenti periculum repulisse, eruptionem fecerunt, quo loco altera Romanorum turris exædificata fuerat: incendissentque, nisi continuato per noctem diemque labore, Sylla, qui ex castris auxilio accurrerat, restitisset. Cum deinde aliam ex adverso turrim Archelaus struxisset, diu ex vicinis paribusque munitionibus omni genere telorum certatum est: donec Sylla viginti simul plumbeos graves globos catapultis executi jussit. Horum impetu multi hostium occisi, et, quod præcipue desidera-

^b *Talentis octoginta*] Marcis argenti nostratibus 7500. *Crev.*

* A. U. C. 666. A. C. 86.

tum fuerat, labefactata turris Archelai, cum ruinam minitaretur, intra mœnia reducta est.

22. Interea magis magisque gliscebat in urbe Athenarum fames. Nam frumenti quidem parum inerat; et tyrannus chœnices hordei in quadriduum,^c gallinarum verius, quam hominum, dimensum, dividebat. Sed, hac necessitate Atheniensium cognita, licet contanter, de integro tamen Archelaus delectos cum cibariis misit. Et, quia prodi consilia sua animadverterat, eodem tempore circum portas validam opperiri manum iussit, ut Sylla in frumentatoribus capiendis occupato, cum facibus ad incendenda Romanorum opera prosilirent. Utrisque pro spe expeditio fuit: Sylla commeatum portantes excepit; Archelaus aliquot machinas corrupit incendio.

Posid. ap.
Athen. v.
14.

Appian.

23. Circa eadem tempora filius Mithridatis Archthias cum alio exercitu in Macedoniam irrupens, Romanorum modicas copias haud ægre expulit, omnemque Macedoniam in præfecturas divisam, idoneis hominibus distribuit. Deinde magno cum apparatu contra Syllam profectus, haudquaquam parem spei eventum habuit, circa Tidæum morbo extinctus.

24. Tanto minore molestia Romanus imperator cepta perurgens, Athenas, ut omnem non modo commeatum, sed etiam fugam interciperet, castellis circumdedit: quo plures in exhausta urbe clauderentur, eo celeriore ex fame deditionem sperans. Ad Piræeum vim adhibere consultius visum, eductisque in justam altitudinem aggeribus machinæ impositæ. At Archelaus terra clam egesta exinanibat opus; donec, subsidente mole, prodita res est, deductisque machinis Romani aggerem repleverunt. Deinde, contra cuniculos Archelai aliis effossis cuniculis, et sub ipsa mœnia productis, sæpe sub terra inter fossores, ut forte sibi occurrerant, hastis gladiisque pugnatum est.

25. Hæc dum ita fiunt, Romanus multis ab aggere machinis admotis muros ariete quatiebat. Neque ante desitum quam parte muri dejecta, proxima turris contento mi-

^c *Chœnices hordei in quadriduum*] Chœnix quater cotylam, sive heminam, continet; et alio quanto major est decima parte modii nostratis. *Crev.*

litum labore incenderetur, inque ipso quem ceperant muro præsidium statueretur. Simul cunicularii, suspensa trabis mœnia, pice, stuppa, atque sulfure multo affusis, et igne subjecto, concremarunt.

26. Ibi cum alia post aliam pars murorum arderet, et superstantes gravi ruina opprimerentur, etiam qui longius a periculo aberant, commilitonum interitu territi, despondere animos ceperunt. Summa enim contentione a Romanis pugnabatur: cum Sylla fessis integros summittens, hunc unum restare laborem clamitaret; neque reliquum quicquam faceret, quominus promissis, imperio, minis, modo hos, modo illos ad spernenda pericula, murosque vi transcendendos incitaret. Neque minus animorum aut industriæ Archelao supererat, percussis atque sauciis, corpore atque animo recentes subinde jubenti accedere: donec fatigatos iniquo prælio milites Sylla miseratus receptui cecinit, cum ejus diei fortuna pari inter se robore præliatos, etiam detrimento amissorum utrimque militum æquavisset.

27. Archelaus ne noctem quidem suis quietam abire passus, reparandis mœnium ruinis operam dedit: intra murum multas extruxit munitiones, in lunæ speciem sinuata fronte, quo pluribus ex partibus in hostem missilia jacerentur. Eas, dum adhuc recens labor facilius machinis cederet, magna vi oppugnare Sylla cœpit. Sed undique telis expositus, cum multos occidi vulnerarique cerneret; abjecta spe capiendi per vim oppidi, ut comæatum inopia cogeret ad deditiorem obsessos, de reliquo abstinuit oppugnatione: claudi tantum aditus, ne qui exire, neve ingredi impune possent, jussit. Ipse, parte copiarum assumpta, Athenas perrexit: ubi graviolem in dies annonam factam, et jam ad extrema necessitatis perventum intellexerat.

28. Jumentis enim omnibus absumentis, etiam oleribus et herbis vescuis, vulgo jam a tegulis parietinisque Parthenion (urcecolarem herbam Latini vocant) in victum vellebatur. Alii calceamentorum ampullarumque coriis morabantur deficientem spiritum: etiam humana corpora ceperant in cibum verti. Nam frumenti quidem medim-

Plut. Syll.

Plin. x x 11.

18. Plut.

Dio ap.

Vales.

Appian.

Flor. 111. 5.

nus mille denariis aestimabatur.^d Neque hoc tristissimum Plut. Dio. pereuntibus erat, sed quod tyrannus Aristion in ea publica penuria quotidie cum suis compotoribus hilariter epulabatur: nec modo fatiscentes inedia cives, sed etiam extinctum olei inopia Minervæ sacrum ignem in levi ponebat. Hieropliantidi, summæ ea religionis in urbe sacerdos erat, heminam^e tritici petenti, heminam piperis misit. Urbem ita affectam Sylla nactus protinus circumvallare instituit, ne quisquam inde evadere posset.

29. Interea sæpe rogatus ab Atheniensibus Aristio, cum diu negavisset, semel etiam supplicantes ei cum senatoribus sacerdotes sagittis abegisset, tandem familiarium aliquot ad Syllam oratores de pace misit. At illi scele- Plat. ribus et crapula vecordes, stolidi et minime accommodata temporibus oratione, nihil quod præsens usus postularet, sed vetera urbis decora, Theseosque Eumolposque, et Medica tropæa prædicabant.

30. ‘ Neque tibi decorum fuerit,’ aiebant, ‘ imperator, Plat. Men. neque tutum, eam excidisse urbem, in quam singularis Deorum favor semper extitit: adeo quidem, ut et hanc præcipua benevolentia semper complecterentur; et inde potissimum in ceteras gentes emanare beneficia sua velent. Jam a principio cum urbi nomen esset imponendum, Var. ap. Aug. de Civ. Dei. Ovid. Me- tam. vi. 75. duos de Consentibus de hoc honore certavisse satis constat: et cum oleam Minerva, Neptunus equum produxisset, pacis omen præferentibus Diis, quorum arbitrio commissa lis fuerat, vicisse Palladem, quam Athenam vocamus, deque hujus vocabulo appellari Athenas cœpisse.

31. ‘ Ita propter nos, et equum, tam accommodatum usibus humanis animal, et oleam, cui præferri arborum nulla jure potest, vita accepit. Duratque illa etiam nunc Cic. de Leg. i. 1. certo divinitatis argumento, et, quos præferimus, ramos inde decerpimus. Sed et Cereris munus, Triptolemique currum, et hinc ad alias terras exportata frugum semina Ovid. Me- tam. v. 645.

^d *Frumenti . . . medimnus mille denariis aestimabatur*] Medimnus par erat modis nostratibus amplius 4. Mille denarii æquant pondere 15. marcas argenti Parisienses, uncias 5. *Crev.*

^e *Heminam*] Vid. not. ad c. 22. supra. *Crev.*

Diod. v. 60. referre possemus, cum adhuc glandibus miseri mortales
 Just. II. 6. v. 6. vescerentur. Quin et præter oleam suavissimæ pomorum
 Ælian. fici hæc terra est genitrix : et hic primum, expressis Eu-
 Hist. Var. molpi ingenio uvis, vina fluxerunt.
 III. 5.
 Plin. VI. 11.

56. 32. ' Quæ jam alia in universum genus humanum ex-
 tent urbis hujus merita, si recensere vellemus, dies potius
 Justin. et vox, quam argumentum nos deficeret. Ut pauca obiter
 indicemus, lanificii usum nudis aut male vestitis mon-
 Plin. stravimus : et cum in specubus antiqui habitarent, Eury-
 Ælian. alus et Hyperbius cives nostri, lateritias exædificare
 Steph. domos docuerunt. Judiciorum etiam ordinem hominum
 Plin. primi tradidimus, ab ipsis Diis acceptum, quo tempore
 Pausan. I. nomen Areopago Mars dedit, qui primus ibi capitis
 dixit causam, ob Halirrothii cædem.

Plin. 33. ' Sed et civitatem ante alios optime constituimus
 Ælian. populari statu, cum ejus nullum adhuc exemplum extaret.
 Sed et certamina, quibus corpora exerceantur, commenti
 sumus, gymnicosque instituimus agonas, ungendique tra-
 didimus morem : et, quo magnificentius Panathenaica
 Varro. celebrarentur, primus hominum quadrigas rex noster
 Virg. Erichthonius junxit : idem, inquam, Erichthonius, qui et
 Georg. III. signandæ pecuniæ fuit auctor. Nec jam enarrare volu-
 113. Plin. mus, quid pictura Polygnoto, quid Pericli res nautica
 Ælian. debeat. Literas certe et facundiam, quibus ornamentis
 Pollux. te quoque scimus excellere, omnemque humanitatem,
 Plin. jura, leges, a nobis habere fatentur, quotquot habent.
 Justin. Cic. pro
 Flac. c. 26.

34. ' Sed et majores vestros, qui tantæ magnitudinis
 Liv. III. 31. fundamenta jecerunt, non puduit, missis huc legatis, So-
 lonis inclytas leges describere : unde mox duodecim illæ
 Liv. III. 31. tabulæ prodierunt, quas apud vos, tanquam omnis publici
 Cic. de privatiq; juris fontem atque normam, ingenui pueri
 Or. I. 43. inter præcipua disciplinarum edocentur. Tam antiqua
 Cic. de sunt nostræ urbis in Romanam officia : quæ deinde multis
 Leg. II. 4. temporum opportunitatibus toties reculta auctaque sunt,
 ut nulla Græciæ civitas pluribus imperatorum vestrorum
 senatusque honorificis decretis gloriari possit. Nullum
 enim ferme in Macedonia, aut Asia, aut Græciæ gestum
 bellum est, in quo non insignis erga populum Romanum
 extiterit Atheniensium fides. Cujus rei quem ampliorem

ipso populo Romano testem producemus, et quidem universo? Semper enim, et in omni re, quod optima fide gestum est, id Attica gestum Romani soletis dicere. Vell. 11. 22.

35. ' Quæ vero contra barbaros majores nostri toties gessere, quanquam forte invidiosa esse ob magnitudinem gloriæ videantur, tamen, quia pro misera posteritate majorum allegare virtutem prodest, commemoranda sunt. Sed unde potius quam ab iis temporibus gentibusque ordiemur, in quibus cum vester aliquis dolor fuerit, erit aliqua etiam ex relata hostium ultione voluptas. Galli Pausan. 1. init.
cum Italiæ magnam partem, mox etiam Macedoniam Græciamque, innumeris copiis oppressissent, ad Thermopylas majores nostri occurrerunt: terraque et mari fortissime decertando, magnam Græcorum multitudinem servarunt.

36. ' Quid antiquioribus adhuc temporibus, o Dii, et custos urbis Minerva! quæ tum urbs aut regio aut insula prope longeve fuit, quæ non aliquo præclaro Atheniensium facinore nobilitaretur? Marathon, victoriæ Mediæ æternum monumentum, ex oculis hominum et agro Strab. 1x. p. 396. Stob.
nostro deleri poterit: e memoria quidem rerum gestarum et admiratione posteritatis nunquam delebitur. Quid deinde Themistocles, et frater ejus Agesilaus? Quorum Plut. Parall. c. 2.
hic, interfecto principe purpuratorum Mardonio, quem Xerxem esse putaverat, quasi regem hac audacia non satis terrisset, injecit foculo manum, tales affirmans omnes Athenienses esse: non absimilis illi Mucio, unde adhuc Scævolarum familia Romæ perdurat.

37. ' Themistoclis autem tam nota sunt facinora, ut omnis historiæ oporteat esse rudem, qui ista non teneat. Superbissimum enim regem, et tantis instructum copiis, Corn. Nep. Themist. c. 2.
quantas aut antea aut postea habuit nemo, nobili ad Salamina prælio fregit: deinde rem multis millibus improbam unus consilio perfecit, ut universoni Europa maximis adhuc viribus subnixum expelleret. Theseo vero duce Pausan. 1.
Amazonicas pugnas, et quicquid ab eo heroe factum est, non modo vetus memoria loquitur, sed passim nobilium artificum opera demonstrant: ne jam Thrasybulos vobis, et Cononas adducamus, et Cinægiros, et omnem illam

clarissimorum imperatorum, fortissimorum virorum manum.

38. 'Periclem tamen indictum abire non sinimus, ut simul virtutem ejus, simul studium Urbis nostræ in virtute honoranda prodamus. Tantus enim ille vir fuit, ut novus ei honor decretus fuerit, duobus connexis oleæ ramulis capite cincto. Probaruntque et rem et auctores universi populi: atque inde claros viros coronandi consuetudo orta, statimque vulgata est. Neque transeundus Phocion est, licet ætas ejus in Philippi et Alexandri tempora incidit, quorum potentia et fortuna summorum virorum obscurare famam potuisset. Nec tamen illi sic officere nomini Phocionis potuerunt, quin strenuum virum, optimumque civem fuisse sciamus: qui cum quadragies quinque exercitum duxerit, semper absens electus prætor, tamen integritate vitæ civilibusque artibus hodie est notior.

Plut.
Phocion.

Corn.Nep.
Phocion.

Plut. li-
bello sic
inscripto.
Cic. de
Or. 1. 4.

39. 'Atque ea hominis mentio publicæ laudis admonet: cum eadem et civitatis nostræ fuerit in utroque genere præstantia, ut ingeniosissimi homines disputent, Belline an vero sapientiæ studiis Athenæ fuerint clariores? An enim ulla pars disciplinæ est, in qua laudabiliter versari humanum ingenium possit, quam non aut invenerint nostrates, aut præ ceteris excoluerint?

Cic.Tusc.
Quæst. 1. 1.

Plut. ibid.
c. 9.

Timoc.ap-
Athen. vi.
1.

Clemens,
1. Stromat.
Plut.

40. 'Ut enim a poëtis ordiamur, quod genus e doctis antiquissimum est, comœdiæ tragœdiæque plurimos atque nobilissimos auctores Athenæ retulerunt. Quanquam profecto comœdiam scribere vetitum Areopagitis est, ne severitatem judicium populari hilaritate corrumpant; tamen et in vestris theatris fabulæ nostræ spectantur, et ingeniosior quisque poëtarum habetur, quo propius abest a nostris. Tragœdiæ vero, quæ maximas in vita habet utilitates ad omnem bene ferendam fortunam, et primum inventorem, et scriptores adeo excellentes hæc civitas peperit, ut tanto jam tempore nemo sit repertus, qui sapientiam Euripidis, facundiam Sophoclis, grandiloquentiam Æschyli possit imitari.

41. 'Oratores autem præstantes civitas nostra plures eadem ætate habuit, quam propemodum omnes omnibus

amis. E quibus equidem Lysias, et Æschines, et Demosthenes, non tanquam oratorum, sed tanquam eloquentiæ nomina, audiuntur. Et ut pictores, statuarios, aliosque artifices, quorum tamen insignis etiam est gloria, et quicquid ingeniorum diversis studiis occupatum fuit, silentio transeamus, quis ignorat nullibi terrarum meliores extitisse doctores ejus quæ vitam regit sapientiæ? Solon, et Socrates, et cum Platone Xenophon, et tot profectæ a Socrate familiæ, quarum etiamnum successio durat, notiora sunt miracula, quam ut dici debeant; majora, quam ut possint.

42. ‘Ob tot urbis decora mirum non est, si maximi præstantissimique reges, uti vincere Athenas magnificum, ita perdere inhumanum judicarunt. Possemus hic Philippum nominare Macedonum regem, possemus Alexandrum. Sed ne tibi talia commemorando, fastidio simus, imperator, præsertim, quia pro humanitate atque eruditione tua nihil horum nescis, has tantum adjiciemus preces, ut clarissimorum regum tueri judicium velis, atque clementiam imitari, quemadmodum imitaris et virtutem. Ne lubeat tibi vastare ædificia hujus urbis, a qua primum tradita mortalibus est ædificandi scientia: noli fame premere frugum parentem: noli bello vastare tot heroum patriam, artium omnium domicilium, religionum atque sapientiæ templum, et, Pythii testimonio ac voce, Græciæ Prytaneum.’

Flor. III. 5.

Just. II. 6.

Athen. v. 16.

43. Sed huic orationi non aliter atque hac recordia dignum erat, Sylla respondit. ‘Abite,’ inquit, ‘beati: et hæc tam pulchra declamaturis adolescentibus præcipite. Ego enim senatus populique Romani missu, non discendi gratia, sed ad puniendos rebelles adsum.’

Plut. Syll. c. 28.

44. Dum hæc aguntur, forte senum in tonstrina sermonem habitum exploratores ad Syllam retulerunt. Tyranno maledixerant, ‘quod negligenter servaret urbem, facilesque ad Heptachalcum aditus incustoditos sineret.’ Imperator haudquaquam spernendum indicium ratus, media nocte cum expeditis ad locum venit; et quia non difficilis superatu videbatur, admoveri statim scalas, et evadi in murum jubet. Primus omnium M. Teius in summum

Plut. de

Garrul.

c. 8.

Plut. Syll.

ensis, cum occurrentem sibi hostem feriret, objectu galeæ fregit ensem : nec cessit tamen loco, sed, donec alii commilitones supervenirent, restitit. Sic expugnatae sunt a Sylla Athenæ, Kalendis Martiis.

45. Romani diruto quicquid inter duas portas Piraicam et Sacram murorum fuerat, magno cum terrore ingressi, strictis ensibus ad cædem rapinasque discurrerunt : non defectionem tantum Atheniensium, sed suas contumelias, et jacta obsidionis tempore convicia, immitis ingenii viro acriter vindicante. Erat omnino fœda tum eorum quæ fierent species, tum factorum memoria et notæ. Multis in domibus condita in usum ciborum humana membra reperta; tantumque cruoris ea nocte fusum ferunt, ut præter alias urbis partes cædibus et cadaveribus oppletas, totus Ceramicus ad Dipylon usque sanguine fluxerit, ejusque rivos etiam in suburbium manasse quidam retulerint. Non enim a Romanis tantum obvii sternebantur, sed ingens oppidanorum numerus, acerbiora morte metuens, desperatione sibi necem consciscerat. Aristion cum paucis in arcem confugit, incenso prius Odeo,^f ne materia illius ad oppugnandam arcem hostibus usui esset.

46. Syllam, ne Urbem dirueret, non quidem mandata senatus absterruerunt, quibus tum quidem parum fuisset commotus : sed Romanis senatoribus qui cum Sylla erant adjuvantibus, exules Atheniensium Midias et Calliphon extremis precibus evicerunt, ‘ut miserrimæ civitatis aliquas esse reliquias pateretur.’ Igitur postridie, jam satiata nonnihil vindictæ cupiditate, veterum Atheniensium laudibus commemoratis, ‘ingratissimos hominum,’ ut ipse dicebat, ‘in honorem sacrorum suorum atque antiquorum herorum’ conservavit : ‘multos se paucis, et vivos mortuis donare’ dictitans. ‘Servilia’ deinde ‘corpora venditorum’ edixit : ‘ceteris concedere libertatem ; suffragia legum et magistratuum non concedere, quod hostili in se atque populum Romanum animo fuissent. Posteris tamen illorum ea quoque reddere.’

^f *Odeo*] Odeum locus fuit a illi ædificio nomen. Vid. Plut. Pericle extractus, musicis certaminibus destinatus : unde et in Pericl. *Crev.*

47. Sic antiquissima et nobilissima Græciæ civitas, Plut. cum plurimorum bellorum pericula, seditionumque et tyrannidis violentissima mala superasset, quo tempore vix timeri tale quidpiam potuisset, Aristionis opera in eam calamitatem adducta est, ut extremum exitum vix evaderet. Syllam quoque postea gavisum esse ferunt, quod iræ, cuius potens non erat, hactenus indulisset, ut tamen urbem non excinderet; idque inter præcipua fortunæ suæ beneficia numeravisse. Nunquam tamen pristinam deinde recuperare speciem Athenæ potuerunt: et mœnia tum a Romanis diruta, circiter annos trecentos quinquaginta jacuere: donec imperante Valeriano, contra Scytharum incursiones reficerentur.

Plut.
Aph.
Rom. in
Syll.
Pausan. 1.

Zonar. in
Valer.

48. Per eadem tempora aliis quoque locis inter Romanos Mithridaticosque duces varia fortuna certatum est. Asia ferme tota regis erat: nisi quod ab obsidione Rhodi repulso etiam Magnetes fortissime resistebant. Hi et alias plurimum damni regiis attulerant: et Archelaum, paulo ante quam in Græciam iret, fines suos effusa populatione devastantem, multis barbarorum necatis, sauciaverant. Inde, cum maximo exercitu circumsessa oppugnataque urbs eorum a Mithridaticis prætoribus esset, summa virtute defensa est.

Liv. Epit.
Tac. 111.
Ann. 62.
Pausan. 1.

Liv. Epit.

49. In Thracia atque Macedonia prosperiora omnia regiis erant. Thraces Mithridatis partes secuti, duce filio regis Arcathia, deinde Dromichæte regi sanguinis Thrace, capta Amphipoli, numerosis agminibus Macedoniam et propinquas illi regiones invaserant. Horum incursionibus Epirus et reliqua Dodonam usque afflictæ sunt: ipsum Jovis Dodonæi templum sacrilegas eorum manus non effugit. Delphicum quoque delubrum, postquam antiquioribus temporibus bis incensum fuisset, tum tertium a Thracibus inflammatum est.

Memnon.

Dio ap.
Vales.

Euseb.
num. 1831.
Euseb.

Προπαρασκ.

81.

Plut. Syll.

Pausan.

50. His post Arcathie mortem Taxiles cum imperio præerat, qui Atheniensium obsidione audita, cum Elateam Phocidis urbem circumsideret, copias in Atticam translucere instituit. Habebat autem sub signis centum peditum, decem equitum millia, cum nonaginta curribus falcatis; per se validas ad quodlibet bellum vires, nedum si Archelao jungeretur.

Plut.

51. Quo minus committendum Sylla ratus, ut post captam urbem, ad reliquas munitiones tempus tereret, obsidioni arcis Curionem præfecit: Piræeum summis viribus oppugnavit. Neque prius destitit, quam, repulsis continuo telorum imbres propugnatoribus, muri recentis lunatam partem convelleret. Sed cum optato laboris eventu, non statim præmium etiam speratum affuit. Quippe interiore murum Archelaus struxerat: et, quasi nihildum actum foret, subeunda erat integra oppugnationis alea. Neque hoc semel atque iterum factum esse dicitur, sed ea fuisse utrisque defendendi expugnandique contumacia, ut sex et amplius muri perumpendi Romanis ante plenam victoriam fuerint.
- Appian. Flor. III. 5. Oros. VI. 2.
52. Tandem urgente Sylla, ipsisque militibus per iram, et quia, expugnato Piræeo, cetera belli faciliora fore credebant, supra fidem humanarum virium conmissis, Archelaus in opposita quæque ruentium insana pervicacia victus, cessit loco; seque in Munychiam et circumflum undis Piræei regionem recepit. Victores, ædificiis plerisque incendio ac ruina deletis, in quibus et navalia fuerunt, et celebratum Philonis armamentarium, tanta arte distributis spatiis, ut mille navium instrumentum caperet, ultra non potuerunt progredi, quod neque classem haberent, neque sine navibus sequi Archelaum possent. Igitur omisso illo, relictisque idoneis præsidiis, L. Sylla cum majore parte exercitus, et Græcorum populorum auxiliis, ut venienti novo hostium exercitui occurreret, in Bœotiam contendit.
- Appian. Plut. Appian. Plin. VII. 37. Appian. Plut.

SUPPLEMENTUM

LIBRI LXXXII.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

1. **EXPEDITIO L. Syllæ**, quemadmodum nihil tam ob- Plut. Syll.
noxium hominum iudiciis est quam imperatorum consilia,
a plerisque reprehendebatur, quod relicto Attico agro,
ubi propter asperitatem locorum pauci pluribus resistere
possent, Bœotiæ campos et apertam planitiem, numero
præsertim equitum tanto inferior, optavisset. Ceterum
Sylla, præter insitam audaciam motus causis minime in-
anibus videbatur, quod, retenta Munychia, Arehelaum
hoc intelligebat agere, ut ducendo bello, Romanos in re-
gione sterili commeatum inopia premeret. Ager enim
Atticus ne per pacem quidem tantam alere multitudinem
poterat: subvectionem annonæ ipse mari, Taxiles terra
haud magno negotio erant prohibitori.

2. Adversum hæc ea ratio Syllæ erat, ut cum hoste
potius solo, quam simul adversus hostem famemque dimi-
icaret. Ad hoc periculo L. Hortensii movebatur; quem, Memnon.
Dio ap.
Vales.
Plut.
acrem virum et propositi tenacem, cum copiis non pœni-
tendis ad se ex Thessalia pergere, hostes autem in Thessa-
liam irrupisse noverat: et nisi subveniretur, ne ubicumque
deprehensus pugnam vel cum exitio sumeret, metuebat.
Sed Hortensium quidem Caphis Bœotius per aliam quam
qua venturum barbari opperiebantur, viam circumduxit, Liv. Epit.
Plut.

donec, superato Parnassi dorso, tenuit Tithoream. Mun-
tissimus natura locus est, alto circum et præcipiti rupium
velut vallo claudente: cui quondam Phocensium pars,
inundante Græciam Xerxis exercitu, salutem atque liber-
tatem debuisse dicitur. Huc ubi longiore via secuti hostes
penetrarunt, Hortensius toto die impetum eorum haud
difficuler repulit: noctu deinde tacito agmine profectus
per loca confragosa pervenit Patronidem, ibique ab oc-
currente Sylla receptus est.

Herod. viii.
Pausan. x.
Plut.

3. Hoc adjuncto milite, non ultra mille quingentos
equites, peditum millia quindecim Romanæ copiæ effi-
ciebant. Accensa deinde Græcorum qui nuper ab Ar-
chelaio defecerant auxilia, ita augebant numerum, ut tamen
ne trientem quidem hostilis multitudinis æquaret. Igitur
Archelaum (nam et hic accitus a Taxile in Thessaliam
accurrerat) ceteri duces ad prælii tentandam fortunam
indesinenter hortabantur: donec consensu omnium victus
(nam trahere bellum haud absurdo consilio statuerat) in
aciem suos eduxit.

Appian.
Mithrid.

Plut.

4. Præter veterum copiarum reliquias, et quæ postea
Dromichætis ductu venerant; etiam Arcathia nullo
adhuc incommodo imminuta agmina, et quæ subinde Mi-
thridates summittebat, Taxiles e Macedonia adduxerat.

Oros. vi. 2.
Appian.

In universum hominum millia centum viginti numera-
bantur, mixta e variis gentibus acies; Thraces plerique
et Pontici, Scytharumque et Gallogræcorum auxilia,
tum ex Phrygiæ, Bithyniæ, ceterarumque provinciarum
quæ jugum regis acceperant, delectibus coacta juventus.
Suos cuique gentium ductores, summæ Archelaum rex
præfecerat.

Plut.

Appian.

5. Sylla castris locum in Elateæ finibus ceperat. Sed
quia neque collis quem obtinebat arduus, et lata circum
planities erat, cum neque loco fideret, et terrori hostium
multitudine animadverteret suos, intra vallum se conti-
nuit. Id cum continuis aliquot diebus factitatum esset,
contemnere hostem regii cœperunt, et, quo ferebat ani-
mus, injussu ducum pabulatum excurrere. Panopeum
Bœotiæ urbem sine certo imperio tum deletam ferunt:
Lebadem cum celebri Trophonii oraculo directam.

Plut.

Dolebat in oculis suis fortunas sociorum diripi Sylla, sed militem formidine nondum liberatum certamini non audebat objicere. Laboribus ergo atque operum tædio pu- Front. i. 11.
 tabat adduci posse, ut potius pugnam poscerent. Ipse, Plut.
 missis ad Archelaum legatis, pacis mentionem inter- Front. i. 5.
 posuit, inducias quoque pactus: quo securiorem efficeret
 hostem, et castra sua in tutiorem locum transferret.

6. Utrique consilio sicuti ratio affuerat, fortuna et successus affuerunt. Tertio die, postquam derivando Ce- Plut.
 phisi flumine, fossisque ducendis fatigari cœperant, prætereuntem forte Syllam magno cum clamore prælium
 poposcerunt. Ille non pugnam cupientium, sed laboris
 pertæsorum hunc clamorem videri increpans, ‘Tamen,
 si viri estis,’ inquit, ‘eu vobis locum, quem extemplo capiatis.’ Simul ostendit ardaum præruptumque collem,
 ubi quondam ad confluentes Assi Cephisque arx Parapotamiorum steterat. Ad hunc occupandum eodem tempore
 missi ab Archelao chalcaspides ibant: sed eximia Romanorum alacritate prævenit eos Sylla, locumque
 communivit.

7. Ut jam redire militibus virtus et armorum fiducia cœpit, Syllæque exploratores retulerunt, ‘castra hostium
 non magno plerumque præsidio custodiri; ceteros ad Memnon.
 prædam, frumentive aut pabuli convehendi gratia passim
 evagari; redeuntes, ubi per noctem ignibus, interdium
 fumo, adventum suum significassent, portis patentibus
 intromitti; eaque secure et negligenter omnia agi; quan- Plut.
 toque plus ducum ipsis, tanto minus obsequii esse?’ occa- Memnon.
 sione usus magnum barbaris detrimentum, et, quia necopinantibus acciderat, majorem ex securitate metum
 attulit.

8. Frumentatorum aliquo numero excepto, cum robustissimum quemque interfecisset, reliquos, a quorum imbecillitate nihil metuebat, resumptis armis suis pergere secum jussit. Cum in vicinum castris locum obscura jam nocte ventum esset, ‘Ne vos fugiat,’ inquit, ‘quam salutis concessæ mercedem postulem, excitatis ignibus signum quod inter vos convenit, vestris date. Ubi redditum ab illis signum fuerit, ad castra succedamus, apertas haud

dubie portas reperturi, ubi vestrae e propinquo voces agnoscentur. In hoc non magis victoriam meam, quam vestram incolumitatem sitam esse scitote. Quod si quis forte fugam, aut prodicionem tentare voluerit, a me providebitur, ut nullo neque nostro damno, neque suorum commodo, extremos sibi cruciatus accessivisse intelligat.' Omnia, sicut Sylla optaverat, obedienter facta. Eventus etiam affuit. Recepti pro amicis late per tota castra terrorem caedemque ediderunt.

9. His incommodis, et quia barbari temere vastando culta, penuriam sibi commeatum ex magna copia fecerant, Archelaus ad Chalcidem retrocedere statuit, ubi e maritimis subvectionibus abundaturus commeatu erat: dum Romani fame ac inopia rerum omnium in vastatis agris attererentur. Non fallebat Syllam, quid hostis moliretur. Igitur discedentem provide secutus, neque se dabat in discrimen, et illum qualia voluisset itinera facere prohibebat. Ita ventum ad Chaeroneam est, Plutarchi nobilis philosophi natalibus illustrem, qui rerum istarum historiam composuit.

10. Erat inter auxilia Romana Chaeronsium cohors: quae patriae periculo mota, oravit Syllam, ne hostibus esse praedae pateretur. Sylla et illos ad praesidium patriae occurrere jussit, et cum una legione Gabinium tribunum militum eo misit. Tantaque Romanorum diligentia fuit, ut, in servando oppido, Chaeronsium ipsorum, licet inflammata studia praeveniret. Barbari, spe potiundi oppidi amissa, in Thurio (confragosum admodum et praeceptum supra Chaeroneam cacumen est) valido collocato praesidio, haud procul inde castra posuerunt.

11. At Sylla, aestimato loci ingenio, cum barbaros suam ipsos multitudinem inutilem effecisse; sibi vel ad inferendum gradum, vel ad referendum abunde spatii; illis angusta omnia et impedita, cerneret; quod haecenus detrectaverat, praelium appetere cepit, hostemque lacessere. Quapropter, bifariam divisus copiis, sinistro cornu L. Murænam praefecit, in dextro curaturus: novissimam aciem cum subsidiariis cohortibus Sulpicius et Hortensius legati obtinebant, ita dispositi, ut circumventuris aciem Ro-

manam hostibus se objicerent. Il enim ob numerum barbarorum, et quia equitum levisque armaturæ copiosam manum ostentabant, futurum rebatur.

12. Erius cum Homoloicho et Anaxidamo Chæronensibus, ut occulto calle in Thurium evaderent, missus, ducibus illis ex improvise regio perculit. Totum enim Romanorum exercitum adesse rati per invia præcipiti timore ferebantur, suisque ipsi armis se induebant. Ad tria millia hominum ibi cecidisse creduntur. Reliqua multitudo partim in Murenam, instructa jam acie stantem, incidit; partim ad Archelai castra delata, turbavit instruentium ordines sedulitatem, atque omnia terrore et tumultu permiscuit.

13. Sero tum Archelaus, quam iniquum in locum se conjecisset, intellexit. Equitibus igitur celeriter immissis, inferentem jam signa Syllam summoveere conatus est. Sed pulsus in abrupta equites parum aut hostibus moræ, aut ^{Appian.} suis præsidii attulerunt. Iterum ad perrumpendam Romanorum aciem sexaginta currus falcati processerunt. Sed quoniam justo spatio, quod maxime concitandis cum ^{Plat.} impetu quadrigis necessarium est, destituebantur; lente invectos Romani, diductis ordinibus cum plausu, et tanquam in Circensi ludicro alios postulantes, sine noxa transmiserunt: ubi dum hærent haud molli ad convertendum flexu, equi et aurigæ a subsidiis Romanorum impune sunt telis obruti. Sic quoque integrum Archelao ^{Appian.} erat, castrorum munitionibus se tueri, et subeuntem ad impedita Syllam pari locorum fraude involvere. Sed ille, quacumque tandem causa (nam et tum et postea varie dubitatum est ^a) educere suos maluit, et, quoniam in propinquo jam Muræna erat, constipatam in angustiis multitudinem confertis ordinibus opponere.

14. Quindecim servorum millia, qui ad promissam libertatem regiis partibus se adjunxerant, in fronte porrectis hastis stabant. Romani Saturnalia hæc esse concla-

^a Nam et tum et postea varie dubitatum est] Vide infra LXXXIII. 17. et fustus apud Usserium ad annum mundi 3919. p. 371.

editionis Genevensis, quicquid antiqui scriptores habent, quod Archelai prodicionem suspectam efficere possit. *Crev.*

mantes, gladios, abjectis extemplo pilis, ad cædenda hastilia strinxerunt. Sed quia ob densos hostium ordines tarde res procedebat, subducta gravi armatura, velites immissi sunt, totamque illam aciem glandium telorumque grandine proturbarunt. Interim dextrum suorum cornu ita Archelaus produxerat, ut inclusurus Romanum agmen videretur. Ibi Galba et Hortensius^b raptim ductis cohortibus in latera hostium facturi impetum accurrerunt. Sed prævenit eos equestris hostium procella, sensimque recedentes ad montana exclusit a cetero exercitu, summosque circumvenit. Maximum ea parte periculum erat, quod in conspectu Archelai, nam et ipse aderat, alacrius a barbaris pugnabatur.

Appian.
Plut.

Appian.

Plut.

15. Idcirco Sylla, qui nondum ad conjectum teli venerat, prope cum valido equitum globo laborantibus succurrit. Ea res, et quod ex pulvere conjectabat imperatorem advenire, terruit Archelaum, ut, omissa pugna, ad dextrum Romanorum cornu properaret, id, dum sine duce esset, sperans facilius in fugam verti posse. Sub idem tempus Taxiles contra Murænam chalcaspidas instituit ducere: diversisque e partibus ortus clamor, montiumque repercussu multiplicatus, distinuit Syllam, quo potius et prius ad ferendam opem advolaret. Deinde celeriter capto consilio, Hortensium cum quatuor cohortibus Muræna subsidio misit, ipse cum quinta et, quos habebat, equitibus ad suum cornu rediit.

16. Commissum jam ea parte prælium erat, et paribus utrimque animis viribusque pugnabatur. Ergo ubi imperator, et cum eo peditum equitumque novum robur affuit, haud ultra dubitatum est, quin hostes terga verterent. Imperator de Muræna sollicitus, protinus in illam partem victricia agi signa jubet. At jam sibi quoque oppositos Muræna, concitatis hortatu et exemplo suo militibus, egregie fuderat. Reliquus igitur labor insequendi hostem,

Appian.

Plut.

^b *Ibi Galba et Hortensius*] Galba, qui hic ab Appiano nominatur, intelligendus est Sulpicius ille, qui supra quoque c. 11. cum Hortensio conjugitur. At priore illo loco Plutarchus *Galbam* eum vocat. Uter verum huic Syllæ legato cognomen dederit Plutarchusne an Appianus, non liquet, nec magnopere interest. *Crev.*

cædendique fugientes fuit. Magnus ibi numerus, et multo quam in prælio major, occisus. Nam, ut sagaciter Sylla conjecerat, angustiae locorum non minus fugam hostium quam pugnam impediabant.

17. Castra tamen et magna pars exercitus servari potu-
issent, nisi exelusi fuissent ab Archelao, qui eo confugerant. Sed ille redire in prælium jubebat. Nee animus plerisque deerat: sed sine ducibus, sine signis, ne loco quidem ad pugnandum apto, confusis ordinibus et sua multitudine impediti, neque referre hostem poterant, et multi a suis obterebantur. Tandem, magna parte trucidata, ultimis reliquorum obstationibus expugnatus Archelæus aperuit portas. Sed sera et pernicioosa hæc misericordia fuit. Simul cum fugientibus Romanus miles irrupit, captisque castris victoriam consummavit. Hostium ea die centum millia caesa perhibentur: non supra decem millia cum Archelao Chalcidem perfugerunt. Neque tanta de asperrimis gentibus victoria plus duodecim Romanis abstulit, si quidem commentariis Syllæ credimus. Quatuordecim desideratos fuisse scribit; sed ex eo numero duos sub vesperam revertisse.

Liv. Epit.
Eutrop.
Appian.
Oros. Plut.

18. Ob hujus victoriae lætitiæ ludos Thebis apud Cædipodeum fontem edenti, missi a Curione, captam Athenarum arcem, tyrannumque in Minervæ templum confugisse nuntiant: cum eodem die, ut postea compertum est, victoria Syllæ Athenis Curioni nuntiaretur. Multiplicatum
deinde spe alterius victoriae gaudium est; cujus certa se promissa ab Trophonio afferre, Q. Titius, negotiari in Græcia solitus, affirmabat. Etiam Salvienus legionarius miles astitisse sibi speciem Jovis, ea majestate qua Olympiæ visceretur, asseruit; finem civilium bellorum, qualis mox consecutus est, prædicentem.

Pausan. 1.

Plut.

19. Lætus his imperator, ut præsentia constitueret, judicibus ex aliis Græciæ civitatibus excitatis,^c Elatiensi-

Pausan. x.

^c *Judicibus ex aliis Græciæ civitatibus excitatis*] Quis credat Romanum et Syllam Græcorum judicium arbitrio permisisse pœnas et præmia eorum qui bene aut secus de Romanis merue-

rant? Nec vero ea mens est Plutarchi, qui tantummodo judices ludicri certaminis quod Thebis edebat Sylla, Græcos fuisse scribit. *Crer.*

bus, quod Taxili Mithridatis præfecto portas clausserant, libertatem, quam Macedonico Philippi bello amiserant, reddidit. Thebanos dimidio agri mulctavit, et, quod inde provenisset in posterum, pro donariis, quæ Olympiæ et Delphis et Epidauri abstulerat, Jovi et Apollini et Æsculapio consecravit. Armorum deinde hostilium acervum Gabino cinctu, patrio more, Diis belli præsidibus cremavit: monumentumque felicitatis prælii Marti Victoriæque et Veneri dedicandum curavit.

20. Cum inter hæc ex continuis laboribus modica quiete satis refectos cum corporibus militum animos putaret, Chalcidem cum exercitu profectus est. Sed quia navibus carenti facile præcludi aditus poterat, præsidibus, ubi profuturum judicabat, dispositis, Athenas perrexit, ut pœnas de nocentibus sumeret. Fœdum omnino pestiferumque tyrannum Aristion egerat, et ad luendum supplicium divinitus in potestatem Romanorum traditus videbatur. Cum enim obsessi munimento loci se diu defendissent, tandemque penuria aquæ deditionem coacti essent facere, ea ipsa die horaque, cum arx Curioni est tradita, sereno cælo repente nubes conglomeratas esse, copiosumque imbrem cecidisse memoriæ proditur.

21. Sylla Aristionem templo extractum venenum cœgit bibere: ceteros ejus satellites, quive magistratum sub ipso gesserant, quive quovis modo sibi aut populo Romano fuerant adversati, in Ceramicum conclusos, sorte decimum quemque ad capitale supplicium eduxit. Pecuniæ ex arce non spernenda vis egesta. Quadraginta maxime pondo auri,^d sexcenta argenti reperta fuisse memorantur. Ceterum in his dum occupatur Sylla, L. Valerii Flacci adventu audito, ut Græciam petenti occurreret, in Thessaliam movit. Ejus L. Flacci mentio cogit, ut ad urbana negotia exponenda prævertam.

22. Consul Cinna, C. Mario collega mortuo, in locum ejus Flaccum asciverat. Domi forisque nihil inconcussum, aut etiam mediocriter turbatum erat. Arma jam in

Cic. Brut.
c. 90.

^d Quadraginta ... pondo auri] Sexcenta argenti. Marcæ 937. Marcæ nostrates 62. uncia 4. uncia 4. Crev.

Urbe cessabant: sed mæsta omnia suspectaque, tantis undique irarum odiorumque causis, et animis et oculis hominum occurrebant. Inter alia non leviter civitatis concordiam magnitudo æris alieni, et labefacta fides concusserat. Ei malo ut remedium afferret, turpissimam legem **L. Flaccus** consul tulit, quadrante creditoribus solvi jussu: ut jam injuriæ perfidiæque publicus auctor, non immeritas pœnas violatis societatis humanæ vinculis dedisse videatur, altero statim anno a **C. Fimbria**, legato suo, contra jus fasque interentus.

23. Inter mala civitatis etiam monetæ fraudes patrimonium privatorum afflixerant. Iis ut obviam iretur, de probandis denariis (octoginta quatuor e libra signari justum erat^c) tribuni plebis legem promulgaturi, ut res nummaria de communi sententia constitueretur, collegium prætorum adhibuerunt. Sed edictum communiter conscriptum **Marius Gratidianus** prætor, ut omnem populi favorem in se averteret, ceteris ex composito pomeridianum tempus expectantibus, statim a subselliis ad rostra contendens, suo unius nomine proposuit. Tantaque legis ejus gratia fuit, ut per omnes vicos ei statuæ, et ad eas thus et cerei ponerentur.

24. **Cnæi quoque Pompeii**, qui postea **Magnus** est appellatus, judicium idem annus habuit. **Peculatus** erat ob furta **Strabonis** postulatus, et quod in **Asculana** victoria libros et plagas venatorias munere patris acceperat. Dixerunt pro **Pompeio Q. Hortensius**, et **L. Philippus** jam senex, ‘se non immerito, cum sit **Philippus**, **Alexandri studiosum esse**’ dicitans: quod jam id nomen a multis **Pompeio** imponi cœperat. Egit et pro se **Pompeius** ita constanter et præter ætatem diserte, ut commotus ea re prætor **Antistius**, qui judicium exercebat, filiam ei nuptum

^c *Octoginta quatuor e libra signari justum erat*] Sic quidem apud **Plinium** legitur eo loco quem margo indicat. Sed ibi ali-quod esse vitium videtur, cum ipse multis aliis in locis longe aliter numeret. Hæc quidem verba non deterruere **Gronovium** a sua

opinionem sexcentis auctororum veterum testimoniis confirmata, ex qua denarii sex et nonaginta in libram, si ad subtiles et accuratas rationes rem revocemus; centum autem in usu populari numerantur. Enim vide **l. 11. de Pecunia Vet. c. 6. Cren.**

Vell. II. 23.

Sall. Cat.

c. 33.

Vell.

Plin.

XXXIII. 9.

Cic. de

Off. III. 20.

Senec. de

Ira, III. 18.

Cic. Plin.

Plut.

Pomp. c. 6.

Cic. Brut.

c. 64.

Plut.

offerret. Accepta conditione Pompeius, cum paucos post dies absolveretur, a populo Thalassionis inelamatum nomen est, quod tum inter festivitatem nuptiarum solebat celebrari. Plurimum tamen ei Cn. Carbo patronus profuit, magna tum potentia: cujus acerrimo studio atque enixa opera defensus est.

Val. Max.
v. 3. 5. et
vi. 2. 8.

25. Asiæ deinde et Græciæ bella respicientibus non magis hostis Mithridates, quam imperator Sylla terrori erat. Igitur fit senatusconsultum, quo L. Flacco consuli bellum Mithridaticum et legiones duæ decernuntur. Adjectum, ut, ‘ siquidem in potestate senatus Sylla esset, adiutore illo; sin vero, tanquam hoste uteretur.’ Hæc audita moverunt Syllam, ut in Thessaliam duceret.

Appian.
Civ. 1. et
Mithrid.
Memnon.

Plut.

Appian.

26. Inter hæc Archelaus, acceptam terra cladem utcumque maritimis expeditionibus sarcians, archipirate magis, quam magni ducis, more circum insulas vagabatur. Sed, ad Zacynthum exscensione facta, cum obsidere oppidum instituisset, ab oppidanis, ductu quorundam Romanorum, qui forte ibi negotiabantur, nocturna eruptione territus, e vestigio conscendit naves, Chalcidemque inglorius rediit. Eodem et Dorylaus, Philetæri F. cum novo exercitu venit. Idcirco ad Syllam, cum vix Melittænsium fines (Thessaliæ oppidum Melittæa fuit, quod et Melitea vocabatur) attigisset, frequentes undique nuntii accurrerunt, omnia quæ recepisset a tergo, non minoribus, quam antea, copiis per Mithridatis præfectos opprimi.

Strab. x.
p. 478.
Plut.
Steph.
Plut.

Appian.

Oros.

Appian.

Plut.

27. Rex enim, comperta exercitus sui strage, uti par erat, territus, animum tamen minime desponderat, quin ex novis delectibus, et quos antea collegerat, octoginta hominum millia classi imposita cum Dorylao duce mitteret. Atque is, cum Chalcidem appulisset, celeriter recepta Bœotia ferox et exultabundus, Syllæ congressum optabat, Archelaumque deterrere orsum negligebat: fama quoque dispersa, ‘ non sine prodicione ducis tot bellatorum millia tam facile deleri a Romanis potuisse.’ Enimvero circa Tilphossun, reverso Sylla, levibus præliis Romanæ virtutis experimentum cepit: adeo mutata sententia, ut postmodo princeps, ducendum esse bellum, sumtibusque et tempore atterendum Syllæ impetum, censeret.

28. Sed ubi, castris ad Orchomenum positis, loci fiducia spem Archelao dabat, quod equitibus, qua parte virium regii præstabant, opportuna planities se pandebat; parare se cœpit, tanquam casum prælii primo quoque tempore subiturus. Copias ita digesserat, ut in fronte quadrigæ falcatae essent: post has locata phalaux erat, Macedonici instituti acies. Tertii auxiliares stabant, cum Romanis armis, mixtis Italicæ gentis fugitivis. Post omnes levis armatura constiterat. Equitatus utrumque latus claudebat, commisso prælio ad circumveniendum hostem evoluturus.

Frontin.
Strat. ii.
3.

29. Adversum hæc omnia Romanus, loci numerique incommoda labore emendanda ratus, fossas in utroque latere complures instituit ducere, decem in latitudine pedibus patentes, et in capitibus earum castella communiuit. Triplicem deinde peditum aciem fecit, intervallis relictis, per quæ equitem, quem novissimo loco tenebat, ubi visum esset, emitteret. Deinde antesignanis secundæ aciei imperavit, ut robustos densosque palos firmiter in terram defigerent. Quod ubi factum est, et ab regionum acie concitati currus provolarunt, intra palorum septa recepit suos, statimque, sublato clamore, velites et levem armaturam ingerere tela jussit. Erant ad terrorem comparata omnia, nihil usitatum notumve: sed in mediis campis velut subito enatum vallum, conversa in aliam formam acies, insolita et inopinata monstra occurrebant. Pars quadrigarum implicita palis hæsit: aliæ, conversis habenis in suos recurrentes, phalangem dissiparunt.

Plut.
Appian.
Frontin.

30. Interea cum, equitibus Archelai incumbentibus, qui ad opera erant, milites turbarentur, metusque ad aciem etiam Syllæ pervenisset; ille ex equo desilit, correptoque signo in primos ordines procurrens, 'Cum deinde,' inquit, 'interrogabimini, ubi imperatorem vestrum deserueritis, mementote dicere, pugnante ad Orchomenum.' Hæc illo clamante tribuni centurionesque accurrerunt, milites quoque multi secuti sunt, et a dextro cornu integræ cohortes duæ affuerunt. Ita repulsis hostibus, collaudatos milites reduxit; cibumque capere, et, refectis prandio viribus, ad opus reverti jussit.

Appian.
Plut.
Front. ii.
8.

Appian.
Plut.

31. Tum vero iterum invecti sunt hostium equites, non incomposito, ut antea, impetu, sed servatis ordinibus. His Romanum equitatum Sylla opposuit, ipse præsens hortator, et tota acie, ubi maxime opus erat, se offerens: donec, egregia iterum victoria potitus, ad quindecim hostium millia, majorem partem equites, et in his Diogenem Archelai privignum cecidit. Pedites cum diu restitissent, tanta sagittariorum pervicacia, ut, quoniam prementibus Romanis spatium utendi arcubus non habebant, densis sagittis, tanquam gladiis, cominus ferirent hostem, intra vallum compulsi sunt.
32. At L. Sylla, ne iterum Chalcidem elaboretur Archelaus, quo prosequi eum inopia navium nequiret, toto campo stationes nocturnas disposuit. Deinde, luce redita, vix ad centum a castris hostium passus fossam fodit: et magnam manum, quæ ad prohibendum opus procurrerat, ita rejecit, ut reliquis nulla deinceps ad erumpendum audacia superesset.
33. Cohortatus igitur exercitum Sylla, 'ut adversum trepidos et imbelles armis potius quam operibus pugnant, et convulsis in quas se condidissent latebris, belli reliquias uno impetu profligarent;' protinus ad oppugnandum Archelai vallum duxit. Neque regii præfecti stimulare suos omittebant: modo dedecoris magnitudinem, si plures a paucioribus ne in munimentis quidem se defenderent; modo nullam nisi in armis spem salutis ostendentes. Magno igitur clamore et impetu res utrimque gerebatur: et licet Romani, testudine facta, partem valli subruerant, densa tamen barbarorum acies strictis gladiis deterrebat irrupturos. Donec Basilus tribunus legionis primus omnium transcendit, et, hoste cæso, exemplum reliquis viamque ad irrumpendum dedit.
34. Sic expugnata sunt Archelai ad Orchomenum castra: tanta iterum cæde, ut sanguine paludes infectæ, stagnumque in proximo cadaveribus oppletum, referantur. Viginti millia hominum, in paludes compulsa, cum preces victoribus non intellectas funderent, inexorabilis Syllæ crudelitas delevit. Totidem alia in flumine periisse dicuntur; præter eos, qui in castris et circa passim sunt

Front. II. 3.

Appian.
Oros.

Plut.

Appian.

Plut.

Appian.

Plut.

Oros.

Appian.

Oros.

trucidati. Archelaus tamen evasit discrimen, paludum Eutrop.
latebris, per biduum occultatus : tertio demum die navi- Plut.
culam nactus, qua Chalcidem trajiceret. Ibi, quicquid Appian.
usquam regiarum copiarum propinquis regionibus agebat,
summo studio contrahere conatus est ; ut saltem Eubœam
teneret, donec meliorem aliquam spem repetendæ Græciæ
casus aliquis attulisset.

35. Sylla postero die quam prælio victor extiterat,
tribunum vallari corona, multos deinde alios militaribus
donis cohonestavit ; virtutis causa, et alioquin retinendæ
exercitus voluntati pecuniæ profusus. Direptis deinde
Bœotiæ oppidis, quotquot iterum ad regiones defecerant,
et Anthedone, Larymna, Alæisque eversis, in Thessaliam Plut.
hyematum transiit : simul intentus in Flacci consilia, si- Appian.
mul quæstorem expectans, quem ad classem adducendam
emiserat. Interim ipse fabricare ex præsentī copia naves
instituit : quando neque Lucullus, neque certus aut con-
stans de eo rumor adventabat.

36. Sed ille, postquam ad belli societatem adduci Pto- Plut.
lemæus nequibat, navibus, quibus Cyprum deduceretur, Lucull. c. 5.
acceptis, ex maritimarum civitatum, quas præter vela
faciebat, auxiliis modicam classem collegerat : et, vitatis
piratarum insidiis, Rhodum appulsus, assumtis Rhodio-
rum navibus, Coos etiam et Cnidios, ut, ejectis barbaro-
rum præsiidiis, arma secum in Samios ferrent, impulerat.

37. Eadem æstate, qua bellatum in Bœotia erat, Mi- Appian.
thridates post primam Archelai cladem, sævitia ingenita, et
levitatem Asiaticorum, ne cum fortuna mutarent animum,
veritus ; occupare perfidiam alia perfidia, et priusquam
occasionem nocendi adipiscerentur, auferre potestatem
statuit, suspectosque passim ut in manu haberet, operam
dedit. Ante omnia Gallogræcos, quotquot Tetrarchici
generis erant, amicitie specie Pergamum evocatos sustu-
lit : cum ipsorum insidias vix evitasset.

38. Ad sexaginta numero convenerant, et cum servili- Plut. de
ter se haberi cernerent, conspiraverant in necem regis. Virtut. Ma-
Præcipuo robore Toreadorix quidam erat, Tosioporum lier. c. 41.
tetrarcha. Is Mithridatem in gymnasio jus dicentem cum
ipso tribunali in præceps daturus, cum forte eo die Mi-

thridates in gymnasium non ascendisset, in suam domum convocatos, bono animo esse jussit, et, quamprimum data occasio foret, undique strictis mucronibus impetum in regem facere. Sed, re detecta, Mithridates omnes cum uxoribus et liberis interfecit, sepultura quoque negata. Tres tantummodo fuga servati. Pecuniam omnem Mithridates diripuit: missoque, qui genti præesset, Eumacho, Gallogræciam in provinciæ formam redegit. Sed, qui effugerant, reguli, quorum clarissimus Deiotarus diu post hæc tempora vitam regnumque produxit, collecta popularium manu, Mithridatis præsidia cum ipso præfecto expulerunt.

Appian.

Oros. VI. 2.

Appian.

39. Chios adhuc gravior calamitas oppressit. Publicatis omnium bonis, qui profecti ad Syllam fuerant; deinde missis, qui in factionem Romanam inquirerent, postremo cum militari manu Zenobius affuit, dissimulato consilio, tanquam in Græciam trajecturus. Is nocturno tempore muros urbis, et si quæ alia apta defensionis loca erant, occupavit, et, præsidio ad portas collocato, per præconem hospites quiescere, oppidanos in concionem procedere jussit, mandata regis accepturos.

40. Ubi convenerunt, 'Nihil eos mirari debere,' ait, 'si graviter iratum sibi regem audiant. Quanto quisque sit majoris animi locique, tanto ægrius tolerare injurias, et conquere iram posse. Mithridatem hac potentia, et his gestis rebus, iniquissimo animo laturum, si a parva civitate contemni putet, quem maximæ nationes potentissimi-que reges colant. Plane constare, multos eorum cives Romanæ factionis esse: utrum autem invita, an vero volente civitate sint, non constare. At vero ea facta neque merito regis, neque ipsorum promissis respondere. Negari non posse ipsius beneficio, quemadmodum et ceteram Asiam, gravissimo Romanæ dominationis jugo liberatam Chion esse. Atque hoc ipsos agnovisse a principio, regemque suis decretis liberatorem atque Deum appellavisse. Atque illum vicissim tribuisse multa; debitorum partem remisisse magnam; ex bonis damnatorum addidisse plurimum.

41. 'Pro his meritis audire, Chios Romanorum esse

studiosiores. Id quamvis verum esse de universa civitate non putet, multos tamen eo crimine teneri, haudquaquam ambiguum esse. Veniam tamen daturum arma et liberos principum obsides tradituris. Id adeo regis multo minus quam Chiorum interesse: neque illi, quam civitati, tanto odio esse debere, qui res novas moliantur. Quippe illius res defectione Chiorum non multo deteriores fore: at, qui Chiis regem inconcilient, certum patriæ suæ excidium meditari. Nam et insulam tantæ regis potentiæ resistere non posse: et, quanquam in Bœotia victor Sylla extiterit, non modo cum aliis exercitibus Mithridatis, quibus rex abundet, sed etiam cum civibus suis dimicaturum. Jam in Græciam transcendisse L. Valerium consulem, Marianarum partium virum. Neque dubitari¹ posse, quin ibi locorum eadem sint exercituri odia, quæ domi et in Italia ostendissent.⁷

42. Chii, postquam hæc audiverunt, hinc necessitate, inde spe impulsus, fecerunt imperata. Idcirco Zenobius, Erythras misso quod erat traditum, expectare Chios literas regias jussit: æque paulo post affuerunt, in hanc sententiam scriptæ.

43. ‘Nunc quoque Romanorum fautores esse pergitis, quorum adhuc non pauci in vestra urbe degunt: prædia quoque eorum exercetis, neque vectigal nobis eorum nomine penditis. Et, navem quidem meam impulsu triemis vestræ propemodum demersam, culpæ gubernatoris ascribi facile paterer, nisi vestros animos clam missi ad Syllam optimates arguerent: quod si publico consilio non esset gestum, nuntiare vos, et delatis reorum nominibus, suspicione liberare civitatem oportuit. Vos igitur, non imperio tantum meo, sed etiam salutis, insidiatos, quanquam de sententia amicorum supplicio afficere debueram, duobus talentorum millibus^f mulctare malo.’

44. Trepidus ad hæc, et, ut ad regem legatos mittere liceat orantibus, cum negatum a Zenobio esset; arma tra-

¹ *Dubitare* edd. ante Crev.



^f *Duobus talentorum millibus*] Marcis argenti 187,500. Crev.

dita, obsides datos, muros a barbaris insessos reputantes, eo descenderunt, ut imperatam pecuniam penderent. Sed, ubi, detractis fanorum ² ornamentis, mulierumque collato mundo, ægre hanc summam confecerunt, Zenobius aliquid deesse ponderi cavillatus, adesse iterum in theatro unversos jussit. Inde, cum theatrum viasque ad mare ducentes armatis sepsisset, nominatim evocatos præcipuum quemque, deinde ceteros ipsorum servis vinctos tradidit, ut in Colchos deportarentur. Seorsim deinde a viris, ne quid acerbitatis atque ludibrii deesset, infirmiore sexum ætatemque barbaris custodibus avehendos commisit. Urbs Chiorum Ponticis colonis est tradita, agerque a Zenobio distributus.

Memnon.
Nicol.
Damasc. et
Posid. ap.
Athen. vi.
18.
Appian.
Memnon.

Appian.

45. Ceterum partem navium, cum præterveheretur Heracliensem oram, exceperunt Heracleotæ, quibus amicitia cum Chiis intercedebat: Chiosque, in urbem suam receptos, donec confectus iis in patriam reditus fuit, hospitaliter secum habuerunt. Id primum in tanta clade solatium miseris fuit: proximum, quod Zenobium haud multo post pœnam luisse scelerum compererunt.

46. Ephesum ille cum militibus appulerat, eadem omnia, quæ Chii, exempla editurus. Illi, nisi positis armis et parvo comitatu, recipere hominem recusarunt. Qui ubi accepit conditionem, et apud Philopœmenem, cui rex gener urbis præfecturam commiserat, divertens, per præconem edixit, ut ad concionem populus conveniret, Ephesii, nihil non ingratum opperientes, rem in sequentem diem rejecerunt. Sed nocte quæ intercessit capto inter se consilio, arma corripuerunt; trusoque in carcerem Zenobio et statim interfecto, centuriare multitudinem, et, ex agris in urbem comportatis, quæ poterant, omnibus, adversus vim parare se instituerunt. Hæc audita Trallianos, Hypæpeños, Mesopolitasque impulerunt, ut eadem omnia facerent. Smyrnæi quoque, Sardianique, et Colophonii cum aliis quibusdam exemplum Ephesiorum secuti sunt.

Oros. vi. 2.

Appian.
Liv. Epit.

47. At Mithridates, misso contra defectores exercitu, quotquot redigere in potestatem potuit, crudeliter afflictis;

² Ita ex Appiano correxit Crev. Edd. præcc. habent *funerum*.

ut ceteros benevolentia retineret, ‘Græcis per Asiam Appian, urbibus libertatem,’ edixit, ‘se concedere: porro, ne quod genus hominum regiæ munificentiae expers foret, debitores aeris alieni obligatione solvi; inquilinos cujusque urbis civium numero ac jure agere; manumitti servos jubere.’ Hæc eo pertinebant, ut, contra veterum civium dubios animos, hæc esset semper ad arbitrium regis parata factio, non ob acceptum modo beneficium, sed quia, auctore sublato, ne illud quidem sibi mansurum esse intelligebant.

48. Plures deinde contra Mithridatem inita detectæque conjurationes fuerunt. Familiares regis Minionem et Philotimum Smyrnæos, et Lesbium Clisthenem, Asclepiodotus, et ipse Lesbo oriundus, cum particeps ejus consilii fuisset, prodidit: adducto velut in secretum Minione, ut ipse rex post lectum abditus de conjuratione agentem audiret. His ita deprehensis, quamvis omnia crudelitatis ingenia admovisset, ipse tamen sæpius animo disercuciabatur, nihil jam ne inter domesticos quidem tutum fidumque inveniendo.

49. Postquam autem etiam Pergami circiter octoginta viros idem propositum habuisse cognovit; in ceteris civitatibus non defore qui similia molirentur existimans, passim exerceri quæstionem proditionis jussit. At, quibus id negotium commissum fuerat, paucos ex merito, ceterum suos quisque inimicos sub ejus criminis invidia damnaverunt. Ad mille sexcentos suarum quemque³ Oros. urbium principes ea pestis absumsit: quorum accusatores Appian. paulo post partim a Sylla comprehensi pœnas luerunt: alii sua manu prævenerunt supplicii fœditatem: reliqui omnibus exosi, cum domi sperarent nihil tolerabile, Mithridatem in Pontum refugientem secuti sunt.

50. His tumultibus et gemina suorum clade territus Oros. Mithridates, scripsit Archelao, ‘ut, quibus posset condi- Appian. tionibus, bellum desineret.’ Ille, misso ad Syllam De- Sall. In. liaco negotiatore, cui et ipsi nomen Archelao erat, collo- cert. quium iis de rebus postulavit. Egit fortunæ suæ gratias Plut. Syll. Sylla, quæ ancipitem animi magno iterum æstu liberaret.

³ *Suorum quique* edd. ante Crev.

Nam, urbana modo negotia, modo Mithridaticum bellum respiciens, neque par ambobus erat, et utrum persequeretur aut omitteret, paribus hinc iude momentis ambigebat. Navibus quoque et pecunia destituebatur: quæ neque domo mittebantur, et ex fanorum spoliis aut aliunde paratas jam absumserat. Cum igitur uterque paratos ad paciscendum afferret animos, haud ægre pepigerunt, 'ut in mari circa Delium congregarentur.'

Appian. 51. Ibi prior Archelaus ita inquit: 'Quæ rex meus, aliorum ducum injuriis avaritiaque compulsus, arma cepit, ea, virtutem tuam admiratus, cupit ponere, modo tolerabiles⁴ ei conditiones ferantur. Tibi certe, cujus præsentiam urbanæ res tantopere desiderant, in promptu est, accepta a rege pecunia, et navibus, et copiis, quanta postuleris, ad ulciscendos inimicos uti.'

Plut. Appian. 52. Tum Sylla: 'Siquidem injusta se passum Mithridates crediderit, legatos missos et de injuriis questum oportuit: non vero aliena regna invadere, totque millibus occisis hominum, et quæ illi habuerunt, et excepta insuper mortalium casibus, Deorumque sacris dedicata, diripere. Neque vero amicis mitius, quam hostium acerbissimis usus, et aliorum interfecit plurimos, et quos mensæ suæ adhibere consueverat, tetrarchas, cum liberis et uxoribus, licet hostile nihil ausos, trucidavit. Sed, ut aliena mittam, qualem in nos animum fuisse dicam, qui nullum in belli usum, sed altissimo tantum odio, quicquid Italici generis hominum in Asia fuit, cum tota familia, ne libertinis quidem exceptis, omni cruciату ignominiaque delevit? Atque is idem repente noster amicus extitit, non alio scilicet beneficio motus, quam quod plusquam centum sexaginta suorum millia nostris concisa manibus intellexit.

53. 'Pro quibus in nos meritis, haud erat iniquum in-expiabilia posthac adversus eum bella geri. Sed tamen tibi pro eo deprecanti hoc dabimus, ut veniam ei a senatu populoque Romano impetremus, si bona fide respiscat. Quod si, ut solet, utque ego magis opinor facturum, haec

⁴ *Tolerabilius* legitur in edd. ante Crev.

ideo tantum agit, ut, dilato interim periculo, consilium ex eventu capiat: jam ego te, Archelaë, hortor atque moneo, ut Fortunæ invitanti ad excelsa omnia ne desis. Quemadmodum ille suos amicos remuneret, multorum jam malis discere potuisti: quæ nostra sit in socios fides, quæque liberalitas, ut alios taceam, Eumenes atque Masinissa satis et recentia, et nota omnibus documenta sunt.' Ad extremum eo prolapsus est, ut loco Mithridatis Archelaum regnare posse diceret, siquidem tradita sibi classe dedisset operam, ut benevolis Romanis uteretur.

54. Sed ille, adhuc loquentis abrupta oratione, 'Proditorem,' inquit, 'Sylla, Archelaum non habebis: amicum habebis, si æquis legibus pacem cum Mithridate feceris.' Ad hæc Sylla paulo commotior: 'Tu vero,' inquit, 'Archelaë, cum sis Cappadox, barbarique regis aut servus, aut, si malis, amicus, (nec enim ego quicquam interesse putem,) tantis propositis præmiis a turpitudine proditiōnis abhorres: me, et Romanum, et Syllam, ad turpia fœdera sollicitas! Quasi vero non ille sis Archelaus, quem de centum viginti millibus hominum, cum paucis fugientem Chæronea vidit; quem Orchomenus, stratum corporibus Bœotiam relinquentem, in paludum suarum latebris biduo texit.'

55. Territo ad hæc Archelao, et deprecante; ille modico interposito silentio, 'Siquidem,' inquit, 'omnem, quam habes, classem, duces, legatos, captivos, transfugas, fugitivos Mithridates tradiderit; Chios, et si quorum aliorum par causa est, civitatibus suis reddiderit; præsidia, nisi quibus locis ante bellum habuit, deduxerit; sumtus belli, cujus ipse concitor fuit, præstiterit; et patrio regno contentus, cetera quibus oportebit restituerit: spero me ei delictorum veniam a populo Romano impetraturum esse.'

56. Ad extremum ita convenit: 'Mithridatem Asia et Paphlagonia abstinere: Bithyniam Nicomedi, Cappadociam Ariobarzani reddere: Romanis duo millia talenta, cum septuaginta rostratis et omni armamento,

« Duo millia talenta] Marcus argenti 187,500.

- dare. E diverso Syllam et reliquum ei regnum confirmare, et auctorem fieri, ut socius amicusque populi Romani appelleretur.' His ita pactis, Archelaus, praesidia quibus ipse praesset continuo deducturum, de ceteris scripturum regi, recepit; atque interim seque et classem Syllae tradere.
- Appian. Liv. Epit. Memnon. Appian. 57. Dum haec ultro citroque geruntur, L. Valerius Flaccus consul, ut Syllae succederet missus, Brundisio solvit: statimque a principio, cum vix portu exisset, infelicis expeditionis quasi praenuntia tempestas plerasque naaves solvit; aliasque praemissas praefecti Mithridatis incenderunt. Reliquos cum invasisset fames, vix et aegre Byzantium, deinde, fortuna jam prosperiore usi, in Bithyniam ad oppidum Nicæam pervenerunt. Eodem cum iis, quos ipse ducebat, C. Fimbria legatus accessit. Erat hic extremæ audaciæ homo, consuli ignavo et rei militaris imperito adjutor datus. Sed ea res utriusque vitii cito in commune exitium vertit. Pravum ingenium consuli erat, avarum, et ad supplicia praiceps: quibus rebus benevolentia militum haud sane retinetur. Ergo praemissa parseorum in Thessaliam, in Syllae castra transiit: ceteri ne deficerent, aegre a C. Fimbria retenti sunt. Hunc enim ob simulationem virtutis et æquitatis exercitus diligebat: quod is contemptum pecuniæ praeferebat; cum Flaccus inexplebili cupiditate, non contentus cetera in sinum suum condere, etiam annonam militum, praedæque illis debitam partem, in lucrum converteret.
- Dio ap. Vales. Liv. Epit. Dio. Memnon. Dio. 58. Ab his initiis aversus a Fimbria consul, cum neque dictis neque factis contumeliosis in eum abstineret, irritabile hominis ingenium, et ad audaciam semper projectissimum, vecordiae contumaciæque implevit. Ea contentio jam ex quo Byzantii convenerant se exseruit: Flaccumque in urbem ingressum criminatus Fimbria est, 'milites hycmaute cælo extra mœnia viles contentosque tendere: Flaccum pecunias per injuriam exereitus partas, luxu et deliciis intra tecta consumere.' Tantumque seditionis commotum est, ut milites in urbem vi irrumperent, et, obviis quibusdam obruncatis, suo arbitrio per domos distribuere. Sed, his utcumque compositis, in alterum annum dilata est seditio, quæ delatum auctoritate senatus

imperium Flacco ademit; senatu inconsulto Fimbriæ dedit.

59. Inter hæc censores in Urbe L. Marcius Q. F. Q. N. FastiCapit. Philippus, M. Perperna, lustrum septimum atque sexagesimum condiderunt: opera publica locaverunt: senatum recensuerunt. Quo tempore Ap. Claudius a censore Marcio est præteritus (quanquam ei propinqua cognatione junctus esset) quod in partibus optimatum ille fuerat. Idem censor aquæ Marcie ductum bello sociali disturbatum refecit. Civium Romanorum censa tum capita sunt CCCCLXIII. millia: princeps senatus L. Valerius Flaccus, gentilis consulis Flacci, lectus est.

Cic. in Verr. 1. 55.
Cic. pro Dom. c. 32.
Pigh. Ann.
Euseb. Chron.
Liv. Epit. LXXXIII.

60. Sub hoc tempus cum omnia in Urbe incerta, et neque legi quicquam, neque mori relictum esset; qui dominationem obtinebant, eo cogitationes omnes converterant, ut L. Syllæ, quem suæ publicæque rei vindicem metuebant, resisterent. Igitur L. Ciina se tertium cum Cn. Papirio Carbone consules ipse fecit.* Horum impotens tyrannis adeo multos principum virorum ad Syllam se recipere coëgit, ut amplius in castris ejus, quam in ipsa Urbe, senatus instar esset.

Appian. Civ. 1.
Auct. de Vir. Illustr. in Cinna.
Liv. Epit. LXXXIII.
Dio ap. Vales. Plut. Syll. c. 44.

61. Hæc dum alibi fiunt, proconsulem Asiæ Flaccum Fimbriana tandem audacia imperio vitæque exiit. Forte de hospitio quæstori consulis cum legato C. Fimbria lis inciderat. Flaccus multa cum legati contumelia secundum quæstorem dedit: deinde Fimbriæ discessum minitanti, 'discessurum esse, vel invitum,' respondit: mox contra convicianti, adempta legatione successorem dedit. Ille, tempore observato, quo Chalcedonem proficiscendum fuerat, quasi salutaturus in discessu commilitones Byzantium divertit. Multa ibi oblique in avaritiam et crudelitatem Flacci jactasse constat, militibus, ut sibi prospicerent, per speciem benevolentiae monitis. Deinde postquam hæc ad intimos animos dimissa, seque in ea apud omnes opinione esse sensit, ut plerumque opem salutis in ejus præsentia reponerent; consensu suggestu aperte incusare Flaccum proditionis cœpit: 'neque aliud immani avaritia

Appian. Mithrid.
Dio.
Auct. de Vir. Illustr. in Fimbr.
Appian.
Dio.

* A. U. C. 667, A. C. 85.

Appian. hominem agere, quam ut, accepto a Mithridate auro, milites cædendos vincendosque præbeat.' Iis causis ita exarsit proclivis alioquin in seditionem concio, ut Thermum, pro prætore a Flacco relictum, ademptis fascibus ejiceret.

Diod. ap. Vales. 62. Fimbria gratiis militi actis, tanquam vicem redditurus beneficii, res sociorum agi ferrique, redigi in servitutem obvios, alia contra disciplinam fieri passus, paucis diebus opulentos ex pauperibus effecit. Sed quorum raptæ res hominesque fuerant, obviam profecti Flacco, graviter de injuriis suis querendo, proconsulem jam ante Fimbriæ infestum ita accenderunt, ut sequi eos juberet sua statim recepturos. Ubi ad castra ventum, multis cum minis imperavit Fimbriæ ut ablata dominis restitueret. Ille, culpam in milites conferens, se invito quod esset factum accidisse præferbat: nec eo minus clam instigabat audacissimum quemque, 'rem acerbam indignamque' dictitans, 'auferri militibus ab imperatore, quod suis laboribus et belli jure quærivissent. Neque se eis auctorem esse, ut quicquam earum rerum redderent.'

Appian. 63. Igitur, Flacco jam in omnes, et ut quisque loco præstabat, minacius invehente, magnus in castris tumultus excitatus est. Donec metu profugus proconsul, ex ædibus ubi se occultaverat, noctu superatis mœnibus, primo Chalcedonem, deinde Nicomediam se proriperet, clausisque oppidi portis vim extremam arcere conaretur. Sed Diod. Fimbria nihil contatus, trajecto freto proconsulem insequens, obiter prædam agebat ex agris; pecuniam imperabat civitatibus: qua inter milites distributa, benevolentiam sibi manipularium compararet. Quod si quod oppidum jussa detrectaret, diripiendum exercitui præbebat. Ita Nicomediam perventum est; quam et ipsam militi Vell. ii, 24. concessit in prædam: proconsulemque e puteo protractum Appian. privatus, et majorem amicum comes occidit. Imperium Liv. Epit. militari consensu in Fimbriam translatum, licet pessimi Oros. vi, 2. exempli res et esset, et videretur, senatus temporibus Liv. Epit. Memnon. servire coactus ratum habuit.

64. Talis ferme ea tempestate rerum ubique facies erat. Mithridates multa et faciebat acerbata, et patiebatur: in-

gentes exercitus amiserat: insidiis, etiam amicorum, petebatur. Græciam Romani simul regique; Lydiam, Ioniam, et conjunctas his provincias Pontici regis ira vastabat. Liv. Epit. Flor. III. 6. Macedoniam Thraeces populabantur. Piratæ invaserant maria. Romani et cum aliis, et inter se discordes, suas ipsi victorias, sua arma horrebant. Multiplex omnino, et perplexum malum Europam Asiamque communi calamitate involverat.

SUPPLEMENTUM

LIBRI LXXXIII.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

1. C. FLAVIUS FIMBRIA imperium copiarum, quo diximus modo, nactus, non sicut ambitiose erga milites, injuste adversus socios, sic etiam timide atque negligenter contra hostem administravit. Filium suum Mithridates patri cognominem cum ingenti exercitu Bithyniam tueri jusserat, Taxile, et Diophanto, et Menandro, claris bello ducibus, adjunctis. Ab his primum repressus, nec sine detrimento, Fimbria, mox aliquot præliis superior, res regis prope desperationem ultimam adduxit, non animo tantum adversus fortuita casuum, sed etiam consilio bonus.
2. Quod enim numero militum longe erat inferior, astu rem inclinatham restituit: ductisque ad latera castrorum brachiis, fossa in fronte facta, quietum in vallo militem tenuit donec regium equitatum temere in angustias munimentorum ingressum improvisa eruptione sic excepit, ut sex hostium millia desiderarentur. Iterum ad Miletopolim, juxta quam Rhyndacus fluvius oritur, tali loco castra metatus, ut inter ipsum et regios flumen interesset; cum forte circa solis ortum ingens pluvia securiores hostes fecisset, raptim transducto exercitu, sopitos plerosque et inermes adortus, ingentem stragem edidit, plena et illustri
- Appian.
Mithrid.
Memnon.
- Liv. Epit.
- Memnon.
Front.
Strat. III.
17.
- Oros. VI. 2.
Plin. v. 32.
Memnon.

victoria potitus. Mithridates cum præcipuis ducum, et mediocri equitum manu, citra non ausus consistere, contenta fuga Pergamum ad patrem pervenit.

3. Post hoc prælium passim deficientibus a rege populis, occasionem adeptus est Fimbria, ut crudelitatem suam avaritiamque satiaret. Tantus enim humani sanguinis appetitus inerat, ut passim multos non ex merito, neque in aliquam populi Romani utilitatem, sed animi causa occideret. Semel complures erigi palos jusserat, ubi alligati verberarentur, quos damnaverat. Sed cum adducti illi essent, minorque aliquanto numerus, quam crucium esset, apparuisset; ne frustra fixæ viderentur, e media turba corripit ad numerum, et ad vacuos palos religari præcepit. Cyzicum cum pro amico intrasset, opulentissimos oppidanorum proditionis crimine insimulatos in maximum terrorem conjecit. Deinde ad hunc augendum, ex omni numero duos damnavit, virgisque cæsos securi percussit. Hoc metu facile adegit ceteros, ut vel universorum honorum jactura salutem ab avarissimo sævissimoque latrone redimerent.

4. Ad hanc formam constitutis ubique provinciarum rebus, adversus ipsum regem Pergami sedentem ducere statuit: occurrentemque fudit fugavitque, et in oppidum se recipere coëgit. Deinde ne Pergami quidem resistere ausum, capto oppido, Pitanen, quo ille profugerat, insecutus, circumvallare obsessos orsus, parum ab ipso rege capiendo abfuit; nisi, quod fortuna videbatur obtulisse adjumentum, L. Luculli aversus animus invidisset.

5. Is, jam dimissa Rhodiorum classe, tantum paraverat propriarum virium, ut Chio regios ejiceret; Colophonios, comprehenso tyranno eorum Epigono, assereret in libertatem. Hæc gerentem legati a Fimbria adeunt, omni obtestatione instantes, ne a se obsessum regem clarissimum, eundemque infestissimum Romano nomini, elabi pateretur. Esse ipsi classem ad prohibendum mari exitum: a terra jam ita provisum, ut non possit evadere. Facilis erat labor obsidere portum: periculum nullum, gloria amplissima offerebatur. Tamen Lucullus, sive

Dio ap.
Vales.

Diod. ap.
Vales.

Plut. Syll.
c. 47.
Appian.
Vell. 11. 24.
Auct. de
Vir. Illustr.
in Fimbr.
Liv. Epit.
Oros.
Plut. Luc.
c. 6.

Oros. Plut.

amici et imperatoris sui detestatus, postulata Fimbriæ neglexit. Mithridates consensu navibus Mitylenen avectus est.

6. Fimbria jam confessione hostis victor, obibat Asiam, acerbe in vitas, in fortunas hominum consulens, quos Mithridati studuisse cognoverat, aut videri volebat. Si quæ recipere eum civitates nollent, earum agros inultus populabatur. Sic ventum ad Ilium est: quod cum obsessum a Fimbria confugisset ad Syllæ fidem, venturumque se Strab.^{xiii}. Sylla promisisset, idque significandum Fimbriæ curasset; p. 591. tanto infestior ille machinis admotis, undecima die oppidum expugnavit. Sunt qui dolo illectos Ilienses aperuisse portas referant, laudanti consilium eorum, nihilque referre dicenti, postquam in Romani populi fide essent, utri se imperatori traderent: etiam cognationis necessitudine commemorata, indignum dicebat, se Romanum hominem ducemque antiquæ patriæ mœnibus arceri.

7. Quoquo modo ingressus fuerit, sævissimum truculentissimumque hostem in ea urbe gessisse constat. Nam et omnes qui occurrerant, promiscua eade stravit, et oppidum incendio delevit funditus: eos autem qui legati ad Syllam fuerant, exquisitis cruciatibus consumpsit: adeo ne sacris quidem parcens, ut multos qui confugerant in Minervæ, cum ipso templo concremaret. Muris quoque dirutis,¹ postridie visum ivisse dicitur, ne qua forte pars urbis integra intactave remansisset. Quo minus fidei habendum putem miracula narrantibus, inviolatum Minervæ templum stesisse, neque dubitatum, quin divina majestate defensum esset. Sane sedem ejus, (Palladium vocari usus obtinuit,²) amotis quibus obrutum fuerit ruderebus, integram inviolatamque stesisse fuerunt qui dicerent: multum iridentibus qui arcanum idem ab Ulysse et Diomedæ ablatum credi; et præterea Romæ, et Lavinii, et

1 Ex Appiano emend. Crev. edd. præcc. exhibent *dentis*.

² *Sedem ejus (Palladium vocari des Deæ, sed simulacrum significatur Freinsheimius verbum Appiani Græcum ἕδος, quo non se- catur. Præiverat ipsi Appiani interpres, qui delubrum vertit. Crev.*

Luceriæ, et Siritide, et Argis ostendi noverant. Hoc Pausan. II. infortunium Hienses subierunt, cum inter duos imperatores ad potiorem magis, quam ad propiorem respexissent.

8. Sylla enim bellum eo tempore cum Thracibus gerebat, continuo Macedoniam incursantibus: quo simul immanium gentium coërceret injurias; simul, dum a Mithridate nuntios expectat, et exerceret militem, et ditaret. Igitur cum multis præliis Henetos,^b Dardanos, Sintos, Scordiscos, finitimosque populos concidisset; agros populatus, prædaque militibus concessa, in Macedoniam est egressus.

9. Sub hæc tempora Cinnae Carbonisque consulum sæva dominatio, plures subinde claros viros ad Syllam confugere compulit, reipublicæ periculum, et miserandum urbis statum nuntiantes: simul haud levi spe injecta,² fore ut consiliis adversariorum senatus resisteret, siquidem auctoritate Syllæ juvaretur. Quippe L. Cinna sine ullis comitiis tertium consul, Cn. Papirium Carbonem, duce[m] ejusdem factionis, collegam asciverat.

10. Igitur dedit ad senatum literas, quibus, enumerato quantum in Numidia quaestor pro republica, quantum legatus bello Cimbrico, et deinde prætor in Cilicia, belloque sociali consul,^c laboris exhausisset; res adversus Mithridatem gestas, domitarumque gentium numerum et ferociam extollebat: postremo multis et accuratis verbis

2 *Interjecta* edd. ante Crev.

^b *Henetos*] Tollins in not. ad Appian. hoc nomen mendosum esse putat: neque enim ullos esse Henetos Macedoniae vicinos. Itaque cum Plutarchus narret Mædicam a Sylla vastatam esse, existimat apud Appianum reponendum esse Μηδούς pro Ένερούς. Tamen Auctor de Viris Illustribus *Henetos* quoque nominat, de hac eadem Syllæ expeditione agens. Et Strabo l. XII. p. 543. auctor est antiquos illos ex Paphlagonia Henetos, post Trojæ excidium, in Thra-

ciam transisse. Illorum posteri esse potuere hi qui a Sylla victi memorantur. Crev.

^c *Belloque sociali consul*] Plura et majora gesserat adversus socios Italicos Sylla ante consulatum, quam consul. Sed hic in unum orationis membrum cogit Freinshemius ea quæ Appianus distinxit, cujus hæc verba sunt, ἢ ἐν τοῖς συμμαχικοῖς, ἢ ὑπατεύων id est, *vel bello sociali, vel consul.* Interpres Appiani in fraudem induxit Freinshemium. Crev.

imputabat, ' se tot clarissimis viris inimicorum factione domo pulsus perfugium solatiumque exitisse. At sibi non aliam pro ejusmodi meritis gratiam, quam proscriptionem capitis, eversionem domus, cædes amicorum, fugam uxoris liberorumque, referri; qui vix et ægre incolumes ad se pervenire potuissent. Venturum igitur sese propediem ultorem maleficiorum, et qui ea perpetrassent. Ceterorum vero civium, veteres novive forent, incusaturum neminem.'

Liv. Epit. Appian. 11. Ad has literas, cum nova sollicitudo perturbaret omnium animos, L. Valerius Flaccus senatus princeps luculentam de presentibus orationem in curia habuit: et assentientibus quibus concordiae studium erat, auctor mittendi ad Syllam legatos fuit. His mandatum, ' ut conciliare cum inimicis studerent: peterentque, ut, si quid caveri sibi fide publica vellet, quamprimum ea de re literas ad senatum mitteret.'

12. Cum Consulibus idem senatus egit, ' ut, interea dum de voluntate Syllæ rescitum esset, a delectibus absterent, neve spem pacis cum civibus corrumperent.' Nam illi dimissis per universam Italiam perquisitoribus, pecuniam et copias et annonam undique contrahebant, opulentissimum quemque solicitantes, eorum maxime populorum qui nuper adepti jus civitatis Romanæ fuerant: quod illorum causa omnia et facere et pati dicerent. Classem etiam instruebant, accitis insuper e Sicilia navibus, oramque omnem maritimam custodiebant: metu et cupiditate, duobus validissimis stimulis, nihil ad exactissimam diligentiam reliqui facere cogentibus.

13. Igitur quantumvis in arbitrio senatus se fore Cinna promiserat; id modo expectans temporis, dum legati proficiscerentur, ad ingenium rediit: et, quia non unius anni laborem se suscipere intelligebat, seque et Carbonem consules in biennium creavit,^d ne comitorum causa reverti in urbem necessum haberent. Quicquid deinde cogere militum indelibet poterant, in Liburnos præmittebant:

^d *Seque et Carbonem consules in biennium creavit*] Livii Epitome, L. Cinna et Cn. Carbo, a seipsis consules per biennium creati. Quorum verborum hic sensus esse

videtur, ut duobus deinceps annis ambo illi tyranni sese ipsi consules creaverint, non ut sibi imperium una designatione in biennium dederint. *Crev.*

quod inde maxime adveniēti Syllæ constituerant occurrere. Et primum quidem præmissorum agmen prospero cursu trajectum est: sequens tempestate ad littora reiectum: militesque exscensione facta bellum civile detestati suas quisque domos repetiverunt. Hujus rei fama cum late sparsa esset, jam nemo erat qui conscendere navem vellet.

14. Idcirco Cinna, jam quartum consul,* Anconam, ubi magnæ congregatæ copię erant, accurrit, ut minaci oratione territos, vel invitos in naves imponeret. Nesciebat ille, sua sui que similium opera tantam esse factam morum depravationem, ut occidi a militibus imperatorem, quia novum non erat, ne magnum quidem crimen haberetur. Erant præter alias causas exacerbati militum animi, quod Pompeius adolescens, cum in castra Cinnæ fuisset profectus, calumniam, et ex calumnia periculum fugiens, ignoratus se subduxerat: militesque clam sublatum suspicabantur.

Auct. de
Vir. Illustr.
Appian.
Liv. Epit.

Appian.

Plut.
Pomp.

15. Sic exacerbatae multitudini cum se Cinna objecisset, forte accidit, ut licitor, dum in concionem eunte consule turbam summovet, militem contemtim resistantem pulsaret, vicissimque ab alio milite percuteretur. Ibi, cum accensus ira consul percussorem corripere juberet, hoc initium tumultus fuit: sublatoque clamore omnium, lapides conjici cœperunt. Tum vero fugientem Cinnam quidam centurio assecutus, ad genua sibi accidentem, annulumque magni pretii offerentem, stricto gladio confodit: ‘ non ad signandam sponsonem, sed fœdissimi tyranni puniendi causa se adesse ’ præfatus.

Appian.

Plut.

16. Occiso Cinna, Cn. Carbo, præsentibus haud sane lætus, revocatis e Dalmatia militibus, dominationem retinere nihilo modestior Cinna conabatur: neque tribunis plebis, ad comitia habenda redire jubentibus, obtemperabat, donec se magistratum ei abrogaturos sunt minati. Sed comitia, licet repetita, sine successu fuerunt: semel, avibus non addicentibus, in aliam diem; iterum, quia Lunæ Cererisque tacta de cœlo fana erant, ex haruspicum responso, post solstitium dilata. Ne tum quidem suffec-

Appian.

* A. U. C. 668. A. C. 81.

Vell. II. 24. tus quisquam est, totoque anno consulatum Carbo solus
Liv. Epit. gessit.

Plut. Syll.
c. 46.
Dio ap.
Fulv.
Ursin.

17. Interea Sylla ordinandis Græciæ rebus per Thessaliam incedens, propter Archelai morbum, Larissæ per aliquot dies substitit: ejusque non secus egit curam, ac si legatus aut collega foret. Unde rumores orti, non optima fide pugnatum in Bœotia esse; præmiumque proditionis hoc Archelao dari: quemadmodum non alia de causa necatus unus omnium Mithridatis amicorum Aristio foret, (ceteros enim accepta classe Sylla dimiserat,) Archelao discors. Etiam appellatus ab Sylla socius et amicus populi Romani Cappadox, acceptis insuper decem millibus jugerum agri Euboici, in eandem suspicionem trahebatur. Quæ Sylla ipse in commentariis suis relata diluit.

Appian.
Plut.

18. Per Thessaliam deinde et Macedoniam ad Hellespontum ducenti occurrerunt legati Mithridatis, 'ceteras condiciones probare regem' nuntiantes, 'sed Paphlagoniam excipere: de navibus etiam promissum nihil arbitrari.' Addiderunt deinde, 'æquiores se condiciones impetrare ab altero imperatore C. Fimbria potuisse.' Hoc præcipue dicto exacerbatus Sylla, 'et Fimbriam pœnas daturum' respondit: 'et simul in Asiam trajecisset, appariturum, bello an pace Mithridates opus habeat. Cui ego,' inquit, 'si dextram reliquisset, qua tot civium Romanorum interfecit millia, procubiturum ad genua mea arbitrabar; nedum ut de Paphlagonia, de navibus neget.' Legatis ad hæc obmutescens, deprecari Syllam Archelaus cœpit, dextramque amplexus petere, 'ut se ad regem proficisci sineret. Quibus dedisset legibus relaturum pacem; aut si hoc impetrare nequivisset, sua semetipsum manu interenturum.'

Appian.

Plut.

19. Ita dimisso Archelao, expeditionem in Mædicam (Thraciæ regio est) Sylla fecit: eaque late vastata, in Macedoniam est regressus. Apud Philippos agentem Archelaus convenit: 'omnia ex animi sententia esse' dictitans: 'ceterum colloquium ejus enixe expetere Mithridatem.' Nam ille Fimbriam bello ferocem, pactis infidum metuens, Syllæ amicitiam optabat.

Appian.

20. Igitur Sylla, per Thraciam ad Cypselam terrestri

itinere pergens, L. Lucullum cum navibus præstolari ad Abydum jussit. Quippe Lucullus, circa Lecton Troadis regis classibus subito occurso profligatis, deinde Neoptolemo ad Tenedum fugato, feliciter ad Syllam penetraverat. Postquam in Chersonnesum exercitus pervenit, Lucullo tutum transitum et naves præstante, ad Dardanum Troadis Romanus processit. Eodem et Mithridates cum navibus ducentis advenit, et gravis armaturæ viginti millibus, sex millibus equitum, magnoque curruum falcatorum numero. Sylla legiones quatuor, equites ducentos adduxerat.

21. Paucis utrimque comitibus, in conspectu tamen exercituum, in campum colloquio destinatum prodierunt. Prior Mithridates, cum venienti Syllæ occurrens dextram porrigeret, interrogatus ab illo est, ‘positurusne arma esset, quibus conditionibus Archelaus pepigisset?’ deinde, silente rege, ‘Atqui deprecantium est,’ inquit, ‘prior loco dicere: victoribus vel tacere satis est.’ Ibi Mithridates, repetita patris suæque cum Romanis amicitia, quam quædam invidia sibi propriam perpetuamque esse voluisset; ad accusationem legatorum ducumque vertit, ‘qui multa cum injuria sua Cappadociam Ariobarzani reddidissent; sibi ademissent Phrygiam; Nicomedis iniquis conatibus favissent.’

22. ‘Quæ omnia,’ inquit, ‘sola pecuniæ cupiditate sunt ab ipsis facta, quam semper aut a me, aut ab inimicis meis accipiebant. Quæ equidem res, si qua alia, jure meritoque in vobis arguitur, Romani, quod tales plerumque imperatores emittitis, qui nihil melius aut antiquius esse lucro putent. Ab his coactus arma indui: quæ si qua parte vobis infestiora quam voluissetis fuerunt, id omne non animo meo, qui dum licuit Romani nominis amans reverensque fui,³ sed necessitati imputari æquum est.’

23. Ad hæc Sylla: ‘Quod ab aliis accepi, te esse discretissimum, id nunc coram experior, cum in factis atrocissimis speciosa tibi non deest oratio. Sed quanquam non in hoc convenimus, ut disceptaremus controversias, verum ut leges petitiæ pacis impleres, non gravabor paucis respondere. De Cappadocia non erat, ut absentibus inclementer

³ Fuit pro sui exhibetur in edd. ante Crev.

ter diceres : nam Ariobarzanem, si nescis, et ego reduxi. Tum igitur causari qualibet oportuit, si jussui senatus populique Romani obtemperare nolles; non tanto post tempore, cum decretis acquiesces, convellere quæ semel approbaras.

24. ‘ Phrygiam Manius Aquillius donis emtus patri tuo concesserat: quod commune vobis delictum frustra in illum transferre nisus es. Sed et ista, et quæ præterea pecunia corruptus multa Manius egerat, senatus irrita esse jussit omnia. Neque tamen, injusto possessore depulso, nobis recepimus Phrygiam, ne, quod in aliis damnamus, ipsi facere videremur; sed immunem liberamque pronuntiavimus. Quæ igitur nos, licet justo pioque bello quæsita, relinquimus, ea tibi quo tandem jure vindicabis? De Nicomedis injuria quereris. Sed ille percussorem sibi Alexandrum, deinde æmulum regni Chrestum immissos esse, atque his causis ascribendum, quod in fines tuos irrupere, testatur. Quanquam etiam missis Romam legatis expectare senatus responsum poteras, siquidem a Nicomede læsum te esse putavisses. Sed de Nicomede esto: vim inferentem vi repuleris. Quæ fuit Ariobarzanis injuria, quem haud minus, atque Nicomedem, sui regni finibus exegisti?

25. ‘ Atque hoc cum faceres, non te latebat fore, ut, qui in Asia tum legati ducesque Romani erant, pulsum reducerent. Sed hoc agebas ut bellum oriretur, quod spe obtinendi terrarum orbis imperium, siquidem Romanos superasses, jam olim eras meditatus. Nisi forte tam parum videre ceteros arbitraris, ut, cum nullo adhuc cœpto bello, Scythas, Thraces, Sarmatas societate jungeres, circum regna finitima legatos mitteres, naves ædificares, proretas gubernatoresque ex longe dissitis gentibus arcesseres, nemo intellexerit quorsum ista pertinerent? Quasi vero consilium tuum ipse temporum status non prodiderit, quod, nobis defectione sociorum occupatis, ab ultimo Ponti sinu, tanquam captatis ad hoc latebris, astutus insidiator erupisti. Neque Cappadoces tantum et Bithynos, sed Galatiam, sed Paphlagoniam, Asiam denique, non ignarus nostræ ditionis esse, invasisti.

26. ‘ Quibus in terris quid tandem a te sceleris aut cru-

delitatis prætermissum est? Taceo civitates mancipiis aut obæratas traditas, ut, quibus obuoxii esse debebant, his imperarent. De Græcis Asiaticis nihil dico, quorum principes mille sexcentos uno proditionis obtentu trucidasti. Gallogræcorum sepulta sit memoria: quanquam corpora sepultura prohibuisti, cum socios tuos et hospites, communi mensæ adhibitos, miserabiliter occidisses. Cujus animi fuit, quod Italos omnes cum liberis et uxoribus una die ferro aut aqua sustulisti? Quo quidem tempore ne sacra quidem et veneranda loca præsidio pereuntibus esse potuerunt: tantum te populi Romani tenebat odium, ut, dum nobis noceres, nec humani nec divini juris ullius meminisses.

Plut. de
Virt. Mul.
c. 41.
Appian.

27. ‘Et horum quidem etiam bonis raptis, contra edictum nostrum, quod Asiaticos reges Europa prohibet, trajecisti: Macedoniam incurstasti: Græcis abstulisti libertatem: neque ante ad mentem reversus es, quam, Macedonia Græciaque receptis, centum sexaginta tuorum millia occidi, castra omni apparatu belli instructissima semel iterumque cepi.

28. ‘Quæ omnia cum animo meo obversantur, rationem consilii tui non expedio, quod eorum nunc purgationem instituisti, quorum antea per Archelaum veniam petiveras. An igitur, quem procul agentem timebas, cum huc venisse reris, ut tecum iudicio contenderet? Sed ejus rei quidem tempus olim præterit, ex quo tibi bellum inferenti restitimus, et donec opus erit resistemus. Idcirco, his omissis, quod unum scire interest, responde. Pacem cum Archelao factam accipis, an recusas?’ Mithridates iracunda Syllæ oratione territus, ‘accipere se’ respondit. Tum demum salutavit cum Sylla, amplexusque et osculatus est.

Plut. Syll.
Appian.
Plut.

29. Ariobarzanem deinde et Nicomedem accitos Mithridati conciliavit, reditumque iis in sua regna concessit. ‘Asiam Romanorum esse, ita ne cui civitati descivisse ad regem fraudi esset,’ convenerat. Id non integre servatum, multasque postea urbes tributarias esse factas Memnon ex Heraclea Pontica scriptor tradidit, in partes regias ob communem patriam proclivior. Idem

Liv. Epit.
Flor. III. 5.
Memnon.

tria talentorum millia e Syllam a Mithridate accepisse memorat, ut domum reverteretur. Naves regem septuaginta cum quingentis sagittariis, itemque captivos tradidisse (in quibus et Q. Oppius et L. Cassius, nescio quo casu redactus in potestatem hostis, fuerunt^f) et si quæ alia ex fœdere debebantur, fecisse, satis constat: deinde in paternum regnum, eujus ipsi confirmatum eadem pace jus erat, rediisse.

Plut. 30. At Romanus exercitus indignabatur, 'quod dimissus e manibus rex omnium sævissimus, nominique Romano infestissimus, coactam ex opulentissimis Asiæ regionibus toto quadriennio prædam, in patrium regnum sospes incolumisque reportaret.' Donec advocata concione reddidit consilii rationem Sylla, docuitque, 'si Mithridatem, pace denegata, ad Fimbriæ petendam amicitiam compulisset, veritum fuisse, ut ambobus satis posset resistere. Nunc, amoto hoste externo, pœnæ de seditioso cive tuto sumendæ otium esse.'

Appian. 31. Movit deinde versus Thyatira, ubi, castris positus, Fimbria consederat: et cum ad passus⁴ ducentos quinquaginta castra castris contulisset, jussit 'eum imperio cedere, quod contra leges obtineret.' Ille vicissim irridens, 'Syllam potius cedere' jussit, 'qui hostis esset patriæ judicatus.' Sed ubi Sylla circumvallare castra Fimbriana cœpit, crebri ad eum milites transierunt, Syllanosque in opere faciundo adjuverunt. Igitur Fimbria in concione militum sortem suam prolixè miseratus, orat, 'ne deserant, neve quem ipsi imperatorem fecissent, optime de se meritum hominem, rebus præclare gestis, milite ditato, injuria affici paterentur.'

Plut.

Appian.

4 Ita pro *pedes*, quod in edd. priorr. legitur, emend. Crev. ex Appiano.

//////////

^e *Tria talentorum millia*] Marcas argenti nostrates 281,250. Crev.

^f *In quibus et Q. Oppius et L. Cassius . . . fuerunt*] Q. Oppium captum a Mithridate memoravit supra ex Livii Epitome et Appiano Freinshemius, lxxxviii. 2. L. Cassium se recepisse Rho-

dum, in communi illa civium Romanorum per Asiam strage, ejusdem libri c. 16. auctore itidem Appiano narratum est. At eos quis scriptor a Sylla receptos esse ex Mithridatis potestate testetur, reperire non quivimus. Crev.

32. Nullum infirmius ad fidem vinculum est, quam quod societate scelerum astringitur; nec aliud citius, aut pœnitentia tolerabilium, aut levitate perditorum, mutabile. Et non deerant, qui spe præmiorum a Sylla corrupti, ceteros etiam ab obsequio Fimbriæ avellerent. Jgitur passim tota concione clamores audiuntur, contra civis arma sumere negantium. Tum ille de tribunali desiliens, scissa tunica singulorum pedibus advolvitur. Id quoque frustra factum: tantoque plures palam transfugerunt. Ergo Fimbria, tribunorum præfectorumque circumitis tentoriis, multaque pecunia distributa, cum iterum vocari concionem jussisset, jusjurandum a militibus exigere cœpit. Oclamatum a quibusdam est, ‘nominatim singulos ad jurandum citari oportere.’ Tum ille Nonium citari primum omnium jussit, in quem plurima beneficia contulerat, omnium consiliorum faciunorumque participem. Sed iste quoque jurare abnuebat: et cum Fimbria, stricto gladio, necem intentaret homini, fremitu concionis est deterritus.

Auct. de
Vir. Illustr.
in Fimbr.
Appian.

Plut.
Liv. Epit.
Appian.

33. Igitur in tantis rerum angustiis, cum incolumi Sylla se incolumem esse animadverteret non posse; servorum aliquem nummis datis promissaque libertate induxit, ut ad Syllam interficiendum specie perfugæ proficisceretur. Sed insidiæ cum minimum a patratione abfuissent, trepidatione primum insidiatoris, deinde correpti ob hanc tormentis, patefactæ sunt. Tum vero accensus ira Syllanus exercitus circumstetit Fimbriæ vallum, ‘Athenionem’ appellando, quo nomine nuper in Sicilia fugitivus quidam paucorum dierum regnum obtinuerat.

34. Ideirco Fimbria, spe abjecta resistendi, progressus in vallum, colloquium Syllæ cœpit exposcere. Sed Rutilius affuit, sævum Fimbriæ omen, qui nihil jam ex eo læti augurabatur, quod ne in colloquium quidem Syllæ admitteretur, rem nec hostibus denegari solitam. Orsus tamen excusationem et preces, ‘si quid peccavisset, id adolescentiæ suæ condonari,’ petiit. Responsum est, Vell. 11. 24. ‘Asia proconsulem Syllam esse: si vellet aliena provin- Appian.
cia decedere, tutam ei profectionem ad mare beneficio Syllæ fore.’ Ille ‘viam sibi meliorem patere’ interfa-

Auct. de Vir. Illustr. Appian. Plut. Oros. Vell. Liv. Epit. Appian. tus, abrupto colloquio, Pergamum ivit, ingressusque templum Æsculapii gladio se transfixit. Deinde, quia vulnus letale non erat, a servo petiit, ut occideret. Servus et dominum, et super domini corpus semetipsum interemit.

35. Sylla, cognito Fimbriæ exitu, petentibus libertis cadaver ad sepulturam reddidit; 'nolle se Cinnam atque Marium æmulari' dictitans, 'qui plerosque Romæ interfectos humari vetuissent.' Comiter deinde receptis Fimbrianis copiis, quæ consensu ad eum transibant, suoque exercitui junctis, Curionem misit, qui Nicomedem atque Ariobarzanem reges in regna reduceret. Deinde senatui de rebus omnibus scripsit, hostem se iudicatum esse dissimulans.

Oros. Strabo l. xiii. p. 594. Appian. 36. His ita ex animi sui sententia compositis, veluti per otium ordinavit Asiam: et Iliensium urbem instauratam multis beneficiis consolatus, libertati et suis legibus reddidit; populique Romani socios et amicos appellavit. Pari liberalitate Chios, Rhodios, Lycios, Magnetas, et si qui alii contra regem auxilia tulerant, aut ob studium Romanarum partium acerbe fuerant ab eo tractati, recreavit.

Plut. 37. Reliquas urbes omnes, distributo ubique exercitu oneravit præsidiis, non ad veterem disciplinam, sed omnis generis licentia militi permissa. Præterea edixit, 'ut unicuique gregario quotidie denarios sedecim ^g hospes penderet: cœnamque daret et ipsi et sodalibus, quotquot vocare militi placuisset. Centurionibus quinquagenas in diem drachmas ^h præberi' jussit, 'vestemque duplicem, ut haberet qua domi, quaque in publico uteretur.' Ab his initiis urbium vitia in exercitum et horridos antea milites fluxerunt. Ibi, per amœna loca in otio habiti, amare, potare, signa tabulasque pietas et vasa cœlata mirari didicerunt; eaque mox publice privatimque rapere; spoliare delubra; sacra ac profana omnia polluere. Multum deinde sanguinis passim in Asia fusum: urbiumque nonnullarum mœnia diruta, ager subhastatus est, quia contra edictum Syllæ præstitam a Mithridate libertatem servis defende-

Sall. Cat. c. 11.

Appian.

^g Denarios sedecim] Uncias nostrates argenti duas. Crev. Uncias argenti nostrates amplius 6. Crev.

^h Quinquagenas . . . drachmas]

rant. Quotquot autem privatorum civitatumve, regiarum partium paulo cupidiores fuisse dicebantur, præ ceteris graves multas pendebant: Ephesii ante omnes, quorum præcipua vesania eo proruperat, ut etiam donaria Romanorum cum ludibrio templis detraherent.

38. Postremo, missis circum populos Asiæ præconibus, Ephesum convenire jussi sunt principes. Ad quos e tribunali Sylla talem orationem habuit: ‘Prima Romani signa in Asiam ea tempestate intulimus, qua vos Antiochus Syriæ rex acerbus hostis, aut gravis dominus urgebat. Hoc ultra Halyn et Taurum exacto, non ut bello quæsitos imperio nostro subjecimus, sed libertatem dedimus omnibus: nisi quos Eumeni Rhodiisque, belli ac victoriæ sociis, clientes magis quam tributarios concessimus: quod quidem manifesto statim apparuit, cum Lycios, præter nostra decreta premi questos, imperio Rhodiensium exemimus.

39. ‘Tali erga vos animo fuimus Romani: cui quam gratiam retuleritis quærerem a vobis, nisi jam ante nota hæc omnibus essent. Cum enim Attalus testamento nos hæredes reliquisset, Aristonico viudicanti regnum per quadriennium adhæsistis: donec et ille caperetur, et vos ad extremum discrimen atque metum adduceremini. Nostra tamen indulgentia recuperata pace, opibusque multorum annorum tranquilla possessione auctis, denuo sustulistis animos, et, observato iniquissimo nostro tempore, inter Italicos tumultus, alii quidem vocastis Mithridatem, alii accessistis venienti.

40. ‘Quod autem omne immanitatis exemplum supergreditur, Italos omnes, non sexus, non ætatis miseriti, una die trucidare sustinuistis: ne vestrorum quidem numinum reverentia deterriti, quin ipsis in templorum adytis supplices eorum occideretis. Et hæc fecistis in gratiam ejus Mithridatis, qui vos deinde continuo cædibus et rapinis exhaustis; agros vestros divisit; debitoribus vestris æs alienum remisit; servitia liberavit; multis tyrannos imposuit; omnes objecit prædonum atque piratarum incursionibus: ut jam inde discere possetis, quales amici qualibus essent vestro judicio antepositi.

41. ' Licet autem horum malorum auctores etiam nobis quodammodo dederunt pœnas, non ideo vos impunitos abire fas est, qui scelesta consulentibus tam promte estis obsecuti. Et oportuerat quidem æqualem meritis pœnam statui. Ceterum quia promiscuæ cædes, et servitiorum concitationes, et hoc genus exempla barbari moris, a mansuetudine Romana prorsus aliena sunt; absit ut tale aliquid in mentem nobis veniat. Habeatur Græci nominis, et celebritatis Asiæ, et cognationis nostræ ratio: mulctæque modum potius misericordia, quam ira finiat. Quod faustum felixque sit,¹ quinquennii tributum repræsentari jubeo: et præterea sumtus, quique impensi sunt in hoc bellum, quique porro ad constituendam provinciam erunt necessarii. Eam collationem ego per civitates dividam, tempusque conferendi præfiniam: et, qui non obtemperaverint, eos habebō pro hostibus.'

Cassiod.
Chron.
Plut.

Plut. Luc.
c. 8.

Appian

42. Ex quatuor et quadraginta regionibus Asiæ, tot enim ex distributione Syllæ esse cœperant, viginti millia talentorum^k his nominibus exacta sunt: Lucullusque recipiendis quæ afferebantur, et signandæ pecuniæ præpositus, licet homo mitis ingenii nonnihil civitates mansuetudine sua refocillaret, efficere non potuit, ne maximam in calamitatem inciderent. Nam et pecuniæ conficiendæ causa, quia milites ferociter et contumeliose exigebant, passim fœneratoribus theatra, aut mœnia, aut portus, aliave publica ædificia pignori opposita sunt: et eodem tempore magna a piratis incommoda inferebantur. Illi, Mithridatis concessione, Asiam tanquam mox amittendam negligentis, mare infestum habere cœperant: et jam, successu numeroque aucti, tantum non justis classibus, tum navigantibus, tum etiam portibus, castellis, urbibusque metuendi, vagabantur. Jassus certe, Samusque, et Clazomenæ, et Samothrace, dum adhuc in Asia Sylla erat, captæ sunt; Samothraciæque celebre

¹ Quod faustum felixque sit] Parum convenit hæc formula gravissimam mulctam imponenti. Verba Appiani Græca hic corrupta sunt. Ex iis aliquem

utrunque sensum eruere conatus est interpres, quem sequitur nimium secure Freinshemius.

^k Viginti millia talentorum] Mæræ argenti 1,875,000. Crev.

fama delubrum spoliatum, et, ut creditum fuit, mille talentorum¹ egesta ornata sunt.

43. Id Sylla nec prohibere, nec ulcisci curavit: sive meritos hæc pati putabat, sive urbanis motibus intentas cogitationes habentem, aliis negotiis pigebat tempus atque curam impendere. Igitur L. Murena cum duabus legionibus quæ sub Fimbria fuerant in Asia relicto, cum ceteris copiis conscendit naves, tertioque die quam ab Epheso solverat, Piræcum applicavit. Plut. Syll. Mysteriis deinde Atheniensium initiatus, Apellicontis Teii bibliothecam requiri jussit, Romam deportaturus. Is inter familiares Aristionis fuerat, missuque tyranni Delum spoliandi fani causa Posid. ap. Athen. v. 14. navigarat. Ob hæc et talia, bonis ejus publicatis, Sylla, Plut. ut erat doctissimus et studiorum amans, libros exceperit, quos Apellicon magno pretio passim coëmerat, illustrium Posid. auctorum opera, quædam etiam ipsorum scripta manu.

44. Inter hos et Aristotelici libri fuerunt, quorum fata, ob celebritatem nominis, et quia res ad cautionem studiosorum pertinet, non tædebit exponere. Aristoteles primus Strabo I. XIII. p. 609. inter Græcos, quantum scimus, bibliothecarum colligendarum auctor, Theophrasto scholam simul suam librosque decedens transdidit. Theophrasto Neleus Scepsius fuit hæres: a quo Scepsin translati postea ad homines indoctos studiorumque rudes pervenerunt. Apud hos tam indignos hospites diu sub clavibus satis incuriose asservati; deinde, cum Attallicorum regum studiis opera celebrium scriptorum undique conquirentur, ab ineptis possessoribus in fossam quandam subterraneam sunt abditi: donec eos longis post temporibus illorum successores Apelliconti Teio magna pecunia vendiderunt.

45. Erat librorum magis quam eruditionis studiosus Apellicon: tamen, quod solenne est talibus ingeniis, doctrinæ opinionem affectabat. Igitur scripta Aristotelis edidit, tam ambiguo beneficio, ut vix dijudicari possit, satiusne fuerit omnino perisse acutissimi viri labores, an interpolatos talis hominis audacia sub præscriptione tanti nominis legi. Nam ille situ corrupta, aut a tineis erosa

¹ *Mille talentorum*] Marcarum argenti 93,750. *Crev.*

temerarius emendator quoquomodo suppleverat: deinde in alios codices tam sua quam Aristotelis verba inexplicabili errore transcribenda curaverat. Plus etiam postea vitiatum ab exscriptoribus libri sunt, cum Romam delatos Tyrannio suis commentis replevit. Hanc deinde editionem nacti, qui libris vendendis quæstum faciebant, dum in conducendis librariis, comparandisque cum exemplari voluminibus, ad lucrum magis, quam ad fidem respiciunt, ita repleverunt mendis, ut jam ante mille sexcentos annos, quid plerisque locis ab Aristotele esset scriptum, disceptari consueverit.

Plut. 46. Sed L. Sylla cum Athenis dolore pedum tentari
 Stephan. cœpisset, Ædepsum profectus est, Eubœæ oppidum, ubi
 Strab. ix. calidarum aquarum scaturigo erat, quod Herculis lava-
 p. 425. crum appellabant; valetudinique et oblectationi suæ ope-
 Plut. ram dedit, Bacchicis artificibus addictus. Interea Lucul-
 Plut. Luc. lus post professionem Syllæ ex Asia, pro sua mansuetu-
 c. 8. dine, tum alias, quantum poterat, civitates allevabat, tum præcipue Mitylenæis auctor erat, 'ut agnita culpa mediocrem quæ imposita erat mulctam persolverent.' Hi ab initio palam ad Mithridatem desciverant, Manio Aquillio turpiter prodito, diutissimeque manserant in partibus. Ne digresso quidem rege respiscabant, quin se Romanis armis opponerent: tantus stolidissimorum hominum animos furor occupaverat.

47. Igitur Lucullus, classe admota, cum prohibentes excensionem oppidanos intra mœnia compulisset, castra ante urbem posuit. Deinde quodam die, quasi desperata expugnatione, propalam de die consecens navibus Elæam trajecit: sed mox sub noctem reflexit cursum, et in insidiis haud procul urbe consedit. Mitylenæorum vulgus vix a prudentioribus cohibitum, ne statim in castra prorumperet; postquam iterum lux affuit, neque hostium conspectus quisquam est, retineri amplius non potuerunt, quin promiscua turba liberorum servorumque excurreret. Ibi coortæ ex insidiis Romanorum copiæ adversus homines nec instructos militariter, nec ordinatos, (non enim ad prælium, sed tanquam direpturi castra exiverant,) non dubio Marte pugnarunt. Comprehensus fugientium ingens

numerus; ad quingentos, qui repugnare ausi fuerant, occisi: servitorum quoque sex millia, præter multiplicem aliam prædam, capta sunt.

48. Lucullus, sive hoc detrimento castigatis spatium daturus ad pœnitentiam; sive ut ad magis necessaria præverteret, cum captivis et præda discessit: ne munitissimæ urbis, et omnibus copiis abundantis, obsidione implicitus, maritimam Asiæ oram insulasque a piratis impune vastari pateretur, qui, prospere decedentibus rebus, majora in dies virium et audaciæ incrementa sumebant.

SU P P L E M E N T U M

LIBRI LXXXIV.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

Appian.
Civ. 1.

1. INTER hæc legati, quos ad Syllam ab senatu missos fuisse diximus, cum aliis, quos adjunxerat Sylla, in Italiam appulerunt. Sed Syllani quamprimum Brundusii de morte Cinnæ, novisque reipublicæ turbis cognoverunt, omisso negotio ad Syllam sunt revecti, et mandata Syllæ ceteris perferenda reliquerunt. Negaverat autem ‘cum tantorum seclerum auctoribus unquam sibi privatim amicitiam fore: sed pacis publicæ causa, voluntati senatus populique Romani, siquidem salvos cupiat, non intercedere. Sibi tamen curæ fore, ut et ceteri boni, et qui ad se confugissent, perpetuo tuto degant: idque se sperare adepturum, quod haberet studia exercitus.

Liv. Epit.
Appian.

2. ‘De cetero futurum in potestate senatus, si cives qui a Cinna pulsî ad se fugissent restituerentur; sibi que pristina dignitas, facultatesque, et sacerdotium, et quicquid ante Cinnæ primum consulatum habuisset, redderetur. Non ita se de republica meritum, ut ad arbitrium inimicorum domo, fortunis, honoribusque carere debeat. Eadem omnia pari vi atque ablata ab adversariis essent, retineri, aut recuperari a se potuisse. Verum enimvero nolle imitari exempla, quorum non approbationem modo, sed omnino memoriam, deleri ex animis homi-

num malit. Idcirco nihil his rebus avocatum aut deterri-
tum, non aliter hostes populi Romani gravi continuoque
bello persecutum esse, quam si omnia domi tranquilla,
sibique prospera et faventia fuissent. Non supplemen-
tum sibi, non comneatum, non pecuniam aut arma sum-
missa: nec eo secius pro eadem illa Italia atque illa Urbe
suum corpus infensissimis hostibus objecisse, quam ple-
nam quidem etiam bonorum honestorumque virorum, sed
tamen a diversa factione oppressam atque coactam sibi
adversari sciret.⁷

3. Non injusta senatui conditio videbatur: sed per Liv. Epit.
Carbonem ejusque satellites, quibus bellum cordi erat,
effectum est ne conveniret. Quin et violentius in Sylla-
nas partes ira malorum civium recrudit, tribunusque ple-
bis P. Popillius Lænas Sex. Lucilium, qui superiore Vell. II. 24.
anno tribunatum gesserat, quod Carbonis actionibus resti-
tisset, de saxo Tarpeio dejecit: et cum collegæ Lucilii,
quibus diem P. Lænas dixerat, metu ad Syllam profu-
gissent, aqua ignique iis interdixit. Nam ab illo collegio Appian.
coactus Carbo,^a contra animi sui sententiam comitia con-
sularia habere coactus fuerat, quibus L. Scipio, C. Nor-
banus designati sunt.

4. Igitur tantis animis resurgente factione Carbonis,
senatus etiam sententiam eorum sequi adactus est, qui
' bello contendendum cum Sylla ' censuerant. ' Neque
enim dimissurum eum milites, sed horum opera abusurum
ad dominationem. Non obscure ab eo jactatum esse fa-
vorem exercitus, haud dubium animi ejus argumentum.
Jam a tot annis nihil illum aliud, quam civile bellum
meditari. Nec iniquissimæ cum Mario æmulationi tam
propositum ejus, quam opportunitatem et tempus defuisse:
Cimbricis primum, deinde socialibus intervenientibus
bellis. Postmodum, cum esset auctus consulari dignitate,
pauloque factus robustior, non distulisse, quin suum olim
imperatorem insidiis armisque peteret. Mox etiam rei-

^a Nam ab illo collegio coactus Car-
bo] Videtur Freinshemius hoc
suspiciari ex eo quod Appianus
memoravit, (vid. supra LXXXIII.

16.) illud collegium tribunorum
dedisse operam, ut Carbo, post
occisum Cinnam, collegam sibi
sufficere cogeretur. *Crev.*

publicæ palam intulisse bellum, et Urbem, quod ante eum fecisset nemo, vi ac armis occupasse.

5. 'Ne in Græcia quidem et Asia, quanquam fervente Mithridatico bello, temperare potuisse, quominus L. Valerium ab senatu in Asiam missum, et, postquam ille sit interfectus, C. Fimbriam armis peteret; legionesque Valerianas, citra senatus aut populi auctoritatem, suum sub imperium acciperet. Et illam inauditam Romanis moribus licentiam, qua ¹ sibi legiones fidas exitio Asiæ facere studeat, non alterius profecto, quam civilis belli sacramentum esse. Præterea inflatum victoria Mithridatica, et adjutum copiis paulo ante hostilibus, aurum Ponticum, navesque, et auxilia barbarorum in patriæ perniciem adducere.'

Liv. Epit. 6. Igitur neque sibi committendum rati, ut impares deprehenderentur; non solita tantum præsidia, sed quædam etiam inusitata ac nova sunt moliti. Carbo consul ab omnibus oppidis Italiæ coloniisque obsides exigebat, ut fidem illorum contra Syllam obligaret: donec perniciosi moris exemplum consensu senatus adversantis cohibitum est.

Val. Max. vi. 2. 10. 7. Nec omittenda M. Castricii Placentini constantia, qui forte magistratum in patria gerebat, cum eo consul obsides accepturus ipse venit. Sed petenti decretum ea de re fieri, Castricius neque nomen consulis, neque mores Carbonis, ne legiones quidem quas adduxerat, veritus, pernegavit: cumque iratus Carbo dixisset, 'multos ego gladios habeo,' nihil contactus subiecit, 'Et ego annos.' Sic et inceptum Carbonis irritum fuit: et ira, magni doloris tenuem e senili sanguine vindictam aspernata, detulit. Depulsus hac spe consul, ne nihil obtinuisse videretur, ad novos cives libertinosque recenti beneficio arctius adjungendos convertit animum; effecitque ut illis suffragium, qua de re certatum toties fuerat, senatusconsulto daretur.

Liv. Epit. 8. Sub id tempus Africam quoque inquietam civilis belli quædam initia habuerunt. Q. Metellus Pius, qui

¹ Quo legitur in edd. ante Crev.

partes optimatum secutus erat, haud contemnendas ibi copias habebat; a suis et patris Numidici clientibus haud segniter adjutus. Accesserat M. Crassus adolescens, qui inter Cinnam Marianamque rabiem, qua pater ejus fraterque sunt absumpti, in Hispaniam elapsus, multis mensibus in spelunca quadam latuerat. Is, cognito Cinnæ interitu, progressus in lucem, concurrentibus ad eum multis, hominum duo millia quingentos armaverat; et civitates obiens, quod cum patre prætorè multos ante annos in Hispania fuerat, hospitem amicorumque voluntates experiebatur. Inter hæc cum de Metello audisset, naves adeptus, ad eum in Africam trajecit. Sed illæ bellorum minæ, tanquam nubeculæ sine tempestate transierunt. Nec diuturna inter Metellum Crassumque concordia fuit: relictoque illo, ad Syllam adolescens profectus est; Metellum C. Fabius prætor expulit Africa, rursumque ad pristinas in Liguribus latebras reverti, adventumque Syllæ opperiri coëgit.

Plut.
Crass. c. 9.

Liv. Epit.
Appian.

9. At in urbe L. Cornelio Scipione, C. Norbano consulibus,* Carbonis factio Marianæque partes senatusconsultum fecerunt, 'ut omnes ubique exercitus dimitterentur.' Quod si esset factum, dubitari non poterat, quin quorum in manu ad id temporis respublica fuisset, penes eosdem in posterum quoque permanens summa rerum esset. Præterea libertinis, qui tum eadem annitente factione in quinque et triginta tribus distributi erant, novisque civibus omnibus ad quælibet usuri videbantur.

Liv. Epit.

10. Nec tamen eo secius, quia non erat ambiguum, ne sexcentis quidem senatusconsultis compelli Syllam ad dimittendas copias posse, ad imminens bellum summa contentione omnia parabantur. Tantæ profecto rerum omnium et præcipue militum contractæ copię sunt, ut in commentariis suis Sylla scripserit, 'se adversus quindecim partium adversarum duces, quadringentis et quadraginta cohortibus instructos, in Italiam transmisisse.' Alii 'cohortes ipsis quingenarias fuisse ducentas statim ab initio' tradunt: 'posteaque auctum eum numerum esse, quod

Appian.

Plut. Syll.

Appian.

* A. U. C. 669. A. C. 83.

Sylla ab externis oris veniens hostis Italiæ videbatur; consules et Carbo privatis studiis reipublicæ amabile nomen obtenderant.⁷

11. Vulgus igitur certatim sacramento dicebat, tot illustrium virorum auctoritate commotum, qui partibus se duces offerebant. Nam præter eos qui modo sunt memorati, Ap. Claudius, Q. Sertorius, C. Marius adolescens, M. Marius, clara nomina aderant: præterea Marci, Bruti, Albi, quibus insuper Albinovanus, Flavius Fimbria Cæii frater, Damasippus, et ab Italia M. Lamponius, Pontius Telesinus, Gutta Capuanus accesserunt.

Plut.

L. Ampel.
Plut.

12. Interim Sylla certus in Italiam transire, per Thesalos et Macedoniam Dyrrhachium profectus est, ubi classem ad copias transponendas occurrere jusserat. Hic loci satyrum, quales a pictoribus et poetis finguntur, adductum ad Syllam ferunt, in Nymphæo captum, cum forte somno operam daret. Juxta Apolloniam vicinam Dyrrhachio Nymphæum est, sacer tum locus; ubi in virenti et læta valle campisque florentibus, subterranei ignis venæ perpetuis velut fluctibus evolvuntur. Eum igitur satyrum, multis adhibitis variarum gentium interpretibus, unde aut quisnam esset interrogatum, cum humanam vocem nullam, sed velut ex balatu^b hinnituque confusum sonum edidisset, Sylla pro monstro aversatus esse traditur. Nec ultra reperio dimitti jusserit, an vero occidi, aut quod omnino sit eo factum.

13. Sed postquam in satyrorum mentionem incidimus, neminem reprehensurum puto, si quæ de his mihi lecta aut credita sunt, paucis aperuero. Jam primum, ut alia passim occurrunt in natura parum convenientia legibus quas humanæ opiniones imaginantur, ita mixtas hominum ac belluarum formas existere posse, rationi minime repugnat. Sed ex eadem ratione manifestum est, non ideo statim existere quicquid potest; et de omni re extraordinaria, nisi bonis testibus, inepte credi; nec illis tamen ultra credendum, quam quoad idonei testes esse possunt.

14. Igitur in præsentī negotio, conspectas ejusmodi

^b Ex balatu] Debuerat addere Freinshemius *hirci*, quod Plutarchus expressit. *Crev.*

formas semicaprorum, cum lascivis fœdisque gestibus, non negaverim : id enim a multis est proditum : animaliumne fuerint ea corpora, an vero dæmonum fraudes, id illi quidem distinguere haudquaquam potuerunt. Montem Atlantem, qua spectet Africam, lætum amœnumque spontaneis fructibus, interdiu vacuum cerni ; eundem noctibus micare crebris ignibus, Ægypanum satyrorumque lascivia impleri, tibiæ ac fistulæ cantu tympanorumque et cymbalorum sonitu plusquam humano strepere, celebrati auctores prodiderunt. Etiam in Æthiopia juxta sylvas ebeni, montemque æternis ignibus flagrantem, modicos colles amœnæ opacitatis cum Ægypanibus et satyris quidam posuerunt.

Plin. v. 1.

Solin. c. 27.

Mela, III.

10.

Plin. vi. 30.

15. De his ita sentio, cum Africa monstris abundet, solitudinibus horreat, fieri potuisse, ut minus conspecta animalia fidem præternavigantibus fecerint superstitione jam occupatis : deinde solita longis peregrinationibus vanitas accesserit, nova et mira narrandi. Certe simiorum gregibus, mira varietate generum, Africam refertam esse non ambigitur : e quibus etiam fuerunt, quos antiqui satyros appellarent. Et nota est animalis lascivia, cavenda mulieribus, quarum concubitum appetunt, velut a natura decepti, quæ similia ipsorum fœminis membra dedit. Sed ista quemadmodum fabulis veterum satis conveniunt, ita quod de cantu tibiisque et cymbalis additur, longissime abhorret. Nullum enim animal, præter hominem, musicæ numerorumque scientiam habere potest. Igitur, si quid tale revera auditum est, quod mihi valde fit probabile, ob causas quæ subjungentur, id omnino aut hominibus ascribendum, aut geniis putem.

Tac. Ann.
II. 24.Plin. VIII.
51.
Arist. Hist.
Animal.
II. 8.

16. Sane Paracelsus, et qui ejus deliramenta sequuntur, de Faunis, Nymphisque, et Pygmæis nefaria multa tradiderunt ; quomodo non solum conversari cum hominibus, sed etiam misceri connubiis, atque hinc adipisci animam humanam possint : quæ nec vera sunt ; et, si essent, nulla cognosci aut ratione humana aut experientia queant. Sunt hæ deceptorum spirituum strophæ, modis omnibus curiosam et incautam hominum naturam in præcipitium illicere satagentium : cujus etiam farinæ fuisse

censeo pleraque omnia quæ de Faunis atque Ægipanibus exempla referuntur.

Hieron. in
Vit. Paul.
p. 71.

17. Ne hoc quidem exceperim, quod Antonio solitariæ vitæ principem Paullum quærenti, homunculum aduncis naribus, fronte cornibus asperata, cum caprinis pedibus occurrisse narrant; interrogatumque (nam verba ipsa ponam) respondisse: ‘Mortalis ego sum, et unus ex accolis eremi, quos vano delusa errore gentilitas Faunos, satyrosque, et incubos vocans colit. Legatione fungor gregis mei: precamur, ut pro nobis communem Deum deprecaris, quem pro salute mundi venisse cognovimus, et in universam terram exiit sonus ejus.’ Hæc dicentem volucris celeritate aufugisse.

18. Quis hæc ludibria sive astuti dæmonis, sive nugatorum hominum non deprehendat? Illum, scilicet, mortalem, quisquis tandem aut *cujatis*^c fuerit, præscisse qua transiturus esset Antonius; cognosse non antea visum; eo sermone quo intelligi posset, allocutum esse? Deinde negotium ipsum quam ineptum! legatio unius pro omnibus, qui fortasse, ne simul, aut plures venirent, cura domesticarum rerum attinebantur! Deinde petitio, nescio stultior an scelestior, Christum pro se deprecandi: quasi aut hic satyrorum causa naturam humanam assumisset; aut illis, si ad se pertinere hoc beneficium credidissent, Antonius fuisset expectandus, nec intra trecentos annos Deum aut per se potuissent, aut per alios exorare! Sed, ne cetera examinemus, ipse quoque tam velox discessus, non expectato responso, arguit, aut senatui populoque satyrorum rem istam haud sane cordi fuisse; aut stultissimum unum omnium oratorem delectum, qui tantam rem tam negligenter egerit.

Ælian.
Hist. Var.
III. 18.

19. Eiusdem generis ille Silenus fuit (si Theopompo Chio egregio fabulatore non omnino deneganda fides est) qui Midæ regi multa exposuit, falsa quidem omnia, sed mirabilem habentia similitudinem veri: non eam dico, quæ veritatem doceat, sed quæ aliunde cognitam possit ad fabulæ opinionem adducere.

^c *Cujatis*] Usitatius esset *cujas*. Sed archaismos sectari amat Freinshemius, *Crev.*

20. Nam duæ certe civitates sunt in mundo, de quibus multa docte pieque Augustinus scripsit; quarum altera non immerito pugnax, altera pia nominetur. Et quod ille ‘de fructibus tristitiæ lætitiæque’ Midæ tradidit, videntur duarum paradisi arborum, prohibitiæ nimirum et vitalis, historiam malitiosis fabularum involucris operire. Ut mihi non fiat incredibile, homini curioso et mago, qualem fuisse Midam annulus, quem ei tribuit Plinius, et alia quædam arguunt, sub illa figura dæmonem talia respondisse. Nam et ipse fingebat ‘mediæ se naturæ inter divinam humanamque compotem;’ quod genus antiquis dæmonum appellatione veniebat, quanquam conditionem eorum ignorantibus. Illud vero responsum, quod Midæ dedit, ‘non nasci homini longe optimum esse; proximum autem, quamprimum mori;’ quam est plenum diabolici mendacii, et ad desperationem adigendi efficax?

Plin.
XXXIII. 1.

Ælian.

Aug. de
Civ. Dei
VIII. 14.

Aristot.
ap. Plut.
de Consol.
ad Apoll.
Cic. Tusc.
I. 48.

21. Sed et ipsa Sileni captura, quam narrant, magicis cærimoniis, et sacrificiorum imitationi proxima est. Fontem enim medio loco situm inter Pæonas atque Medos vino diluisse tradunt: ut sic aquis eis uti solitus Silenus non animadversa vini fraude caperetur. Nam et hæc inter artes est inimici spiritus, ut iis rebus teneri se posse fingat, quarum nulli hæc a Deo per naturam insita facultas est: quo magis temerarii homines erroribus et superstitione irretiti capiuntur. Neque hæc aliena erant Midæ institutis, cum esset Orphei præstigiatoris discipulus, divitiarum et regni nihil ad se pertinentis cupitor. Igitur nec illos sequendos arbitror, qui Silenum, ut illis temporibus, naturæ et omnis antiquitatis intelligentissimum hominem fuisse interpretantur. Nam hanc quidem expositionem omnia dicta dicendaque refutant.

Maxim.
Tyr.
Dissert. 30.

Conon. ap.
Phot.
Voss. Idol.
I. 1. 21.

22. Quod si forte verum est (nam penes auctorem sit fides) quod, regnante Constantino, visum Alexandria satyrum Hieronymus scripsit, ejus etiam defuncti pellem Antiochiæ spectavit imperator; cum quidem monstruosum fuisse partum arbitror, qui potuit ex tabella picti satyri non aliter movisse imaginatricem facultatem gravidæ, quam fuit in illis mulieribus factum, quæ secundum tabulas pietas, quæ in cubili erant locatæ, fœtus aut venustate præcipuos, aut deformitate insignes ediderunt.

Hier. in
Vit. Paul.
p. 71.

Camer.
Oper. sub.

23. Sed ille nimirum satyrus, neque lingua humana usus, neque tale quicquam quod suis antiqui tribuerunt, fecisse traditur. Quemadmodum intra hos ducentos annos superiore sæculo vir ferus in sylva S. Germani prope Villingam oppidum fuisse memoratur, consortium hominum fugiens, nudoque corpore per æstatem ac hyemem, radicibus herbisque victitans, et aquam bibens ex fetidis paludibus. Ideoque fraudes malignorum spirituum et incredibile in nostrum genus odium reputanti, vix aliud persuaderi queat, quam antiquorum illas de satyris opiniones non temere natas, sed ex diaboli præstigiis initium habuisse.

Curt. VIII.
14.
Tac.
Germ. c. 7.
Tac. Ann.
I. 51.

24. Vox ipsa atque nomen ab Hebræis desumptum, si Faunum aut Panem voces, nihil aliud quam faciem, aut apparitionem spectri; sin satyrum, occultum et in abdito latentem signat. Nam Panem Græci, Latini Faunum, Germanicæ gentes Fanum, solenni literarum istarum commutatione dixerunt: Deum esse putantes, quem sic nominarent. Unde Germanis signa militaria sunt hoc nomine appellata, quod hodie quoque manet; quia, sicut aliæ gentes Herculem, aliosve Deos, ita horum majores Faunum pro vexillo prætulerunt copiis suis, quod ita facile superiorum res se hostibus fore ratiocinabantur, si tanquam duces belli Deos sequerentur. Eundem et Tanfanam vocaverunt, quasi sylvestrem Fanum dicerent.

Heresbac.
de Re Rust.
I. III.
Taubmann.
in Plaut. Men.
Act. v. Sc.
2. v. 85.

25. Hic igitur Fanus sæpe in sylvis apparebat ea forma qua pingitur, humanam speciem imitans, sed corruptam; (quemadmodum corrumpi et naturam cupit) hircinam assumens, propter petulantiam animalis, quo² nullum in Venerem noscitur esse proclivius: quod et matrem, cujus adhuc uberibus alitur, stupro supervenit; et tum alias, tum præcipue tempore coitus omnium est fetidissimum. Quapropter immundissimo spiritui non aliud in natura animalium visum est genus, exprimendæ suæ similitudini accommodatius.

Herod. II.
46.

26. Ergo et Ægyptiis in forma semicapri apparuit, Mendes ab ipsis dictus, quo nomine et animal ipsum appellabant: idemque ab his pariter atque Pan a Græcis

pictus est. Et Herodotus quidem monstrosæ formæ causas exponere verecundatur: quod nempe arguit, parum honestas aut Deo dignas audivisse. Faciem autem rubram propter ætheris similitudinem ei tribui quidam existimarunt: ego factum reor ideo quod tali figura, et ignito vultu fuit conspectus. Et ad hunc ferme modum apparere in nocturnis sagarum orgiis dæmonem, concordi propemodum confessione omnium firmatur.

27. Nec mirandum fuerit, si quæ memorantur ab antiquis de satyrorum nocturnis lusibus, tripudiis, cantibus, ad simile quoddam diabolici ludi commentum referamus. Nam talia multis locis audiri feruntur, et in Lopensi cremo, quæ in ditione erat Tartarorum, cum iis locis Marcus Paullus Venetus degeret.

28. In summa, si quod ea figura repertum sit animal, monstrosum fuisse, idemque rationis ac sermonis humani experscrediderim; ubi vero loquelæ intervenerit usus, spectra larvasque mali dæmonis. Ut ista sint ex eodem genere prodigiorum, quo apud Sambulon Parthiæ ditionis montem Herculem³ venari; Achillem, Helenæ matrimonio junctum, Leucen incolere, Tauricæ Chersonnesi insulam; eundemque oppugnatas ab Alaricho Athenas defendisse creditum est. Quos vero ludos spectrum edidit, quod sub forma magni Alexandri cum bacchabundo agmine per Asiam incessit, longoque post tempore disparuit, Helio-gabalo imperante? Nec ab his abludunt, quæ de Græcis heroibus Philostratus, de Arturo Britanni, de Valdemaro Dani, multique alii de suis quisque populi jactant. Sed, omissis hoc genus præstigiis, ad Syllam, unde discessimus, revertamur.

29. Is ergo, contra suos adversarios transmissurus, ceteris ferme satis fidebat; hoc uno angebatur, quod trajectos in Italiam milites, ubi patrium solum aspexissent, ne desertis signis dilaberentur⁴ metuebat; aut, quod solenne civilibus bellis est, hostiliter vexarent Italiam. Ceterum hic etiam ferente fortuna usus, ultro offerentes jurejurando astrinxit, mansuros apud signa, neque molestos cuiquam

Serv. ad
Virg. Ecl.
II. 31.

Tac. Ann.
XII. 13.
Paus. III.
Plin. IV. 12.
Zosim. I. v.

Xiphilin.
Heliog.

Sigibert.

Plut. Syll.
c. 51.

³ Hercules legitur in edd. ante Crev.

⁴ Delaberentur edd. ante Crev.

sponte sua fore.' Quin et pecunia eum indigere rati, pro sua quisque copia conferebant. Ille mirifice delectatus tanta militum benevolentia, vocatos in concionem sic affatus est.

30. ' Si mihi prima hæc dies experiundi animos vestros esset, milites, mihi quidem plurimum gratularer, qui tales haberem copias; sed subtimerem tamen, ne forte subitus ardor benevolentia, postquam aliquid præter opinionem offendissetis, extingueretur aut tepesceret. Nunc autem post tot omnium temporum documenta, quæ per complures annos, et ego vobis, et vos mihi dedistis, adeo fundatus atque radicatus est mutuus amor, ut mihi nihil aliud cogitandum reliqueritis, quam quemadmodum vos, sicut optimi omnium estis, ita beatissimos omnium efficiam.

31. ' Erant mea, nec enim vana hæc est gloriatio, erant, inquam, erga vos multa et magna merita mea: sed vicissim ea virtus vestra est, eaque fides, benevolentia, caritas, ut militibus meis ultro gratias agam imperator. Quod enim certius offerre Dii immortales bene gerendæ rei pignus potuerunt, quam tantam inter adversas partes nostrasque animorum dissimilitudinem, ut inde odiis, conviciis, cædibus, hic officiis et amore inter milites imperatoremque certetur?

32. ' Enimvero virtute vestra satis sum in præsentia dives. Liberalitate vestra non utar: animos accipio proboque, quos donec mihi præstiteritis, præstabitis autem semper, nihil mihi defuturum est. Operam autem dabo, ut non modo hæc quæ adsunt laborum præmia retineatis, sed etiam longe pluribus majoribusque cumulemini.' In hanc deinde sententiam multa addidit, occasionem tam commodam tenens, animosque omnium suavi oratione permulsit. Ita fidos duci ad reliqua, et robori suo fortunæque fidentes, ad quadraginta virorum millia (quinque legiones erant, et Achaiaæ Macedoniaeque auxilia, et ejusque generis equitum sex millia) in naves imposuit.

SUPPLEMENTUM

LIBRI LXXXV.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

1. SYLLANA classis apud Brundisiumne an Tarentum Vell. ii. 21.
copias exposuerit, ambiguum diversi auctores faciunt. Appian.
Credi tamen potest neutros falsa dicere, quod tanta navi- Civ. l. 1.
um multitudine (mille ducentas alii fuisse, alii quadrin- Plut. Syll.
gentis auctiorem numerum produunt) uterque portus re- c. 52.
pleri potuerit. Brundisinis certe, quod promte excepe- Appian.
runt venientes, concessam ab Sylla immunitatem ad sua
tempora durasse Appianus testis est. Vicissim Plutar-
chus Syllæ Tarentum appulso, statimque sacrificanti jecur
apparuisse dicit coronæ figura,^a lemniscorumque inde Vell.
dependentium. Cum deinde per Calabriam Apuliamque
cum singulari modestia exercitus, ut non hominibus tan-
tum oppidisque, sed etiam agris et frugibus parceretur, in
Campaniam contenderet; Q. Metellus cum suis copiis in Appian.
itinere ad eum venit: duoque hi imperatores proconsuli-
bus, honore potius quam potestate pari res administrare
cæperunt.^b

^a *Jecur . . . coronæ figura*] Hoc parum accurate dictum est. Plutarchus tantummodo memorat jecur impressam gestasse coronæ figuram, et lemniscorum hinc

inde dependentium. *Crev.*

^b *Q. Metellus . . . ad eum venit: duoque hi imperatores proconsulibus . . . res administrare cæperunt*] Observat hoc loco Appianus

Liv. Epit. 2. Legatis deinde mittendis iterum tentata spes pacis,
 Vell. justæque conditiones propositæ. Sed, violatis a consule
 Liv. Epit. Norbano legatis, tantus ardor Syllanorum fuit, ut prius-
 Plut. quam ordinari acies posset, lymphatis similes in hostem
 impetu incurrerent. C. Norbanus consul cum C. Mario
 adolescente magnas copias inter Capuam et Casilinum,
 Jul. Obseq. Vulturno assitam coloniam, habebat: quo loco paulo
 antequam in Italiam Sylla transcenderet, duæ acies, cum
 horrendo fragore armorum, signorumque strepitu, per
 plures dies visæ concurrere, sensim e conspectu hominum
 in aërem elatæ evanuerant, relictis equorum hominumque
 vestigiis, herbisque ac virgultis velut recens protrititis.

Plut. 3. Prælio commisso neque pugna anceps, neque cæso-
 rum utrimque numerus alius fuit, quam si hinc mulieres,
 Oros. v.20. inde viri constitissent. Septem millia de Norbani exer-
 Eutrop. citu ceciderunt; sex millia capta sunt: Sylla milites haud
 amplius centum viginti quatuor amisit. Victis Capua
 Appian. receptus fuit. Victores hoc velut omine belli læti, quan-
 Plut. quam multis partibus ampliorem esse hostium numerum
 sciebant, se tamen superiores futuros rebantur: idque
 causæ fuisse Sylla tradidit, cur non in oppida disperge-
 rentur, quod ille facturos timuerat. Ergo faciles duci,
 Appian. quo imperatoribus videretur, Teanum Sidicinum proces-
 serunt.

Plut. 4. Inter eundem Pontii¹ cujusdam servus fanaticus
 adiit Syllam, victoriamque se ei nuntiare dixit Bellonæ
 Euseb. jussu: ceterum ni maturaret, Capitolium arsurum: idque
 Chron. et factum est A. D. pridie Nonas Quintiles, quem ille diem
 iv. Præ- par. 61.

1 Ita correxit Crev. ex Plut. pro *Pontii* quod in edd. priorr. le-
 gebatur.

Metellum Pium bello sociali
 ductavisse exercitus, atque inde
 ei proconsulis honorem reman-
 sisse, quem semel assumtum re-
 tinere soliti erant, donec in ur-
 bem introissent. Hinc sequitur
 primo, frustra Freinshemium
 l. LXXX. c. 14. fecisse Metellum
 disserentem in senatu adversus
 eos qui legatos ad Marium et
 Cinnam mittendos esse cense-
 bant. Tunc enim Metellus Ro-

mæ non fuit. Secundo, quod a
 Plutarcho memoratum apud
 Freinshemium eodem libro, c.
 9. legitur, Metellum unum ex
 iis duobus fuisse qui orbem cum
 Octavio adversus Cinnam de-
 fenderint, id ita intelligendum
 esse, ut tamen urbem Metellus
 non ingressus sit. Et quidem
 Appianus scribit illum ad Alba-
 num montem consedissee. Crev.

prædixerat. Ea res prodigii loco habita, quod summæ religionis templum, supra annos quadringentos accuratissima custodia servari solitum, ne origine quidem incendii cognita, unam intra noctem deflagrasset. Libros quoque Sibyllinos, quos in ea æde Tarquinius locaverat, ille ignis hausit. Aeditui negligentiam alii, quidam insidias fuisse: id quoque varie, Carbonem aliis aut consules, aliis Syllam incusantibus; magna pars flammam divinitus immisam, uti cuique mens dictaverat, cogitata pro compertis afferbant.

Plut.
Appian.
Tac. Hist.
iii. 72.
Cic. in
Verr. iv.
31.
Dionys.
iv. 70.
Jul. Obs.
Cassiod.
Chron.
Tac.
Cic.

5. Vestæ templum sub idem tempus ignibus correptum minime certis incendii auctoribus traditur, et motu terræ multa in urbe templa corruisse inter istius belli prodigia relatum est. Additur et mulæ partus: et mulieris nixu serpens in Etruria apud Clusinos editus; qui jussu haruspicum in profluentem dejectus, adversa aqua nataverit. Sed omnia hæc pro Sylla faciebant: dum, adversarii aspera et fæda quælibet timentibus, hujus partes utiliore stultitia suæ victoriæ causa Deos ista omnia moliri interpretantur.

Euseb.
Præpar. iv.
81.

6. Ergo, multis bonisque ad eandem spem confluentibus, quotidie egregia incrementa sumebant. Metellus præcipuo suscitamento erat, quem, sanctæ integræque constantiæ virum, nunquam adhæsurum illi causæ putabant, nisi justiore esse patriæque utiliore cognovisset. Etiam contrariæ factionis multi ad Syllam accedebant, quorum vel præcipuus P. Cethegus, qui cum Mario pulsus in exilium fuerat, eodem se contulit, ad omnia quæ animo Syllæ collibuissent, ministerium suum offerens. Mox etiam, deserto Carbone, quæstor ejus Verres, intersersa pecunia publica, mutavit fidem. Lucii quoque Scipionis consulis quæstor M. Piso, cum sequius de partibus illis² judicaret, neque pecuniam attigit, nec ad exercitum profectus est.

Appian.
Jul. Obs.

Vell.
Dio ap.
Vales.

Appian.
Cic. in
Verr. i. 13.
14.

7. Caium deinde Carbonem, Cnæi fratrem, milites, paulo severius exigentem priorum temporum disciplinam, facta seditione trucidarunt. Ita et adversariorum defi-

Val. Max.
ix. 7.
Vell.

2 Ille edd. ante Crev.



ciebant vires, et Syllanæ copiæ in dies augebantur: dimissique passim duces haud pœnitendo successu agebant.

Plut. Crasso, c. 9. Nobiles enim juvenes, qui frequentes ad Syllam concurrerant, ubi cujusque utilissima videbatur futura opera, ad eam destinabantur.³ Horum M. Crassus in Marsos ire jussus, cum ob hostes propinquos præsidium postulare; vehementi oratione Sylla, ‘Do tibi patrem tuum,’ inquit, ‘fratremque et amicos, quorum indigne interentorum persequor a sceleratis pœnas.’ Sic incitatus adolescens impigre perrupit, magnisque celeriter conscriptis copiis, utilem eo bello operam præstitit.

Appian. 8. At ipse imperator, qui L. Scipionem cum magno exercitu in propinquo, multos alios duces validis copiis subnixos passim tendere sciret, imparem se viribus ratus, denuo ad pacis negotium adjecit animum. Quidam dolo id factum arbitrantur, non improbabili conjectura, quod sociali Mithridaticoque bello iisdem artibus hostes circumvenerat. Sed Romani scriptores, quibus plus ceteris tribuas in patriis rebus, bona fide certoque proposito quaesitam ab eo concordiam testantur.

Plut. Appian. 9. Neque recusavit Scipio, quin acceptis obsidibus, extra castra in colloquium prodiret. Terni tantum collocuti sunt: quo magis quid utrimque dictum fuerit latet, nec in vulgus emanavit. De auctoritate tamen senatus, de suffragiis populi, et de jure civitatis collatas esse conditiones, ipso rerum indicante statu, credebatur. Hoc unum constat, pactis induciis, Q. Sertorium ad Norbanum consulem missum esse, quod Scipio, collega ignorante, de tantis rebus quiequam pacisci gravabatur. Sed Sertorius in eo itinere Suessam, quæ Syllæ partibus se applicaverat, occupavit. Ea de re cum Sylla quereretur, consul, incertum conscientiane violatarum induciarum, an ut in re subita consilii inops, obsides reddidit.

Cic. Phil. xiii. 1. Plut. 10. His rebus cum abrupta spes pacis esset, exercitus consulis vehementer offensus, quia, si convenisset, tolerabilis status civitatis sperabatur, aures corruptoribus præbuit, cum permissio colloquio, dux callidus milites ad ean-

3 *Destinabatur* legitur in edd. ante Crev.

dem fraudem compositos subinde ad castra Scipionis mitteret. *II* percontando ‘quam grati ducibus suis, quantis familiaribus copiis augerentur,’ postquam volentia acceperunt; ‘Syllæ benignum imperium, infinitam liberalitatem, nec imperatorem sibi, sed patrem divina quadam sorte obtigisse,’ prædicabant. Rebus utrimque constitutis, ut propius saggredienti Syllæ se conjungerent, Sylla per speciem hostilia castra oppugnandi cohortes viginti admovit: sed, præparatis omnium animis, castra sine vulnere introitum. Tum vero universus Scipionis exercitus, quadraginta cohortes signa ad eum transtulerunt. Solus cum filio Lucio consul in tabernaculo deprehensus est: non utique magno boni imperatoris argumento, quem vulgata totis castris militum inclinatio fefellisset: cum præsertim esset a *Q. Sertorio* præmonitus.

Sall. ap.
Donat. et
Incert. 6.
Plut.

Sall. In-
cert. 14.
Appian.
Liv. Epit.
Plut. Vell.
Appian.
Plut.
Sert. c. 8.

11. Sylla Scipiones dimisit inviolatos, additis equitibus, qui eum quocumque vellet tuto deducerent. Atque ille ubi primum urbem amicam attingit, resumtis magistratus insignibus, iterum copias haud contemnendas comparavit. Idem Sylla beneficium multis aliis, et nominatim *Q. Sertorio* præstitit; qui, desperatis rebus, in Hispaniam, jam olim provinciam eam sortitus, se contulit, maximum paulo post incendium belli excitaturus. Fertur his auditis *Carbo* dixisse præsentibus, ‘bellum sibi cum vulpe et leone animum Syllæ inhabitantibus esse, sed cum vulpe periculosius.’ At Sylla post victoriam, aquas ad montem *Tifata*, ubi cum *Norbano* pugnauerat, salubritate nobiles, agrumque circa *Dianæ* dedicavit, cujus numini sacrata illa regio erat.

Diod. ap.
Vales.

Vell.

Appian.
Plut. Sert.

Plut. Syll.

Vell.

12. Inter hæc novum se in Italia sidus ostendere cœpit, *Cn. Pompeius Cnæi* filius, ejus qui *Asculum* ceperat, trium et viginti annorum adolescens; sed mox clarissima fama cuilibet senum imperatorum conferendus. Hic in *Piceno* forte agebat, cum ad *Syllam* undique concurrere probatissimum quemque cognovit. Hoc stimulo adjecit et ipse has ad partes animum, non tamen ut contentus et tanquam opis egens, sed firmamentum quibus accederet partium, et cum beneficio veniret. Igitur, sollicitatis patrum exercitus reliquiis, cum *Vindius* quidam *Pompeium*

Dio ap.
Vales.
Liv. Epit.
Val. Max.
v. 2. 9.
Plut.

Pomp. c. 9.
Hirt. de
Bell. Afric.
c. 22.

Vell. 11. 29.
Zonar.
Plut.

ex ludo subito concionatorem factum exclamasset; tantus adolescentis favor fuit, ut, a multis simul impetu facto, Vindius e vestigio opprimeretur. In foro igitur Auximantium erecto tribunali, ducem partium professus, Ventidiis⁴ fratribus, qui principes civitatis, et Carbonianæ factionis erant, excedere jussit, delectum habuit.

13. Ab hoc initio cum vicina quæque sibi adjungeret, Carbonianos ubique proturbaret, brevi in tantum auctus est, ut tres integras legiones sub signis duceret. Neque huic exercitui commeatum, ceterarumque rerum idoneus apparatus deerat. Ipsi permagnus apud militem amor, magna apud omnes admiratio erat, qui in illa ætate nihil remissum aut juvenile, sed omnia magnis ducibus solita agitabat. Nullus illi labor tædio, nulla defatigatio molestiæ erat. Cibi vini que temperans, somni parcus, curæ corporis negligens, majorem dierum noctiumque partem bellicis aut operibus, aut certe cogitationibus conterebat. Frequenter inter milites exercens corpus, cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certabat.^c Belli quoque incerta ante experimentum ingenio et meditatione præcipiens, tantus statim dux exitit, ut quanto tempore vix paratum exercitum alius accepisset, ipse privato consilio delectum confecerit, militesque armatos eduxerit ad pugnam. Neque latebras aut avia, quibus ignoratus tutusque ad Syllam perveniret, sectabatur. Palam incedens, quascumque inter eundem regiones attingebat, ad communem causam adducere nitebatur.

14. Hæc ubi Romam perlata sunt, quia supra fidem erant ætatem potius Pompeii, quam indolem, æstimantium, tanquam ineptis nuntiis in majus aucta spernebantur. Sed, posteaquam certiore fama innotuerunt, senatus Junium Brutum proficisci adversus illum jussit. Jam

⁴ Ita ex Plut. emend. Crev. *Vinditiis* legebatur in edd. præc.

^c *Cum validis recte certabat*] *recte*, quam ex Sallustio huc revocavimus, aliqua est difficultas. Omnes Freinshemii editiones hic Sallustii verba corruperant: prima et Doujatiana, *recte certabat*: Clerici, *lucta*. In voce quidem Fortasse designabat illa quoddam militaris exercitationis genus, Crev.

et Carrinas, et Caelius cum suis quisque copiis eidem se diversis ex partibus objecerant. Igitur tribus hostilibus exercitibus cinctus, in Brutum summa vi convertit. Primi utrimque equites concurrerunt: nam Gallicum equitatum Brutus adduxerat. Ibi, proventus ante signa adolescens, insigni robore Gallum, qui et ipse ex diversa acie procurrerat, lancea dejectum interfecit: unde timor incessit hostibus, et mox fuga; suorumque in aciem impacti, peditem quoque turbatum averterunt. Sic fuso Bruti exercitu, cum inter reliquos duces orta discordia esset, alius alio castra moverunt. Pompeius oppida discessu eorum praesidiis nudata, voluntate incolarum recepit.

15. Mox Scipio consul cum exercitu occurrit, non meliore quam antea contra Syllam eventum. Nam milites ejus simulatque Pompeianos conspicati sunt, salutatione facta ad illos transierunt. Postrema cum Carbone lucta fuit, ad Aesin flumen multas equitum alas objiciente. Sed ille in loca iniqua detrusos, cum evadendi via non esset, cum armis equisque in deditionem accepit.

16. Ignarus horum Sylla, qui nihil aliud nisi de primis Pompeii conatibus audierat, et de adolescente sollicitus, ne per tot hostium exercitus perrumpere non posset, in occursum ejus expeditam manum duxit. Hoc ubi Pompeio compertum, neque longe abesse Syllam, ornari signa, armari ordinarique exercitum jussit, ut imperatoris oculis quam pulcherrimam speciem objicerent. Magnos enim ab eo honores, nec immerito sperabat: spe tamen majores assecutus est.

17. Nam, ut eum accedere ad se Sylla, simulque tres aquilas, et egregiam sub signis juventutem, rerumque gestarum conscientia alacrem aspexit, desiliit ex equo, appellatusque, ut par erat, a Pompeio 'imperator,' vicissim 'imperatorem' illum salutavit: multum mirantibus, qui nominis hujus honorem adolescenti tributum iri minime expectassent ab eo Sylla, qui de isto cum Scipionibus et Mariis dimicaret. Cetera quoque ad eandem formam comitatus fuere. Pompeio venienti assurgere de sella, caput

Appian. aperire : quæ postmodum etiam dictator privato servavit,
 Plut. unum omnium Pompeium hoc honore dignatus.

Val. Max.
 v. 2. 9.

Plut.

18. Sed et consilia cum eo communicabat omnia, et plurimum in ejus virtute reponebat spei. Aliquando etiam egit cum eo, ut in Cisalpinam Galliam cum imperio proficisceretur. 'Est enim ibi,' ait, 'Q. Metellus, vir optimus, et bello non spernendus. Sed nescio quomodo segnius ibi res gerit, quam hæc tempora desiderent. Nobis maxima in celeritate spes est : nisi quamprimum vincimus, vincimur. Et hic quidem omnia prosperrime decesserunt : pacati, quotquot a tergo reliquimus, populi ; tua virtute alii adjuncti : duo hostium exercitus fusi fugatique, totidem ad nos sponte concedentes, et initium victoriæ magnificum, et partem haud exiguam fecerunt.

19. 'Est tamen adhuc adversariis permultum virium : neque temere debilitentur, quamdiu Cisalpinam tenere Galliam possunt, unde illis novæ semper copiæ summittantur, etiam trans Alpes colentium affluentibus haud paucis. Et hunc in usum digressus a me Metellus erat. Sed video senescentem ejus virtutem juvenili fervore excitandam esse. Tibi viget ætas, viget gerendarum rerum cupido : nec ideo cautionis eges. Animum prudentiamque tuam paucis mensibus majore documento approbasti, quam edere multi veteres imperatores potuerunt. Abi ergo bonis avibus, et illas nobis provincias recipe. Non magis illic pares tibi hostium duces erunt, quam fuerunt quibuscum hætenus es congressus. Ego hic facile sustinero bellum. Si et ab illa parte superiores simus, haud dubitanter e tyrannorum manibus recuperabimus rempublicam.'

20. Hæc ubi Sylla dixerat, Pompeius, quamvis in illa ætate et fortuna, modestiæ satis tenax, negavit rectum sibi videri, si natu et dignitate majori provinciam extorqueret. 'Neque vero, te mandante, quicquam negotii defugiam. Non cepissem hæc arma, certe non ita cepissem, si laboribus et periculis potuissem absterreri. Sed Q. Metellus is sane vir est, quem a me affectum injuria videri nolim. Fortassis etiam per se res ita geret, ut fortunæ desiderioque respondeat. Quod si forte in tantum

impar hosti futurus est, ut sustinere eum posse diffidat, haud dubie mittet ad te literas, et consilium rebus suis auxiliumque postulabit. Ipso porro arcessente, promptus et lubens ibo.

21. ‘ Et hanc sententiam tibi quoque probari non dubito, imperator, cui et ipsi fuisse viderer justo cupidior, si provinciam oblatam statim acciperem. Sed et nobis, qui pro legibus et republica gerimus bellum, honestius fuerit nihil commisisse, quod illis parum congruere videatur. Neque fortassis utile sit, Q. Metellum, tanta nobilitate et gratia virum, offendi. Nam propter illum, et si qui præterea sunt ejus similes, optimatium partes vocamur: et, quemadmodum illius favor multorum tibi adjunxit animos, ita multi se læsos in uno putabunt. Præterea mortalium omnium fata dispensat Deus: qui si forte de me aliquid in illa provincia secius decerneret, jam omnium conviciis non mea solum temeritas, sed tuum quoque consilium vapularet.’ Ita res dilata est, donec eam in sententiam paulo post ab ipso Metello literæ venerunt.

22. Inter hæc propemodum tota nobilitas, Urbe relicta, in castra Syllana venerat, robur simul partibus, simul speciem ac decus afferens. Neque tamen ex diverso leve momentum in consensu consulum erat; et ad summi imperii nomen ex omni Italia, et circumpadana Gallia ingentes copię confluebant. Quibus ferme apparatus utrimque quod reliquum ætatis erat, consumtum est: ita tamen ut nec ab expeditionibus cessaretur, partium ducibus hinc inde, ut cuique occasio adesse videbatur, omnia tentantibus.

Plut. Syll.
c. 53.
Liv. Epit.

Appian.

Liv. Epit.

SUPPLEMENTUM

LIBRI LXXXVI.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

FastiCapit. 1. ANNO sequente C. Marius C. F. C. N. ante ætatem
Liv. Epit. per vim creatus consul, collega Cn. Carbone honorem
Auct. de iniiit: * quem ut immaturum periculoque plenum Marii
Vir. Illustr. mater acerbe flevisse dicitur. Is adolescens C. Marii
in Mar. F. fratre genitus, a patruo adoptatus,^a quo ætatis anno con-
Appian. sulatum ceperit, scriptores dissentiunt. Quinque, aut sex,
Auct. de aut septem annis vicesimum egressus apud diversos reperit-
Vir. Illustr. tur: sed ut Livianis reliquiis adhaream, quæ minorem
Vell. n. 26. annis viginti faciunt, ea quoque ratione adducor, quod
Appian. nihil ab eo ante hæc tempora gestum traditur,^b cum ejus

* A. U. C. 670. A. C. 82.

^a *Is adolescens C. Marii fratre genitus, a patruo adoptatus*] Freinshemius ex Appiano accepit consulem hujus anni fratre C. Marii genitum fuisse; ex conjectura addit illum a patruo esse adoptatum. At omnes præter Appianum auctores uno ore affirmant consulem hujus anni fuisse C. Marii septies consulis filium; et quidem naturalem, non adoptivum, ut clare docet Plutarchus in Casare. Hæc fusius tractata vid. in Animadv. Histor. Jac.

Perizonii, c. 3.

^b *Quod nihil ab eo ante hæc tempora gestum traditur*] At Freinshemius ipse octavo ante hunc anno l. LXXV. c. 20. ex Orosio memoravit juvenem illum in suspicionem venisse interfecti proditorie Porcii consulis. Quod atrocissimum factum certe non puerilis est imbecillitatis. Itaque fieri vix potuisse videtur, ut non vicesimum ætatis annum aliquot annis egressus esset, cum consul factus est. Crev.

rei, si afflisset ætas, occasiones multas fuisset habiturus : quodque C. Marius senex ideo se bellum Mithridaticum appetere, quo se potissimum magistro filius militiæ rudimenta poneret, jactaverat.

Supra,
LXXXVII. 16.

2. Acris eo anno hyems cum impedimento rebus gerendis esset, eo intentius cogendis ad bellum pecuniis consules incumbabant. Et ne militibus stipendia deessent, festinantibus in summa inopia patribus, senatusconsultum, quale tum potuit, factum est, 'ut aurea atque argentea templorum ornamenta conflarentur.' Principio veris ad Æsin fluvium, Galliæ tum Italiæque terminum, Q. Pius cum legato Carbonis Carinate signis collatis dimicavit. Ab orta luce ad meridiem summa utrimque contentione pugnatum cum esset, Carboniana acies loco cessit, multis ex suo numero desideratis. Ideirco vicinis ad Metellum deficientibus, consul Carbo ingentibus copiis affuit, tam prope collatis castris, ut viribus superior obsessum tenere hostem videretur.

Appian.

Val. Max.
VII. 6. 4.
Sall. ap.
Donat. et
Incert. 2.
Val. Max.
Strabo v.
p. 227.
Oros. v. 20.
Appian.

3. In Africa deinde res turbata, prætorque C. Fabius Hadrianus propter avaritiam ac crudelitatem in cives Romanos, qui Uticæ commorabantur, in prætorio suo vivus exustus est. Quippe homo nequissimus regnum Africae affectare, coactaque servorum manu de principum nece conspirasse dicebatur. Nulla postmodum de hac re quæstio fuit, non solum ob tempora reipublicæ, sed quia justam fuisse ultionem consensu senatus et omnium credebatur.

Liv. Epit.
Cic. in
Verr. v. 36.
et 1. 27.
Val. Max.
IX. 10.
Oros.
Pedian. in
Cic. Verr. 1.
Cic. in
Verr. 1.
Val. Max.

4. In Sardinia quoque civilia arma se commoverant, vincentibus et ibi Syllanis : et a legato Syllæ L. Philippo provincia, Q. Antonio prætore pulso et occiso, occupata est. His partium successibus cum nihil magis obsistere quam metus Italicorum populorum videretur, ne Sylla rerum potito jus civitatis et suffragiorum recens acceptum amitterent ; Sylla, missis quos apud unamquamque civitatem valere gratia et auctoritate noverat, fœdus cum iis percussit : tanta jam fortunæ suæ fiducia, ut a quibus aditus fuerat litigatores Romam differre vadimonium juberet, quanquam urbs adhuc adversæ factionis armis tenebatur.

Liv. Epit.

Appian. 5. Quibus rebus cum exulceratus C. Marii consulis
 Plut. Mar. animus esset, adolescens paternæ sævitæ, scripsit ad L.
 c. 80. Brutum Damasippum, 'ut Syllanæ factionis principes
 Liv. Epit. trucidaret:' velut imminente jam fato in antecessum ul-
 tionem rapiens. Ille convocatos in senatum quasi de re-
 Flor. III. 21. publica consulturus (præturam enim urbanam gerebat) C.
 Oros. Carbonem, cognomento Arvinam, virum prætorium, con-
 Appian. sulis fratrem patruelem,^c et P. Antistium socerum Cn:
 Val. Max. Pompeii in Curia Hostilia trucidavit. L. Domitius fu-
 IX. 2. gens circa fores interemtus est.
 Vell. II. 26. Pompeii in Curia Hostilia trucidavit. L. Domitius fu-
 Cic. ad Pompeii in Curia Hostilia trucidavit. L. Domitius fu-
 Fam. IX. 21. gens circa fores interemtus est.
 Plut. Pomp. Pompeii in Curia Hostilia trucidavit. L. Domitius fu-
 Appian. gens circa fores interemtus est.

6. Q. Mucius Scævola pontifex maximus, vir laudatis-
 Liv. Epit. simæ vitæ, ad vestibulum Vestæ confugerat: sed, ad
 Flor. aras occisus, sanguine suo simulacrum respersit: ut inane
 Cic. de numen, et in tanta infamia pudoris expers, cruore saltem
 Or. III. 3. indefensi clientis erubesceret. A suis quidem cultoribus
 Aug. de ita contemptum est, ut per eos minime steterit, quo minus
 Civ. Dei, in ipsis penentralibus mactatus, sempiternum illum horren-
 III. 28. dæ religionis ignem sanguine suo restingueret. Neque
 Diod. ap. Vales. satiatus cædibus prætor, ni ludibrium etiam crudelitati
 Lucan. II. circumgestari jussit: ceterorum quoque corpora per carnifi-
 126. cem unco tracta, atque in amnem abjecta sunt. Uxor
 Val. Max. Antistii Calpurnia Bestiæ filia, cum de casu mariti cog-
 Oros. novisset, gladio semetipsam interemit.
 Appian. Antistii Calpurnia Bestiæ filia, cum de casu mariti cog-
 Vell. Plut. novisset, gladio semetipsam interemit.

7. Dum ad hunc modum Italia ceteraque Europæ bel-
 Liv. Epit. lorum violentia inhorrescunt, Asiam denuo Mithridate
 Appian. irritato L. Murena concussit. Is, relictus a Sylla cum
 Mithrid. Fimbrianis legionibus, ut Asiam ordinaret, triumpho cupi-
 ditate, belli novandi causas circumspiciebat. Mithrida-
 tes in patrium regnum reversus, bellum Colchis atque
 Bosporianis faciebat, qui Romani belli tempore ab imperio
 ejus defecerant. Colchi Mithridatem filium regis,
 cum cujus adversus Fimbriam præclara tametsi infelix

^c C. Carbonem...consulis fra-
 trem patruelem] Hunc consulis
 fratrem fuisse apud Velleium
 legimus: patruelem addit ex con-
 jectura Freinshemius. Sed Ma-
 nnius in nota ad Cic. Epist.
 ad Fam. IX. 21. probare nititur

ex Cicerone et Valerio Max.
 eum Carbonis ter consulis nec
 germanum, nec patruelem fra-
 trem fuisse; Velleiumque aut
 errasse ipsum, aut corruptum
 esse ab librariis. Crev.

opera fuerat, regem deposebant: votique compotes facti statim arma deposuerant. Ergo Mithridates ingenio et peritia rerum suspicax, filii profecto astutia rebellionem eam ceptam arbitratus, quo sibi regnum Colchorum extorqueret, ad se conuiter vocatum compedibus aureis viuxit, et paulo post interfecit: minime recenti humanarum mentium fluctuatione, ut nunc liberorum causa quærant regna, nunc regnorum causa occidant liberos.

8. In Bosporianos deinde adeo magnam copiarum nauiumque collegit multitudinem, ut plerique contra Romanos magis hæc omnia parata interpretarentur, quam quos ille volebat inuasurus videri. Suspiciones horum laud parum movere credebatur, quod Mithridates Ariobarzani Cappadociam ita restituerat, ut tamen loca aliquot opportuna tum quoque retineret.

9. In hac ægritudine animorum, cum ad Murenam Archelaus cum uxore et liberis perfugisset; adeo magnum ad omnia momentum attulit, ut jam nemo quin suscipiendum esset bellum dubitaret. In magna illum invidia jam a tempore Chæronensis pugnae fuisse, supra ostendimus: neque eximi regi poterat, æquioribus conditionibus transigi potuisse, si magis ad suam gratiam quam ad Romanam Archelaus respexisset. Igitur ille non ignarus suspicacem regis animum ne liberis quidem parere, fuga salutem adeptus, etiam vindicari volebat. Quoque magis moueret Murenam, sponte sua satis in hanc sententiam proclivem nactus,

10. 'Hæc,' inquit, 'regum fides est, Murena! quanto quisque pluribus modis gratiam eorum meruit, tanto plerumque est suspectior. Amicos uti non caritate, sed ex usibus suis, deligunt, ita simul eorum ruinam rebus suis utilem esse crediderunt, (vere an falso in eam inciderint opinionem, nil refert) quominus crudelissimis exemplis eos pessumdent, nullo affectu retinentur. Sed præ ceteris eorum anceps et lubrica est statio, qui magnis exercitibus præficiuntur. Quippe sive feliciter ipsis res decedit, invidia; sive improspere, suspicionibus onerantur: neque dicere queas, utrum sit apud hæc ingenia periculosius, quæ vincere duces suos volunt, vicisse indignantur. Ego fortu-

Oros. vi. 2.
Dio l.
xxxix.
Appian.

nam utramque, ductor copiarum Mithridatis, expertus, non aliud pro meis meorumque factis, vulneribus, quorundam et mortibus, præmium expectare debui, quam ut imperio tyranni occiderer, pro magno habiturus beneficio, si solus hoc paterer, neque liberi mei uxorque una morerentur.

11. 'Hæc et alia, quæ non ignoras, vel me tacente satis indicant, quo animo et erga illum esse debeam, cujus haud sane meritam crudelitatem fugio; et adversus vos, qui paulo ante hostem, nunc supplicem vestrum, benignissime suscepistis. Ut igitur utrisque gratiam quam debeo referam, confirmo tibi, haudquaquam vanus auctor, Mithridatem certo certius rebellaturum. Sed ut potius vestro, quam illius tempore incipiatur bellum, interest. Nondum ita paratus est, quin occupari possit. In eo maximum ad victoriam momentum esse nosti. Neque ego tam parum amicitii ac clientelis valeo, ut non insignem tum in consiliis hostium indagandis, tum in recipiendis populis, operam navare possim.'

12. Hæc non postrema festinandi belli ratio cum ad priorem cupiditatem accessisset, haud difficulter motus est Murena, ut exercitu contracto Cappadociam ingrederetur. Ante omnia, reddita sunt Ariobarzani, quæ ad regnum ejus pertinentia Mithridates retinebat. Comana deinde irrupit, maximam iis regionibus Pontici juris urbem, ubi magnæ religionis opulentiaque templum visabatur. In ejus urbis præsidio rex Mithridates aliquot equitum alas collocaverat: quas ubi concisas a Romanis esse cognovit, legatis ad Murenam missis, pacta cum L. Sylla imita servari postulabat. Forte Græcos quosdam sapientiæ studium professos magis quam præstantes Mithridates legaverat. Ii sive gentis odio, sive mores regis perosi, contra mandatum et utilitatem ejus a quo veniebant, bellum potius Murenæ, quam pacem suadebant. Igitur, quia Sylla contentus fidem factis repræsentare tabulas fœderis conscribere neglexerat, negabat pacta se videre, ad quæ Mithridates provocaret. Hoc responso legatis reddito, statim prædatum dimisit suos, neque profanis, neque sacris abstinens manus: deinde, quia jam

Strab. xii.
p. 535.
Appian.

Memnon.

Appian.

tempus anni rebus gerendis ineptum erat, hybernandi causa in Cappadocia substitit.

13. De his Mithridates, tum ad Syllam missis, tum ad senatum legatis, querebatur: 'Omnia se fecisse, dedisse, quæ ex formula fœderis et fide bona fieri dari oportuisset. Romanis Asiam, regibus Cappadociam, Bithyniam, Paphlagoniam restituisse: recessisse intra patrii regni limites, longissimeque remotum a consilio simul et occasione Romani belli diversissimis locis adversus Colchos atque Bosporanos dimicasse. Cum nulla provocatus injuria L. Murena, quem L. Sylla cum imperio in Asia reliquisset, irruptionem in fines suos fecerit, urbes expugnarit, præsidia regia ejecerit aut occiderit, et, quamlibet occurrente nemine, divina simul ac humana latrocinio ac rapinis vexaverit. Nec hunc injuriarum finem facere constituisse, in Cappadociæ hybernis exercitum tenentem, ut, quamprimum tempus anni pateretur, redintegrare bellum posset.

14. 'Magnopere igitur postulare, senatus datam sibi pacem præstet, Murenam revocet, res reddere, bellum omittre, injuriis abstinere jubeat. Se nec antea lubenter arma contra Romanos induisse, et nunc passurum omnia potius, quam ut hos iterum hostes habeat. Providendum tamen patribus, ne talibus factis ea invalescat apud reges et nationes opinio, parum interesse, socii aut verò hostes populi Romani habeantur. Nam cupiditate ducum, licentia militum, sublato quod interesse debuisset discrimine, pari violentia et acerbitate omnes tractari.' Similia quoque mandata ad Syllam dederat; adjunctis quæ singulariter illum attingebant, qui pacis ejus auctor, magna a rege ad bellum accepisset auxilia, majora expectare posset. Hæc erant superiore anno facta.

15. Caio vero Mario, Cn. Carbone consulibus, cum nondum reversi Roma legati essent, Murena, transito Haly fluvio, qui et alias copiosus aquis, tum continuis imbribus supra solitum intumuerat, fines Mithridatis libera populatione persultavit; rege nusquam occurrente, ne bello causam dedisse argueretur. Sic Romanus in Phrygiam Gallogræciamque onustus præda recessit.

16. Ibi convenit eum missus ab senatu Callidius, qui

litteras quidem nullas afferebat, palam autem Murenæ nuntiavit senatus verbis, regem socium amicumque ne lacesseret. Deinde, quia cum solo colloqui conspectus erat, neque Murena ideo minus hostilia faciebat; dolum Romanorum incusans Mithridates Gordium occurrere, et prædatores coërcere jussit.

17. Ille cum et milites multos et jumenta comprehendisset, abductis illis, castra castris Murenæ sic opposuit, ut interfluente amne dirimerentur. Neuter tamen pugnæ tentare fortunam voluit: donec ipse Mithridates cum majoribus copiis supervenit. Tum cæpto circum amnem prælio, cum rebus omnibus impar Murena esset, transcenderunt amnem regii, Romanosque, multis cæsis, in collem quendam munitum se recipere coëgerunt. Mox rege ad oppugnandum collem profecto, cum locus ad resistendum parum aptus videretur, desertus a Murena est: magnoque labore, regiis subinde carpentibus agmen, per montes aviis itineribus in Phrygiam penetratum. Celeriter vulgata tam insperatæ victoriæ fama multos adjunxit Mithridati: brevique omnia quæ per Cappadociam dux Romanus disposuerat, præsidia dejecta sunt.

18. Mithridates ut bonis suis rebus honorem Diis haberet, in alto monte sacrificium Jovi bellorum præsidii patrio more fecit. Ejus hæc fuisse ratio traditur. Primus ipse rex in summo montis cacumine, more Persico, ligna suis manibus allata deponit: tum certatim ab aliis aggregata, postquam in quam maximum fastigium excreverunt, alia circum humiliori strue firmantur. In summo rogo cum melle et lacte vinum oleumque et generis omnis odores largiter affunduntur. Altera pyra, quam humiliorem strui diximus, cœnam præsentibus paratam sustinet: qua peracta, ignis subditur. Inde propter copiam materiæ, locique altitudinem tantum flammarum emicat, ut ad centum et triginta millia passuum^d incendium conspiciatur: neque propter ardoris violentiam quisquam eo accedere per dies aliquot proximos possit.

Strab. xv.
p. 732.
Herod. i. 31.
Appian.

^d Centum et triginta millia passuum] Appianus habet mille stadia, quæ centum et viginti quinque millibus passuum respondent, leucis nostratibus plus 40. Crev.

19. Id sacrum Persarum olim reges faciebant Pasargadis. Inde transit ad Ponticos velut hereditario jure, quod ii genere Persarum regnum erant editi. Nec alienum est, quo Mithridatis nobilitas et pars majorum cognoscatur, brevem gentis ejus recensionem subnectere.

20. Mithridatis, qui tam diu bellavit cum Romanis, eodem nomine pater fuit, Evergetes cognomento: de quo suis locis quadam memoravimus. Ante hunc regnavit Pharnaces, Sinopensium domitor, quos contra patrem ejus Mithridatem Rhodii defenderant. At Ariobarzanes Amastrin adjunxit regno, nobilem urbem; patris Mithridatis opibus validus, qui Cappadociam et Paphlagoniam annis sex et triginta obtinuerat, valde auctis paterni regni viribus. Pater enim ejus Mithridates angustius imperavit, prevalente Macedonum potentia. Nam Antigonum sectari necessum habuit, ex Alexandri Magni duce potentissimum Asiæ regem: a quo etiam fuisset occisus, nisi fuga servasset salutem.

21. Somniaverat Antigonus (res enim est non indigna relatu) se agrum auro conserere; Mithridatem vero demessum aurum asportare in Pontum. Laborat hoc etiam insanix genere humanum ingenium, ut et prædictionum harum ratam esse fidem putet, et nihilo secius pugnare cum fato conetur. Igitur Antigonus tollendum de medio Mithridatem ratus, rem totam Demetrio aperuit, filio suo. Atque ille misertus sodalis et amici, non equidem voce monuit, ne jusjurandum patri datum falleret, sed, illo inspiciente, in arena depinxit hastili duo verba, fugere jubens Mithridatem. Atque ille cum sex equitibus profugit, occupatoque castello, cui nomen erat Ciniata, fundamentum jecit ejus regni, quod in octava demum successione Romanis armis subjugatum est.

22. Igitur et conditoris cognomento celebratur, quod ipse primum sui juris regnum iis locis orsus est, quibus ante Ariobarzanes Phrygiæ satrapa, et Rhodobatæ filius Mithridates, qui Platonis imaginem dedicavit Musis, precario pro regum Persicorum purpuratis præfectisque præfuerant. Nam a septem Persis oriundi, datam a Dario rege majoribus suis ad Euxinum Pontum satrapiam, per-

Strab. x.
p. 477.

Strab. xii.
p. 545.

Polyb.
iv. 56.

Memn. ap.
Phot. c. 17.

Diod. xx.
fin.

Appian.
Mithrid. et
Plut. Demetr. c. 5.

Strab. xii.
p. 562.

Plut.
Appian.

Lucian. in
Macrob.
Diod. xv.
c. 90.

Diog.
Laërt. in
Plat.

Flor. iii. 5.

petua successione tradiderant posteris. Quorum omnium potentissimus Mithridates, cum et majorum antiquissimam gloriam, et tum amissas nuper, tum superstites adhuc opes animo reputaret; non satis fractus uno bello, Romani populi vastum imperium iterato sumtis armis oppugnare audebat.

SUPPLEMENTUM

LIBRI LXXXVII.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

1. SUB idem tempus L. Sylla, ducto in Volscos exercitu, Appian. Civ. l. 1.
Setiam oppidum cepit, non procul inde castra habente
C. Mario: qui audita deditione oppidi, cum prope Signiam ad Sacriportum (id loco nomen) cum quinque et Plut. Syll. c. 55.
octoginta cohortibus venisset, insecutum Syllam ad pugnam provocavit. Proxima nocte visus Syllæ per quietem Liv. Epit. Plut.
C. Marius senior fuerat, præcipiens filio, monensque vitaret illum diem, minacem et consiliis suis adversum. Id somnium valde confirmavit Syllam, ut eo potissimum die dimicare optaret. Idcirco missis qui Dolabellam arcescerent (is cum parte copiarum procul castra erat metatus) quadrata acie iter versus hostem facere instituit.

2. Nec omittebant Mariani locis opportunis offerre sese, et alibi saxa aut cespitem obmoliendo vias claudere, nunquam variis locis ex occasione conserere manus: donec ita defatigati pugnando simul eundoque Syllani sunt, præsertim quia molestus imber accesserat, ut præ lassitudine vix consistere possent. Id imperatori nuntiatum a tribuno est, simulque milites ostensi, scutis humi defixis sese sustinentes.^a Fremens ille frendensque, tempus quod sibi

^a *Scutis humi defixis sese sustinentes*] Plutarchi verborum hæc mens videtur esse, ut milites scutis incubantes humi jacuisse intelligi debeant. *Crev.*

felicissimum ad pugnam futurum existimaverat ita perire, signum consistendi castrisque ponendis dedit.

3. Ceterum quemadmodum paulo ante certam ejus spem lassitudo militum destituerat, ita tum depositam hostium ferocia reddidit. Marius cum equitibus ferociter invectus, (fessos enim atque operi intentos fundi posse speraverat,) hac ignominiae specie sic accendit veteranum exercitum vincique insolentem, ut, omisso opere, pilisque in margine fossae defixis, gladios stringeret. Hoc initium acerrimi praelii fuit: collatisque signis aliquamdiu pari contentione animorum dimicatum: donec inclinante sinistro Marii cornu, priusquam aperta fuga fieret, quinque cohortes cum duabus alis signa projecerunt, et simul transierunt ad hostem. Ea res ceteros in confessam fugam egit, et insequentibus alacriter, qui paulo recentiores erant, Syllanis, magna fugientium strages est edita. Fenestella cum quibusdam aliis scriptoribus interfuisse praelio C. Marium negant; sed vigiliis laboribusque confectum, signo pugnae dato, sub dio quievisse, et fugiente jam exercitu, vix potuisse excitari.

Oros. v. 20.

Appian.

Lucan. II. 134.

Plut.

Auct. de Vir. Illustr. in Mario Fil.

Vell. II. 26.

Appian. Plut.

Appian.

4. Fuga reliquias exercitus Praeneste abstulit, quod natura munitum oppidum Marius etiam praesidiis firmaverat. Sed tanta fuit trepidatio, ut, intromissis qui primi accurrerant, deinde, metu ne una hostes irrumperent, Praenestini clauderent portas: factumque est, ut Marius tum demum superveniens fune demisso in murum subduceretur. Ceteri plerique omnes in conspectu suorum caesi captive sunt. Sylla, viginti millia hostium eo praelio cecidisse, capta fuisse octo scripsit: suorum tres tantum et viginti desideratos. Samnites quotquot in manus venerant occidi omnes, tanquam perpetuos hostes nominis Romani, Sylla imperavit.

Oros.

5. Hujus pugnae fama Carbonem, a quo Metellus graviter premebatur, sic exterruit, ut protinus ex locis quae ceperat praesidia deduceret, et cum exercitu Ariminum properaret. Sed forte fortuna accidit, ut per idem tempus Metello opem ferens Pompeius adventaret, qui, discessu hostis cognito, castra ejus occupavit; tergisque abeuntium inhaerens, multis occisis, multis ad deditionem

pellectis, magna illum exercitus parte spoliavit. Et Metellus alium Carbonis exercitum signis collatis cecidit, Appian. facili victoria, quia tum quoque inter pugnandum quinque cohortes hostium ad illum defecerant. Neque multo post Pompeius circa Senas devicit Marcium, et ut præmium laboris strenue navati haberent, urbem captam a militibus diripi passus est.

6. Sed non sicut indulgens in benemeritos, sic etiam insolentibus lenis aut propitius fuit. Mediolani trucidatus Front. 1. 9. injussu suo senatus fuerat: eaque culpa ad multos pertinebat. Pompeius igitur, ne tumultum moverent, si soli evocarentur, veritus, universum exercitum adesse in concionem jussit. Sic nocentes, quia cum omnibus acciti erant, aliud quid velle imperatorem rati, affuerunt: et cetera pars exercitus, quæ pura ab illo crimine erat, postquam intellecta res est, tanto diligentiore in custodiendis reis præstiterunt operam, ne illorum fuga sibi tanquam consciis ejusdem noxæ imputaretur.

7. Interim L. Sylla compulsus intra Prænestinorum Appian. Liv. Epit. mœnia Marium circumvallare cœperat, quia propter loci naturam expugnari armis nequibat. Nam supra urbem Strab. v. p. 238. mons excelsus^b in altitudinem amplius passuum ducentorum quinquaginta consurgebat: hæc arx erat civitatis, et ab diversa parte continentibus jugis angusta cervice jungebatur. Igitur fossam vallumque e longinquo duci jussit: Appian. Plut. Liv. Epit. LXXXVIII. Vell. 11. 27. operique Lucretium Ofellam præfecit, equitem Romanum,^c qui nuper e Carbonianis partibus ad se transfugerat.

8. Id consilium a quibusdam reprehensum est, non improbabili- Dio ap. Vales. ter quærentibus, 'cur e tot egregiis quos circa se habebat viris, neminem, sed obscurum et ignobilem homi-

^b Nam supra urbem mons excelsus] Strabonis sensus non satis accurate hic representatur, qui talis est: Arcis loco supra urbem adjacet mons excelsus, idemque a tergo, id est, eo loco quo ab urbe maxime recedit, a continentibus jugis per angustas fauces dividitur, supra quas in altitudinem ducentorum quinquaginta passuum recto ascensu

consurgit. *Crev.*

^c Lucretium Ofellam... equitem Romanum] Sic memorat Appianus eo loco ubi de hujus Lucretii morte agit. Firmat Dio, qui homini obscuro et ignobili mandatam a Sylla Prænestinam obsidionem narrat. Velleius tamen eum prætorem ad Syllam transfugisse memorat. *Crev.*

nem ad tantæ rei ministerium delegisset? Certe fœdis-
simi propositi conscium humiles potius et servituti paratos
extollere voluisse, a bonis viris haud æque promptum ad
turpia obsequium expectantem.' Illa quoque causa sub-
esse putabatur, ne præstantes virtute ac nobilitate homines
consiliorum gestorumque laudem ad se retraherent; re-
publicaque restituta pari cum illo jure censi æquum
putarent. Viles ergo malebat, qui modicis præmiis con-
tenti, famam potentiamque solidam ad imperatorem trans-
mitterent.

9. Sed paulo ante, cum adversariorum apparatibus om-
nis Italia streperet, et ingentes passim exercitus contra
se ducibus minime contemnendis concitarentur; optimum
quemque honestissimumque maximo studio ambiverat, eo-
rumque opera gratanter erat usus. O gravem vitæ pesti-
feramque luem, quæ vinculum humanæ societatis solvit,
maximumque rerum gerendarum instrumentum obtundit
ac hebetat! Quem enim omnium fidum nobis, nostræque
utilitatis causa omnia facturum sperare possumus; si hæc
pessima consuetudo inolevit, ut, quos ob spem præstandæ
operæ caros habuimus, post præstitam spernamus?

Appian.

10. Ceterum Sylla, rebus ad Præneste constitutis, Ro-
mam petens, omnibus viis globos militum præmittebat,
præcipiens, ut exclusi mœnibus Ostiam concederent; re-
cepti, ad portas præsidii causa remanerent. Sed illis non
quæ in via modo erant urbes, sed ipsa Roma statim pa-
tuit: fame urgente populum, et jam inter tot civilium
bellorum vicissitudinem assuetis hominibus potentiori ac-
cedere. Sylla, cum ex sententia rem procedere compe-
risset, nihil contatus ad Urbem venit, et copiis in Campo
jussis tendere, ingressus, bona inimicorum, qui sub adven-
tum ejus omnes profugerant, sub hasta vendidit.

Liv. Epit.
Appian.

11. Advocato deinde in concionem populo, 'necessita-
tem præsentem' miseratus, 'quod iterum armatus adire
Urbem cogeretur, quam contra omnem vim atque omne
periculum armis suis semper studuisset defendere; impro-
bitatem atque pervicaciam adversariorum' inculpavit, 'qui
neque secunda fortuna quiescere, neque adversa penitere
dediticissent.

12. ‘Sibi semper certum fixumque fuisse, in honorem communis patriæ acerbissimis adversariis parcere. Hujus animi se non suos tantum duces legatosque, sed ipsum populum Romanum habere testem, cui lenitatem suam semper approbarit, quamdiu suo se ingenio uti perversitas inimicorum sivisset. Sed ubi viderit eosdem illos quorum injurias patriæ condonasset, suam mansuetudinem pro ignavia accipere, atque velut impune quidlibet ausuros, ipsi patriæque eandem perniciem meditari; vim atque temeritatem improborum virtute ac constantia repulsurum, scelestis atque nefariis armis justa ac pia opposuisse. Affuisse etiam causæ meliori Deos, affuturosque.

13. ‘Confiderent igitur Quirites, et, quemadmodum temperando a bonis innocentium, quæ diripienda ipsi pravi homines objecissent, insigne edidissent benevolentiae suæ in has partes documentum, ita nihil a se aliud, quam quæ ipsis essent optatissima, expectarent, paulo post sublatis discordiis, pacem et qualem desiderarent reipublicæ statum visuri.’

14. Hæc ita, uti dicta erant, a plerisque accipiebantur. At quibus reputatio temporum, et quæ paulo ante viderant, acrius exercebant ingenia, rem esse periculi plenissimam autumabant. ‘Etiam melioribus seculis, cum nondum quotidianis rebus accenseri bella civilia, et in urbe, in foro, in curia pugnae cædesque, possent; sæpe discordiam partium ad sanguinem necemque imbecilliorum pervenisse. Syllam, tametsi mirifice adhuc lenitatem præferat, ita tamen irritatum ab adversariis esse, ut ab ipsa Modestia vix possit postulari, in tanta vindictæ et causa et occasione, increuenta reipublicæ conversio. Neque illum ingenio abhorreere a sævitia, sed tempori dedisse, ne præmature effervesceret. Ne sic quidem temperare potuisse quin evidentiâ nonnulla crudelis animi argumenta erumperent.

15. ‘Priore sane bello, cum servatus a Mario ad legiones jam alii decretas redisset, vi ac armis omnium rerum arbitrium arripuisse; urbem occupasse; multisque, ipso connivente, interim et jubente, occisis, coëgisse senatum, ut complures egregios viros facultatibus suis exutos, patriæ aspectu privatos, hostes judicaret. Sed nec ambitionem

ejus minus quam iracundiam metuendam esse. Cupiditate honorum et dominationis multos ingenio mites eo se præcipitare, unde sine suo aut aliorum exitio eniti nequeant. Jam vero ita comparatum in rebus humanis, ut sine ulla contatione alios quisque pro se, quam se pro aliis perire malit.

16. ' Non posse existere clementem animum in civili victoria: iras, odia, offensas, quanquam mitissimos mores exacerbare. Accedere licentiam summæ potentiæ: et interdum vel a nolentibus aliquid durius fieri, ut admoneantur homines, quantum victoribus liceat, si velint. Multa quoque contra voluntatem facere cogi, ut satisfaciant adiutoribus victoriæ. Horum inexplebilem avaritiam nullis unquam opibus exsatiari posse. Sed ad has parandas opus esse crudelitate. Nam et adimi bona innocentibus invidiosissimum esse; et injustissimos etiam cum facere scelesti nihil pensi habeant, probos tamen videri malle. Nihil ergo reliquum, quam ut, quibus eripere facultates constituerint, eis prius adimant vitam, quo tanquam sotes punivisse credantur.'

Appian.

17. Ceterum Sylla, non diutius Romæ moratus, quam ut, curatis instantibus, amicorum quosdam urbanis rebus præficeret, inde contento cursu Etruriam petiit: quod apud Clusium Carbo consul florentes copias, ipsum partium robur, contraxerat. Accesserant Celtiberorum alæ, quas nuper Hispaniarum prætores consulibus auxilio miserant. Cum his præcursores Syllæ contracto ad Clanim fluvium equestri prælio, circiter quinquaginta occiderunt: ducentos septuaginta, non captos, sed sponte transgressos, deduxerunt ad imperatorem. Carbo, re cognita, infensus Celtiberis, et parem reliquorum perfidiam metuens, circumdatos valida manu omnes trucidavit. Eodem tempore Sylla cum alia parte copiarum in agro Caletrano circa Saturniam coloniam oppositos sibi hostes vicit: et Metellus, Ravennam navigans, Uritanum agrum planum et frumenti feracem in potestatem redegit. Aliæ quoque Syllanæ copię in Neapolitanorum oppidum noctu proditorum opera recepti, promiscua cæde compleverunt omnia, triremesque civitatis abduxerunt. Etiam, ut ubique eadem partium fortuna esset, in Spoletinis campis Pompeius

Liv.
xxxix. 55.
Appian.

Liv. Epit.
Appian.

Crassusque Carbonianorum tria millia conciderunt, Carinatisque castra circumsederunt.

18. Inter hæc Sylla Carboque, capita factionum, apud Clusium ab oriente die ad occidentem commisso prælio, neutro inclinante victoria, tenebrarum superventu diremti sunt. Carbo deinde copias magnas ad eximendum obsidione Carrinatem misit; quibus insidiæ a Sylla positæ, et ad duo millia interemti sunt. Carinas, fœdam tenebris et pluvia noctem nactus, ex locis iniquis exercitum ad tutiora deduxit: magis dissimulantibus quam ignaris hostibus, quod inter cæca tenebrarum et tempestatis ad prælii laborem aleamque prodire pigebat.

19. Post hæc Carbo ad liberandum Præneste, ubi collegam fame premi compererat, Marcium cum octo legionibus misit. Eas angustis locis insidiæ Pompeii cum exceperissent, fuga stragesque facta est, et in tumultum quendam quod evaserat rejectum. Marcium, non extinctis ignibus, ne consilium prodiretur, ad Carbonem, ut re desperata, refugiebat: sed prodita re, seditiosis militum vocibus agitated, auctorque insidiarum quas essent passi appellatus est. Eoque tandem irarum ventum, ut, convulsis signis, pars Ariminum peteret, alii passim domos dilaberentur: neque ad summam plus septem cohortibus apud duces permanent.

20. Irrita Marcii expeditio M. Lamponium, Pontium Telesinum, Guttam Capuanum, Italicos duces accendit, Plut. ut eo promptius ad auxilium Marii concurrerent. Neque Appian. spernendæ his vires, septuaginta millia armatorum, erant. Sed ubi hos adventare Sylla cognovit, quibus locis maxime arcta sunt itinera, et necessario transeundum hostibus erat, castra metatus, frustra quærentes aditum exclusit. Proinde Marius, nullam nisi in se ipso spem reliquam videns, inter oppidum et opera Syllæ (spatium enim satis magnum intererat) castellum extruxit, machinisque et copiis ibi collocatis, eruptionem tentavit. Sed cum per complures dies nequicquam se fatigasset, æ- Liv. Epit. currente Sylla,^d intra Præneste repulsus est. Appian.

^d *Accurrente Sylla*] Sylla quem in Epitome Marium erumpentem repulisse memoratur. Sed utrum ipse, an per legatos id gesserit, videtur nobis dubitari posse. *Crev.*

SUPPLEMENTUM

LIBRI LXXXVIII.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

Vell. II. 28. 1. PAULO antequam Sylla ad Sacriportum dimicaret, a ducibus ejus, duobus Serviliis ad Clusium, Metello Pio ad Faventiam, M. Lucullo circa Fidentiam, Carbonianos magnificis præliis victos esse, Velleius Paterculus retulit. Sed ego Livianam historiam vestigiis persecutus, seriem rerum, Appiani quoque testimonio fultus, aliter contexui.

Liv. Epit.

Appian.

Igitur quibus temporibus repulsus intra Prænestina mœnia Marius fuit, iisdem ad Faventiam Carbo Norbanusque per absentiam Syllæ Metello imminentes, conjunctis exercitibus prope castra ejus, vix una hora diei reliqua venerunt. Et, quanquam statim affutura nox erat, præterea locum pugnandi densa circum vineta arctabant, ira magis quam consilio impetum fecerunt, tanquam inopinata audacia plus formidinis illaturi. Sed iniquo loco, cum

Oros. v. 20.

Appian.

impediti vitibus milites prociderent, neque armis uti possent, magna cæde victi sunt; exercitusque omnis ita dissipatus, ut morte decem millium, sex millium transfugio, ceterorum quo cuique visum fuerat abeuntium desertione, non ultra mille hominum servatis ordinibus Arretium sit reductum.

2. Alia quoque legio Lucaeorum, quam P. Albinovanus, qui cum Mario sene hostis judicatus fuerat, ducebat, frustra indignante Albinovano, signa ad Metellum trans-

tulit. Ille, cum, omnibus tentatis, retinere deficientes nequisset, ad Norbanum se recepit. Deinde fata partium, et quam frustra obniteretur, reputans, animo commutato, neque simplici scelere proditionis contentus, Norbanum et, qui una erant, duces invitavit. Norbanus ipse non accessit: Flavius Fimbria ceterique cum venissent, omnes inter ipsas epulas trucidati sunt. Albinovanus ad Syllam profugit. Harum cladum fama cum Ariminum, Albinovani proditione oppressum direptumque, deinde alia multa iis locis praesidia alienasset; Norbanus nemini suorum rebus suis adversis fidem mansuram ratus, privato navigio Rhodum avectus est.

Cic. in
Verr. 1. 14.
et ib. Pe-
dian.
Appian.

3. Carbo nihil non in eo situm videns, si Praenestina solvi obsidio posset, L. Damasippum cum duabus legionibus eo proficisci jubet: sed nec ab hoc quidem, occupatis per Syllam angustiis, penetrari quitum. Metellus interea, quicquid a Ravenna ad Alpes Gallicorum populorum colit, adjunxit partibus: et ad Fidentiam in agro Placentino M. Lucullus cum a Quintio obsideretur, cum sexdecim cohortibus adversus quinquaginta eruptione pugnavit, caesisque millibus octodecim, castra quoque vi cepit. Alacritatem militum ante id praelium ea re mirifice auctam ferunt, quod, contante Lucullo, elemens ventus, e vicino prato florum magnam copiam in vallum ejus compulit, qui scutis galeisque haerentes, coronati ab hoste exercitus speciem referre visi, velut certo victoriae omine ad conandum omnes impulerunt. Inter haec etiam a M. Crasso res in Umbria gestae, et insigne iis locis municipium Tuder receptum est.

Liv. Epit.
Oros.
Appian.
Plut. Syll.
c. 53.

4. Hae aliae super alias clades ita pereulerunt Carbonis animum, ut de retinenda Italia desperaret. Igitur quamvis ad Clusium adhuc triginta militum millia haberet, praeterea duas sub Damasippo legiones, alias itidem sub Carrinate et Marcio, Samnitum quoque ingentes copiae partibusque fidae superessent; turpi formidine Italiam atque exercitum consul deseruit, cum amicis in Africam profectus.¹

Plut.
Crass. c. 10.
Appian.
Plin. VIII.
57.
Appian.

Sall. ap.
Serv. et In-
cert. 9.
Liv. Epit.
Plut. Syll.

1 *Profectus* edd. ante Crev.

Appian. 5. Relictus ad Clusium exercitus, cum Syllanis acie commissa, post viginti ferme millium interitum, dissolutus est; reliquis in suam quoque patriam sparsis. Decus hujus victoriæ a quibusdam duobus Serviliis, ab aliis Vell. II. 28. Cn. Pompeio vindicatur. Quid veri sit, haud facile Appian. queas discernere: omnes istos duces simul affuisse prælio Plut. non sit absurdum existimare. Servilii certe magnam eo bello et præclaram operam fuisse boni auctores proderunt. Sed Carrinas et reliqui Carboniani duces junctis copiis ad angustias accesserunt, extremo conatu, simul Appian. Flor. III. 21. cum Samnitibus perrupturi: quippe Samnites inde repulsi Campaniam Etruriamque vastabant, sub invidia partium se vindicantes. Id quoque frustra fuit.

6. Ergo cum neque tenere propositum possent, et instante hinc Sylla, inde Pompeio, neque progredi facile, neque regredi tutum videretur; nocturno itinere Romam petierunt, virorum et comætuum inopia haud difficilem captu arbitrati: et ad duodecimum neque amplius ab Urbe lapidem castra in Albano monte posuerunt. Ibi nocte exacta haud exigua cum spe, quod tantis totque ducibus imposuissent; simul cum luce profectos ex Urbe nobiles juvenes una cum Ap. Claudio insigni viro ceciderunt. Octoginta millia bellatorum erant: dimidium Vell. II. 27. ejus numeri Samnites implebant, quos solos omnium Italicorum arma retinentes Pontius Telesinus civis eorum Plut. ducebat, vir domi bellique fortissimus, et magnis certaminibus inveteratus.

7. Igitur cum res ad summum timorem spectaret, Urbsque tota tumultu et clamoribus sequioris præcipue sexus App. Plut. personaret; primus ab imperatore Sylla cum septingentis equitibus citato cursu Balbus affluit: qui tantum moratus, donec sudor equorum consisteret, statim iterum frenari eos jussit, et ad distinendum hostem procurrit. Interim Appian. Sylla raptim exercitu ducto ad portam Collinam circa Plut. meridiem pervenit, castrisque ad Veneris fanum positus, ut quique primum advenerant, prandere milites, deinde in aciem assistere jussit. Jam enim et hostes ad Urbem castra metabantur.

8. Ibi Dolabella et Torquatus magnopere Syllam ob-

testati sunt, ‘ ne lassatis itinere militibus patriæ salutem in unius pugnae discrimen committeret. Non Marium ex adverso et Carbonem, inimicissimos homines, Romanos tamen; sed Lamponium cum Lucanis, sed cum Samnitibus Telesinum consistere, infestissimos Romano nomini bellicosissimosque et populos et duces. Atque illos multarum horarum quietem curandis corporibus consumsisse: sibi suisque simul faciunda omnia, eundem, prandendum, pugnandum esse. Non equis, non viris, solidum adesse robur, ut cibo ac quiete refectis hostibus objici debeant.

9. ‘ Esse quidem sibi militum fidem eximiam, esse virtutem, haecenus etiam fortunæ singulare obsequium affuisse: sed neque ab illis plusquam possint, neque ab hac plusquam soleat, expectari oportere. Nunquam non timendam casuum humanorum vicissitudinem: et quamlibet fortes viros a deterioribus opprimi posse, si cum validis et refectis ipsi labore ac inopia debiles committantur. Non esse causam festinandi, ubi meliorem tuam quam hostium conditionem factura mora videatur. Si paululum quiescat, non modo redivivas militi vires; sed hostium ex desperatione natam audaciam, tempore et spatio rectius omnia aestimandi defecturam. Nunc adhuc dum animi caleant, acre prælium facturos: ubi refrixerit impetus, et modo validissimum juxta se exercitum, nec procul inde caput rerum Romam recogitaverint, modo suarum adversarumque partium reputaverint fortunam, aut posituros arma, aut minus constanter opposituros.’

10. Nihil motus horum precibus ac monitis Sylla, ‘ Jam in eo res est,’ inquit, ‘ ut quod restat negotii, celeritate confici debeat. Mori præstat, quam hanc ferre ignominiam, ut, me incolumi et inspectante, Samnites Lucanique obsedissem Romam gloriantur. Tecta urbis, et Capitoliinam arcem, et quicquid ibi Deorum hominumque est, quoties respicerem, exprobrare mihi vel timiditatem vel negligentiam crederem, si unum diem amicos nostros in metu, adversarios, si qui etiamnum Romæ sunt, in spe versari passus essem. Neque militum lassitudinem, nec fortunæ inconstantiam objeceritis. Viverent adhuc immensa hostium agmina, neque Prænestinis mœnibus Marium

inclusisset necessitas, si ad Sacriportum his argumentis a pugna fuissem absterritus.

11. ‘Milites mei etiam fessi bene pugnare possunt : et de fortuna quantum mihi pollicear, quibusque inductus rationibus, haud semel audivistis. Illa, illa, sicuti perpetuo consuevit, nunc quoque reperiet aut faciet nostræ victoriae viam. Nec adeo temere captum mihi consilium existimaveritis. Animos exercitus magis, quam corpora respicio : quamdiu illi vigent, non deerunt etiam fessis lacertis vires : et tamen spatium erit cibo ac modica quiete reficiendi membra. Vos ergo alacres bonaque spe pleni, ad curandum vestras partes discedite : militemque, ut solitam nobis virtutem præstet, excitate. Nam ego, quod mihi, reipublicæ, et exercitui bene vertat, signum pugnae confestim dabo.’

Vell.Oros.
Plut.

Appian.
Plut.
Crasso et
Syll.

12. Ita Kalendis Novembribus post nonam diei horam summis viribus concursum : neque unquam propior victo Sylla, aut in majore periculo Roma fuit. Dextrum Syllæ cornu, cui M. Crassus præerat, egregie vicit : persecutusque fugientes Crassus certos homines misit, qui rem bene gestam nuntiarent Syllæ, et cibaria militi poscerent. Nam delatus Antemnam usque, castra ibi posuerat. Sed nocte jam adulta, qui fuerant missi, ad Syllam pervenerunt, defunctum discrimine, cui tum gravissimo ac formidolosissimo subiverat.

Front.
Strat. 1. 11.

Plut. Syll.

13. Nam interim, dum oppositos sibi hostes Crassus fundit fugatque, lævum Syllæ cornu valde laborarat, quamquam eo ad sistendam suorum fugam Sylla ipse se contulisset. Ferunt, albo et pernici equo insidentem, et a duobus hostium equitibus inde agnitum, hastis emissis petitum fuisse ; nec animadverso periculo, sed agasone equum impellente, hactenus esse prætervectum, ut pone caudam equi hastæ in terra defigerentur. Erat hoc morum Syllæ, ut modicum sigillum Apollinis, quod ex templo Delphico sustulerat, in conspectu exercitus adoraret, promissamque victoriam maturari peteret. Id tum etiam eduxit sinu, exosculatusque, fuis quas præsens trepidatio suggesserat precibus, cedentibus cepit obsistere ; quosdam minis, alios precibus, nonnullos injecta quoque manu re-

tinens. Neque tamen efficere potuit, ne multis amicorum familiariumque ² cadentibus, permixtus agmini fugientium in castra sua repelleretur.

14. Et instabat fortunæ Telesinus, totaque volitans acie, Vell. ‘ adesse Romanis ultimum diem, eruendam delendamque Urbem; nunquam defuturos raptores Italicæ libertatis lupos, ni sylvæ in quam refugere solerent, esset excisa,’ et alia incendendo militi acclamabat. Igitur multis qui Plut. spectatum prodierant, ad Urbem refugientibus, senes ad Appian. custodiam portarum relictis, ^a claustra demiserunt: quibus et alii mortales, et quidam senatorum elisi sunt. Tantaque formido fuit, ut propemodum solutus obsidione Ma- Plut. rius fuerit, quia multi fuga ad Lucretium delati, perditas res, oppressum Syllam, occupatam Urbem nuntiabant.

15. Ceterum, annitente imperatore, et quia clausis Appian. portis aliud præsidium nullum supererat, restituta acies est: demumque post primam noctis horam superior esse res Romana cœpit. Reliquum noctis cædibus datum, Vell. castraque hostium capta sunt. Magna ibi strages fuit, Appian. quod imperator edixerat, ‘ ne quis Samnis vivus caperetur.’ Ad quinquaginta hominum millia utrimque desiderata dicuntur. In his et Albinus interiit. Postridie Te- Strab. v. p. 249. lesinus semianimis repertus est, victoris magis quam morientis vultu. Caput abscissum cum Damasippi, ^b Marcii, Dio ap. Vales. Carrinatisque capitibus, qui capti in fuga fuerant, ad Appian. Lucretium missa sunt, ut obsessis Præneste ostenderentur. Vell.

16. Haec omnia Syllæ præclara, aut saltem excusanda videbantur. Recuperata respublica, parta pulcherrima victoria, patriæ impendens periculum summa vi depulsum, immortalia ad gloriam facinora erant: Damasippum etiam, et alios ejusmodi miseria publica saginatos, Liv. Epit. Sall. Cat. c. 51.

2 Familiarumque legebatur ante Crev.

^a Senes ad custodiam portarum relictis] Valde nobis suspecti sunt illi senes, eo quidem magis, quod hoc loco Appiani textus manifeste vitiatum est, nec aliud quicquam exhibet, nisi οἱ δὲ γέροντες ὄντες. Crev.

Delph. et Var. Clas.

^b Damasippi] Hanc quidem nominat interfectum hoc tempore Dio. Sed ex Appiano colligi potest illum tunc effugisse. Et ad eum referimus ea quæ habet Epitome libri seq. de L. Bruti nece. Crev.

Livius.

jugulari jussos, homines lætabantur. Sed statim hæc decora omnia crudelitate, quanta in nullo alio unquam fuit, fœdata sunt: eaque facta edita et tam a superioribus viri institutis discrepantia, ut vix ab eodem homine profecta viderentur. Modestissimus ante victoriam, simul placere sibi victis Samnitibus cœpit, (nec enim reliquias belli ullo in numero ducebat,) Cinnas et Marios, quorum antea solitus erat incusare sævitiam, longo post se intervallo reliquit: sive recens talem animum indiderat fortuna, sive dissimulatum ad id temporis detexerat.

17. Postero quam pugnatum est die cum Antemnam venisset, tria hominum millia, qui se ab hostium acie abrupserant, veniam petitem misere: et ille annuit, siquidem aliqua prioribus sociis illata clade pœnitentiam partium approbassent. Illi cum aliis conserta manu, amissis occisisque multis, quot supererant (cognita enim causa cœdium, ceteri quoque eadem auspicia secuturos dixerant) ad octo millia Syllæ se dediderunt. Eos, in villam publicam ingredi jussos, quasi inter suos milites descripturus, eodem tempore quo senatum in ædem Bellonæ convocari jusserat, crudelissime trucidavit: multique simul pagani, qui forte eodem venerant, etiam Syllanarum partium homines, perierunt. Corpora in Tiberim projecta sunt.

18. Dum tanta multitudo cœditur, ipse verba in senatu faciebat: patribusque ad horribilem tumultum ac clamorem, tot quem millia indigne moritura edebant, exterritis; eodem quo dicere cœperat vultu vocisque tenore, 'Hoc agite,' inquit, 'patres conscripti. Pauci seditiosi jussu meo puniuntur.' Qua tantæ acerbitatis voce vix quicquam ab ullo homine dictum puto truculentius.

19. Proximis deinde multis diebus passim per urbem cædes factæ, tanta gladiatorum licentia, ut quem quis vellet occideret. Inimicos suos maxime tollebant; deinde quorum aut dignitas invidiam, aut res familiaris prædam luculentam ostentabat. Eadem ista, velut signo ab urbe dato, per omnem Italiam fiebant; et ubique per colonias ac municipia, quos adversatos Syllæ aut satellitum ejus alicui constabat, trucidabantur. Plurimi sanguinis, alii spoliomm cupiditate, cædes perpetrabant: erant et qui

Liv. Epit.
Dio. Vell.
II. 25.

Joann.
Antioch.
ap. Vales.
Dio.
Plut.

Liv. Epit.
Appian.
Dionys.
I. v. fin.
Flor. III. 21.
Strab. Dio.
Oros. v. 21.
Plut. Sen.
de Benef.
v. 16.
Dio. Oros.
Val. Max.
IX. 2. Dio.
Lucan. II.
v. 196.
Plut. Senec.
de Clement.
I. 12.

Oros.
Flor. Plut.
Aug. de
Civ. Dei,
III. 28.
Dio.

periculum sibi metuebant, ni aliorum exitio studium partium significassent.

20. Tandem C. Metellus juvenis ausus est in senatu Plut. interrogare Syllam, ‘ecquem ergo suppliciorum finem statuisset. Non enim,’ inquit, ‘hoc deprecamur, ut quos decrevisti tollere, vivant; sed ne quos conservatos cupis, moriantur.’ Aiunt et Q. Catulum palam dixisse, ‘Cum Oros. quibus tandem victuri sumus, si in bello armatos, in pace Flor. inermes occidimus?’ Tum negante Sylla, ‘constitutum Plut. adhuc sibi esse, quibus velit parcere;’ subjecit Furfidius Oros. Sall. primipilaris, Syllæ turpissimus assentator, qui mox in pe- Hist. 1. in titione magistratuum egregiis hominibus prælatus est: Orat. Lep. Plut. ‘Quin igitur edis, quos tibi punire certum est?’

21. Id se facturum recepit: neque multo post, re neque cum senatu, neque ullo magistratum communicata, pro- Dio. Liv. scriptionis proposuit tabulam, qua nomina octoginta Epit. continebantur: inter quæ consularia quatuor, Carbo, Marius, August. Norbanus, et Scipio; deinde Sertorius et alii quos Sylla Oros. præ ceteris oderat. Omnium ad inauditæ antea sævitæ Plut. tyrannicique imperii exemplum indignatione commota; tantum uno die interposito, ducentos viginti, dein postridie iterum haud pauciores ascripsit. Adjecit pro concione, ‘eos quorum meminisset proscrispisse: de ceteris decreturum, ubi in mentem venisset.’

22. Receptatoribus etiam proscriptorum pœna mortis Appian. est proposita, non excepto, sanguine junctos an externos Plut. servare voluissent. Et, sicut humanitati supplicium, ita Vell. ii. 28. crudelitati et perfidiæ merces dicta est, in singula capita Plut. talenta duo.^c Hæc servo, si dominum occidisset, hæc, si parentem, filio repræsentabantur. Proditoribus etiam latentium præmia constituta sunt. Denique quatuor millia septingenti, quos ea pestis sustulit, jubente Sylla, tanquam Val. Max. ad præclari facinoris servandam memoriam, in tabulas ix. 2. publicas relati sunt. In his senatorum equitumque Ro- Flor. manorum duo millia fuisse traditum.

23. Neque Romæ tantum, sed per universam Italiam Aug. de Civ. Dei. furialis illa tempestas desæviit. Severæ passim quæstio- iii. 28.

^c Talenta duo] Mæræ argenti 187. uncia 4. Crev.

Liv. Epit. Appian. nes habebantur, si quis sub Mario aut Carbone legatisve eorum stipendia civili bello meruisset; si partes ope, consilio juvisset; si omnino studiosus illarum fuisset. Quibusdam etiam crimini datum referunt, quod cum aliquo eorum commune iter inivissent. Ibi omnia divina humanaque violata et polluta sunt. Mariti in gremiis uxorum, in sinu matrum liberi confossi. Sacra hospitalia, caritoniae et religiones Deorum, ipsaque eorum penetralia, nemini securum adversus percussores perfugium dabant.

Plut.

Val. Max.

Plut.

Oros.

Diod. ap.
Val.

Dio.

24. Eratque numerus exiguus per iram aut odium victoris percuntium, praë multitudine eorum qui facultatum causa necabantur: quorum etiam per nomenclatorem conquisita nomina tabulae proscriptionis tyrannus adjecit. Q. Aurelius, vir quieti animi, et conscientia securus, cum tantum aliorum sibi dolendam vicem putaret, lectis proscriptorum nominibus, cum se quoque videret ascriptum; 'Vae misero mihi,' inquit: 'fundus Albanus me persequitur.' Neque longe progressus, a quodam, qui eum agnoverat, percussus est. Idemque sive Lollii, sive eujusdam alterius fatum, sed ex merito fuit.

25. Is singulari pravitate ingenii inter turbam in forum ad legendam tabulam gestiens procurrerat, et quorum proposita nomina cognosset, in eos multa contumeliose dicebat, calamitate miserorum gaudens. Igitur hunc statim divina corripuit ultio. Namque dum legendo carpendoque singulos perguit, suum in ima tabula ascriptum nomen videt. Quare metu obmutescens, cum se capite adoperto subduceret, agnitus, et e vestigio, latantibus qui astiterant omnibus, confossus est.

26. Inde latior in omnes pavor, nec quid aut facerent, aut omitterent, quo tuti forent, satis sciebant. Accederes ad tabulam, pro curioso periclitareris: non accederes, pro indignante: quaereris, quid scriptum esset; pro te aut tuis conscientia sollicitus videreris: astares tacitus; odiis latronum objicerere, tanquam tristi silentio praesentia damnans. Nam et multi, quod vel subriserant ad talia, vel frontem contraxerant, cadebantur: neque aut amici casu ingemiscere, aut adversarii exitio letari impune erat. Praeterea multis perniciosus cognominum error erat, quae

percussores, ubi proscriptos non nossent, aliis affingebant : oriebaturque sæpe imponentium cognomina et rejicientium vehemens contentio. Ne mulieres quidem exemptæ penitus periculo erant, quin etiam illarum nonnullæ gladiis homicidarum objicerentur. Val. Max. 1x. 2.

27. Inter has miserias minus videbantur miserabiles, quos ignaros sortis suæ, aut dum illam discunt, percussor occupabat. Eorum qui, præviso periculo, se absconderant, sollicita et morte tristior vita erat, quia neque profugere, ne deprehenderentur, audebant; neque in tanto omnium metu, cum multi ab amicissimis proderentur, confidere latebris poterant. Dio.

28. Neque securiores erant, quorum nominibus crudelis stylus pepercerat. Nec enim modo proscriptos jugulari, sed etiam jugulatos proscribi obtinuerat. L. Catilina, magnam postea famam sceleribus nactus, cum fratrem nondum proscriptum sustulisset, oravit Syllam, ut tanquam superstitis nomen in tabulam referretur, et impetravit. Oros. Plut. Syll.

29. Ergo ut pro tam pulchro merito dignam referret gratiam, excarnificando M. Mario prætorio, fratre consulis, operam præbuit: cujus cruciatibus nihil vidit illa ætas crudelius. Hunc enim de caprili casa extractum, prius occidi Sylla vetuit, quam exquisitissimis tormentis, ad Lutatorum sepulcrum, ubi conditus Q. Catulus pater erat, laceraretur; quia L. Cæsar ad Varii bustum occisus a Marianis fuerat. Raptus ergo per ora vulgi Marius trans Tiberim, et virgis inter eundem cæsus, oculis erutis, perfractis eruribus, amputatis manibus, exsecta lingua, membris omnibus contusis, infelicem spiritum per summos cruciatu reddidit. Ad hoc tam immane spectaculum cum forte astans M. Plætorius senator, linquente animo, concidisset, illico mactatus est. Ibidem etiam Venuleius triumvir periit. Caput sua manu desectum, Catilina per Urbem eadem manu retulit ad Syllam.^d Erat enim spectaculis ejusmodi nihil Syllæ suavius: et omnium Sen. de Ira 111. 18. Flor. Oros. Val. Max. Q. Cic. de Pet. Cons. 3. Liv. Epit. Sall. apud Jul. Rufin. et Incert. 29. Lucan. 11. 173. Pedian. in Tog. Cand. Val. Max. Oros. Plut. Dio.

^d *Caput sua manu desectum Catilina . . . retulit ad Syllam*] Addit Plutarchus, unde non minus in Deos impius Catilina, quam in homines crudelis appareat, cum tunc manus abluisse Iustrali aqua, quæ in propinqua Apollinis æde servabatur. *Crev.*

qui ubique erant occisi capita ad illum relata, pro rostris proponerentur; eademque omnia pericula creabant intuentibus, quæ de proscriptionis tabula memorata sunt.

- Q. Cic. de 30. Sed Catilinam, tam gnavam suæ crudelitatis³ et
Pet. Cons. 2. industrium satellitem, Gallis quorum potissimum ministerio in occidendis hominibus utebatur, præfecit. A quibus
Pedian. M. Voluminius, L. Tantasius, aliique illustres equites Romani sunt trucidati: inter quos Q. Cæcilius sororis suæ
Q. Cic. virum, qui ætate et ingenio quietus neutrarum partium fuerat, Catilina suis manibus occidit.
- Oros. 31. Interim M. Marii caput Præneste missum Caium
Frontin. consulem ad ultimam desperationem adegit. Nam qui
Strat. 11. 9. cum eo obsidebantur, postquam aliorum ducum audivissent interitum, aliorum ipsi vidissent præfixa hastis capita; perisse Carbonis copias, fugisse Norbanum, Urbem in potestate Syllæ esse cognoscent, oppidum Lucretio dederunt. Marius per cuniculum, quales Præneste fuisse aliquot antiquitus ex Strabone discimus, conatus evadere, postquam septem hostili exercitu exitum intellexit, cum minore Telesino, ejus qui ad portam Collinam occubuit fratre, belli fugæque socio, strictis pugionibus concurrat; eoque interfecto, ipse leviter vulneratus, servo suo cervicem præbuit. Sunt qui sua manu, sunt qui a Syllanis militibus, in id ipsum dispositis, interemptum putent. Caput ad Syllam relatum, et ab eo pro rostris positum est, cum cavillo in ætatem consulis, quem 'antea remum, quam gubernaculum tractare debuisse' dicebat.
- Plut. Mar. 32. Neque tamen ille indignus tanto nomine credebat
c. 80. tur; animoque parenti non dissimilis, fortunam iniquiorem habuisse. Neque dubitari posse, quid de eo Sylla
Vell. judicaverit; qui tum demum postquam sublatus ille fuerat, cognomentum Felicis homo omnium miserimus assumpsit: statuamque equestrem auratam cum hoc cognomine poni sibi pro rostris passus est; et cum Metella geminos eodem partu edidisset, puerum Faustum, puellam Faustam appellari voluit.
- Val. Max. 19. 2. Plin. VII. 43. Appian. Plut. Syll. c. 67.

3 In ed. Cler. est *severitatis*; in aliis ante Crev. *veritatis*.

33. Lucretius, Præneste recepto, senatores Romanos Appian. quos ibi repererat, partim interfecit, alios coniecit in vin- Oros. cula, donec Sylla advenisset. Ille non diu contatus, et illos, et quotquot legati, quæstores, præfecti, tribunice partium illarum fuerant, occidit. Ceteros, spe salutis per P. Cethegum data, in campos progredi jussit. Progres- Val. Max. IX. 2. Appian. sis exemit admodum paucos, quorum aliquando usus opera fuerat. Reliquam multitudinem tribus agminibus discerni imperavit; ut seorsim Romani, seorsim Samnites, atque Prænestini consisterent. Tum denunciavit per præconem Romanis, ‘et ipsos mortem esse commeritos, ceterum suo beneficio fore salvos.’ Samnites et alias ubique omnes interficere solitus, quod compertum habere dictitabat, ‘neminem Romanum, incolumi Samnio, tutum aut Strabo v. p. 249. quietum fore,’ non dubitavit ad unum omnes cædere.

34. Prænestinorum primo singulos, causa cognita, duci Plut. imperaverat: deinde cognitioni se vacare posse negans, universos, quanquam plerique insontes erant, armato mi- Appian. Lucan. II. 193. lite cinctos, sagittis jaculisque configi, aut concidi gladiis præcepit. Ad duodecim hominum millia sic interierunt: Liv. Epit. Val. Max. Plut. Val. Max. illi jus hospitii fuerat, incolumitate concessa. Quam ille Plut. Syll. et Præcept. Reip. Ger. c. 51. fortiter aspernatus, ‘neque se salutem patriæ suæ publico carnifici debiturum’ dicens, immiscuit se civibus suis, et inter eos occisus est. Mulieribus tantum et impuberi Appian. ætati pepercit Sylla, crudeli misericordia, cum quibus concesserat vitam, vitæ usus ademisset. Nam oppidum longe Strabo v. p. 239. ditissimum ea tempestate diripuit: agrum publicavit.

35. Jam enim desitis fere singulorum hominum pœnis, Flor. municipia coloniasque et civitates integras mulctabat, Dionys. I. v. fin. Appian. Flor. aliarum arcibus mœnibusve dirutis, aliis gravi exactione oppressis: quædam etiam sub hasta venierunt, Florentia, Spoletium, Interamna, et, de quo multa jam diximus, Præneste. Sulmo quoque, Latii vetus et clarum oppidum, priusquam expugnatum esset, damnatum diruique Plin. III. 5. Flor. jussum, cum aliis ejusdem regionis oppidis, ab illis temporibus esse desiit.

36. Hæc omnia Romani sociique, nec immerito, patie-

Plut. Cat.
Min. 2. 5.
et Val. Max.
III. 1.

bantur, pristinæ virtutis simplicitatisque desertores; quos, etiamsi indigna paterentur, meritos diceres vel ideo quia pati potuerunt. Neque enim usquam ea tempestate generosus ille populi Romani spiritus, et rebus omnibus antiquior libertatis amor, præterquam in puerili Catonis animo resedit. Is annum agens quartum decimum, a pædagogico frequenter salutandi Syllæ causa domum ejus deducebatur: quem ille honorem admissionis exhibere paucis consueverat. Ibi cum subinde recens resecta capita videret, quæ viris illustribus demta dicebantur, magistrum interrogavit Cato, 'Quid ita nemo talem tyrannum occideret?' atque illo respondente, 'Metus enim odio potentior affectus est;' sibi pugionem dari postulavit. Exterritus inde Sarpedo (id nomen erat præceptori) nunquam postea nisi excussum ausus est ad Syllam ducere. Tanta constantia puero tantumque animi robor inerat, ut solus et securus tyrannidem ferre nequiret, quam tot insignes viri, gentes denique ac nationes, et caput scilicet orbis terrarum Roma, pecudum ritu taciti inultique patiebantur.

SUPPLEMENTUM

LIBRI LXXXIX.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

1. **I**NTER hæc circum Italiae regiones missi post victo- Appian.
riam ab Sylla duces, obibant municipia, suspectis præsi-
dia imponebant: alia quæ postulabat usus, aut parendi
necessitas, exequabantur. Sed Cn. Pompeio, quem di-
missa Antistia, privignam suam Æmiliam, M. Scauro Plut. Syll.
genitam, viro suo M. Glabrioni ademptam, ducere compu- c. 66. et
lerat, negotium Carbonis persequendi imposuit; eadem Pomp.c.14.
opera Siciliam purgaturo, in quam Carbonis amici qui- Zonar.
dam, et præcipuus Perperna, qui prius in Liguria bellum Appian.
cum Syllanis gesserat, vir prætorius, confugerant, cum Oros.v. 24.
Carbo et Cn. Domitius in Africam navigassent. Adventu Vell. II. 30.
Pompeii Perperna statim Sicilia cessit, civitatesque aucto- Plut. Pomp.
ritate adolescentis, et partim consilio receptæ sunt. In- Frontin.
ter quas Catana, cum suspecta Pompeio esset, et præsi- Strat. II. 11.
dium recusatura videretur, a fortissimis omnium militibus
occupata est, quos Pompeius, impetrato ut ægri sui reci-
perentur, sub co habitu in oppidum miserat.

2. Dum hæc geruntur, ex Africa cum multis nobilibus Appian.
viris redierat Carbo, et in Cossura insula rumores de re- Oros.v. 21.
bus Italicis captabat, in Ægyptum fugam meditans, et Liv. Epit.
interim L. Bruto in nave piscatoria Lilybæum misso, ut

1 M. Bruto legebatur olim hoc loco, ut in Epitom. hujus libri.

exploraret, an in Sicilia Pompeius esset. Sed ille circumventus a Pompeianis, cum se capi animadverteret, in se mucrone verso, ad transtrum navis, obnixus corporis pondere, occubuit.

Appian. 3. Pompeius cognito Cossuræ Carbonem esse, ad com-
Plut.Pomp.prehendendum eum misit. Cum ita retractus in Siciliam
esset, ceteros qui judicati hostes erant, non admissos in con-
spectum Pompeius duci jussit: in Carbone visus est se
Flor.III.21. gessisse insolentius, cum ad pedes suos sisti vinctum jube-
ret ter consulem; et ipse pro tribunali acerbe in eum
Val. Max. v. 3. 5. et VI. 2. 8. invectus (multum indignante corona, quæ hunc acerri-
mum pueritiæ Pompeii, ne paternis bonis spoliaretur, de-
fensorem fuisse meminerat) post tam grave ludibrium ab-
duci ad supplicium imperaret.

4. Hic exitus Carbonis fuit, qui tot in urbe et per Ita-
liam fœda cruentaque facinora fecerat; non merita magis
quam formidata morte deformis. Ubi enim stringi gla-
dium vidit, simulans sibi alvum purgari, locum et spa-
tium demissa et flebili voce muliebriter petiit, miserrimæ-
que vitæ brevem usuram rapuit, donec caput in sordido
loco sedentis impatiens moræ miles demeteret. Id Pom-
peius misit Romam, ut oculos Syllæ hoc spectaculo pas-
ceret. Per eosdem dies Q. Valerii Sorani fata reprehensionem Pompeii, et indignationem hominum habuerunt. Quem adductum, quia peritissimum humanitatis et prisca-
rum literarum noverat, comiter una deambulans de mul-
tis rebus interrogavit: mox ubi quæ voluerat, etiam arca-
num Romæ nomen accepit, abripi e conspectu virum
trucidarique jussit. Ceterum hoc postremum de Pompeio
Q. Oppius tradidit, C. Cæsaris amicus, ut aliquid odio
dedisse videatur.

5. Nam Pompeius, uti præcipuos inimicorum Syllæ,
et palam oblatos castigare necessum habuit; ita nec cu-
pide requisivit latentes, et quibusdam effugiendi fecit po-
testatem. Deinde quia bellum jam nullum in Sicilia
supererat, versus ad res insulæ componendas, jusque di-
cendum, valde recreavit provinciam, solers idem et incor-
ruptus publicorum privatorumque negotiorum cognitor.
Quæ res eo gratior Siculis fuit, quod multis jam annis

Diod. ap.
Val.
Zonar.
Diod.

jus dictum in ea insula non meminerant. Mamertinis Plut. tamen tribunal ejus præscriptione juris vetusti declinantibus, paulo acerbior se exhibuit, gravi etiam voce edita; ‘Quousque leges accincto recitabitis?’

6. Longe moderatior fuit in Thermitanorum causa, qui Himeram colebant. Hos ob studium adversarum partium cum punire decrevisset, Sthenius civitatis princeps, ‘iniique facturum’ exclamavit, ‘si ob culpam unius condemnaret omnes.’ Et quærente Pompeio, ‘ecquem igitur unum illum esse diceret?’ ‘Se ipsum esse’ respondit, ‘qui propter C. Marii familiaritatem et hospitium, cives suos, amicis persuadendo, cogendo inimicos, ad eandem causam adduxisset.’ Delectatus animi generosi adolescens tam forti et pia confessione, primo illum, deinde civitatem absolvit: et in eo ipso iudicio dignissimum statuit, quocum hospitii contraheret necessitudinem. Cum deinde militaris insolentia multas passim injurias Siculis inferre diceretur, exegitavit ut, quoties aliquo mittendi milites essent, gladii, ne possent educi, obsignarentur; animadvertereturque in eos quorum a gladiis revulsa cera esset.

Cic. in Verr. II. 16. Plut. Pomp. et in Præcept. Reip. Ger. c. 50.

Cic. Plut. Pomp. Zonar.

7. Hoc rerum ubique statu, cum pacata omnia præter Appian. Hispaniam viderentur, ubi Q. Sertorius bellum conflabat, Pio Metello illa expeditione commissa,^a ad rempublicam ordinandam Sylla se transtulit, potestate plane tyrannica, Oros. v. 21. sed honestius aliquod nomen circumspiciens. Igitur licet Appian. aeta ejus omnia senatus populusque Romanus rata habuisset, habiturusque etiam agenda videretur; paulisper ex urbe secedens, monuit senatum, ‘ut, quoniam sine consulis esset respublica, comitiis habendis interrex proderetur.’ Proditus est L. Valerius Flaccus senatus princeps.

8. Ad hunc scripsit Sylla, ‘referret ad populum, videri sibi dictatorem creandum esse, nec ad certum tempus, sed donec constituta respublica foret.’ Et in infima epistola subjecit, ‘si populus Romanus sibi id onus imponere

^a *Pio Metello illa expeditione commissa*] Hand verisimile videtur hoc tempore Metellum in Hispaniam missum esse, qui an-

no post consulatum cum Sylla gessit. Itaque credimus Appianum ordinem temporum anticipasse. *Crev.*

velit, se populi Romani causa non recusaturum.' Libertas comitiorum sperari nulla poterat. Igitur, quod proximum erat, libertatis umbram amplexi, Syllam dictatorem

Vell. II. 21. perpetuum creant: cum jam propter potestatis ejus magnitudinem per annos centum viginti dictator nemo factus

Plut. Syll.

Cic. cont.

Rull. III. 2. esset. Lex etiam ab interrege lata est, qua ' rerum omnium plena et libera potestas Syllæ ' dabatur, ' ut deducere colonias; urbes condere, aut evertere; regna eripere,

Plut.

Cic. de

Leg. I. 15.

FastiCapit.

aut dare; etiam, quem vellet civium, indicta causa impune posset occidere.' Dictator accepto imperio L. Valerium L. F. L. N. Flaccum, quo rogante, lex lata fuerat, magistrum equitum dixit.

Liv. Epit.

Appian.

Plut. Fab.

c. 5.

Polyb. III.

87.

9. Formidabilis inde et nova species procedentis in publicum fuit, cum, ut solitum dictatoribus, quatuor et viginti fasces præcederent; quod nemo præsentium unquam viderat. Mox consulta et acta longe terribiliora prodibant, cum leges alias antiquaret, alias novas ferret.^b

Pigh. Ann.

' Ne quis præturam ante quæsturam peteret; neve consulum ante præturam: qui ædilis fuisset continuo prætorem fieri, et ex prætura consulem, licere. Prætores octo quotannis creari.'

10. Consulem eundem iterum, nisi decennio interposito, creari, superiores quoque leges veterant. Id sequentibus temporibus abolitum, Sylla dictator ex antiquo retulit. Itemque ' de majestate: ne cui eorum qui cum imperio essent, exire de provincia sua, exercitum educere, bellum injussu populi gerere, aut in regnum externum ingredi liceret.' Eadem lege quæstiones haberi de quolibet, nullo discrimine fortunæ, jubebat. Nominantur et ' de Falso ' hodieque leges Cornelie, et ' de Sicariis Veneficisque,' item ' de Injuriis.' Quæ omnes cum pluribus aliis, quas memorare nihil attinet, in dictatura latæ sunt.

Ammian.

Marcell.

XIX. 18.

Pigh.

Sall. Hist.

I. in Orat.

M. Lepidi.

Liv. Epit.

Cic. de

Leg. III. 9.

11. Sed ante omnia tribunorum plebis potestatem ita minuit, ut tantum non abolevisse videretur. Nam et omne jus legum ferendarum ademit, tantum auxilii ferendi qua-

^b Cum leges alias antiquaret, alias novas ferret] De legibus his Cornelis solum Pighium testem in margine allegat Freinsheim-

us, quia apud eum et res fusius explicata, et auctorum testimonia reperuntur. Crev.

dam imagine relicta: et ne quis nisi senator tribunus fieret, et ne quis tribunitius alium magistratum peteret, tulit. Quorum altero provisum erat, ne plebis quam patrum majorem rationem tribuni ducerent: altero, ne quis insigni genere aut favore populi, aut qui rerum magnarum esset appetens, tribunatum affectaret. Pontificum augurumque collegium ampliavit, ut essent quindecim. Senatium per seditionum bellorumque clades infrequentem tributis comitiis ex equestri ordine supplevit: allectis circiter trecentis. Quæstores etiam quotannis viginti creari jussit ad supplementum senatus, cui judicia tradiderat.

12. Proscriptorum liberis jus petendorum honorum eripuit: ut, quod indignissimum profecto erat, senatorum filii et onera ordinis sustinerent, et jura perderent: præsertim cum etiam bona eorum venderet, aut dilargiretur. Quod quidem in tanta calamitate multo acerbissimum videbatur: cum ipse in tribunali sedens, mulieribus formæ quam famæ melioris, histrionibusque et scurris, quibus impense delectabatur, et libertinorum pessimis, agros populis suffecturos et vectigalia civitatum concederet. Chrysogonum certe bona Sex. Roscii, quæ erant sexagies, e duobus millibus nummum emisse, Ciceronis oratio testatur, quam proximis deinde consulibus sex et viginti annorum adolescens habuit. A. D. Kalendas Junias hæc auctio cæpit.^d Cum plurima ex his antea rapuisset Sylla, ceterorum pleaque donasset, aut vilissimo pretio addixisset, redactum est ter millies quingenties.

13. His ita pro arbitrio decretis factisque, ut tamen aliqua pristinae reipublicæ species esset, consules creare populo permisit. Inter candidatos Q. Lucretius Ofella erat, qui Præneste ceperat, meritis suis et Syllæ gratia confisus. At hunc, quia contra legem recens latam petebat, nondum inferiores magistratus adeptus,^e primo mo-

^c Sexagies] Marcarum argenti nostratum 23,437. unciarum 4. Duobus millibus nummum. Septem marcis, uncis 6. semuncia 1. Crev.

^d A. D. Kalendas Junias hæc auctio cæpit] Immo finita est. Hic non assecutus est Freinshe-

mius mentem Ciceronis, qui ait ad eam usque diem proscriptiones venditionesque factas, non ex ea captas esse. Crev.

^e Nondum inferiores magistratus adeptus] Ita quidem Appianus. Sed Velleius enim præturam gessisse scribit, l.ii. c. 27. ut

Appian.
Ascon. in
Div. et
i. Act. in
Verr.

Appian.
Liv. Epit.

Appian.
Tac. xi.
Ann. 22.
Ascon. in
Div.

Sall. Cat.
c. 37. et
Hist. 1. in
Orat. M.
Lep. Plut.
Syll. c. 63.
et Cic. c. 15.
Vell. ii. 28.
Dionys.
viii. 92.
Plut. Syll.
Nic. Damasc. ap.
Athen. vi.
17.

Cic. pro
Sext. Rosc.
c. 8.
Gell. xv. 28.
Cic. pro
S. Rosc. c.
44.
Liv. Epit.

Appian.

Liv. Epit. Plut. Ascon. in Tog. Candid. Plut. nuit Sylla, desisteret : deinde, postquam spreta dictatoris voluntate, magno faventium agmine comitatus in forum venit, a L. Bellieno in medio foro est interfectus.

Appian. 14. Indigne rem ferente populo, comprehensus percussor ad Syllæ tribunal adducitur, qui sedens pro Castoris ex edito loco cædem spectaverat. Ille vocata ad concionem multitudine, 'Ne nesciatis,' inquit, 'Quirites, ego jussi : dimittite hominem dictatoris imperio obsecutum.' Addidit deinde atrocissimæ interpretationis fabulam : 'Rusticum a pediculis morsum, cum semel iterumque interulam purgasset, tandem, ne sæpius intermittere opus cogeretur, exutam cum ipsis vermiculis injecisse in ignem. Et ego,' inquit, 'monitos volo victos, ne tertium insanientes opus incendio habeant.' Ita depulso quem certissimum consulem fore omnes crediderant, M. Tullius M. F. A. N. Decula, Cn. Cornelius Dolabella creati, nomen verius, quam dignitatem consulatus acceperunt.* Nam eos dictator, viginti quatuor lictoribus, et magna satellitum turba stipatus, potestate plane regia præminebat.

Plut. Val. Max. 11. S. Plut. Fasti Capit. Plin. xxxiii. 1. 15. Initio ejus anni L. Cornelius Sylla dictator de Mithridate rege triumphum duxit. In quo illud laudabiliter ab eo factum, quod neque triumphare de civibus voluit, quanquam ingentibus eorum copiis prostratis ; et, cum Asiæ Græciæque multas urbes transveheret, nullum civium Romanorum oppidum in ea pompa spectari passus est. Ceterum magnificus apparatu ferculisque triumphus fuit, cum inter opulentissimi regis spolia res pretiosæ visuque raræ longo ordine portarentur. Sed nullo majore ornamento illustrata pompa est, quam quod tantus nobilissimorum virorum numerus, quos a Mariana factione pulsos reducerat, in equis currum ejus sequebantur, 'servatorem et patrem' appellantes : cui acceptum referebant, 'quod aspectu patriæ, quod complexu carissimorum pignorum, quod denique communi illa luce fruerentur.' Biduo triumphavit, A. D. IV. et III. Kalendas Februarias. Prima die transtulit auri pondo quindecim millia,^f et argenti

jam observavimus ad LXXXVII.

7. Crev.

* A. U. C. 671. A. C. 81.

[Auri pondo quindecim millia]
Marcas 23437. uncias 4. Argenti
pondo centum et quindecim millia.

pondo centum et quindecim millia: postridie tredecim millia pondo auri, quæ junior Marius ex Capitolinæ aedis incendio, ceterisque delubris omnibus Præneste detulerat, quæ et sub eo titulo translata sunt, et argenti septem millia pondo. Exacto triumpho, de rebus suis pro concione disseruit, non minus diligenter enarrans, quæ feliciter, Plut. quam quæ fortiter fecisset: 'eaque de causa æquum videri' dixit, 'ut, quod cognomentum recens asciverat, ab omnibus Felix vocaretur.' Sed ad Græcos scribens Epaphroditum se appellabat: positæque sunt illi cum hac inscriptione statuae.

Auct. de
Vir. Ill. in
Syll.
Appian.
Plut.

16. Eodem anno et L. Murena de Mithridate rege triumphavit, de cujus rebus gestis pauca, neque magnopere laudanda, solus, quod sciam, Appianus refert: quæ suis temporibus reddidimus. Post ista, missu Syllæ, A. Gabinius ad Murenam venit, denuntiatus, 'non placere senatui bellum eum cum rege socio et amico gerere.' Eidem Gabinio mandatum, 'ut Mithridatem Ariobarzanemque reges reconciliaret.' Mithridates filium quadrimulum amicitiae et pacis obsidem Ariobarzani cum dedisset; sub ejus pignoris fiducia non modo quæ habebat per Cappadociam præsidia retinuit, sed insuper aliorum locorum concessione auctus est. Epulum deinde celebratæ luxuriæ omnibus dedit. Nam et præmia proposuit, certum auri pondus, ei qui plurimum bibisset edissetve, quive dicacissimus fuisset judicatus, aut cantus aliorumve ludicrorum peritia ceteros excellisset. Eorum præmiorum omnium solum expertem fuisse Gabinium scribunt.

Fasti Capit.
Cic. pro
Leg. Manil.
c. 3. et pro
Mur.
Appian.
Mithrid.

17. Hæc omnia nihil habent triumpho dignum. Cum tamen honorem illum Sylla haud temere nisi merito tribuisse videatur; et 'Murenam fortissimum virum, summumque imperatorem' audiente populo Romano M. Tullius prædicaverit, non dubito, multa eum præclara in Cappadocia Pontoque gessisse, donec a L. Sylla revocatus, tradita M. Minucio provincia, Romam ad triumphum decederet. Sane quæ supersunt Pontici Memnonis reliquæ,

Cic. pro
Leg. Manil.
Cic. Acad.
iv. 1.
Suct. Cæs.
c. 2.
Memn. ap.
Phot.

Marcas 179,562. uncias 4. *Tredecim millia pondo auri.* Marcas 10937. uncias 4 *Crev.*
20312. uncias 4. *Argenti septem*

confirmato illum Ariobarzanis regno, urbem adversus irruptionem Mithridatis condidisse, tradunt: deinde, multis suadentibus, Sinopen versus movisse, capite regni occupato, ceteram in promptu victoriam fore ratum. Sed Mithridatem firmo imposito praesidio, ipsum cum exercitu occurrisset Murenæ: principia prosperiora regi fuisse; deinde æquo Marte gestum bellum, detrito utrarumque partium ardore, consenuisse. Mithridatem ad Phasin fluvium, Murenam in Asiam revertisse.

18. Dum inter has triumphorum pompas, toties capta suorum armis Roma gentibus externis exprobrat victoriam, in Africa ductu imperioque Cn. Pompeii præclarissime gesta respublica est; quo ille, Syllæ literis et senatusconsulto acceptis, ex Sicilia transmiserat. Cnæus enim Domitius Ahenobarbus proscriptus (erat enim Cinnæ gener) magna ibi manu coacta, priusquam magis confirmaretur, debellandus erat, ne pacem Italiæ turbaret, quod ex eadem regione C. Marius non ita pridem longe minoribus copiis instructus fecerat. Pompeius, relicto qui Siciliae præesset Memmio, sororis suæ viro, cum navibus longis centum viginti trajecit copias, sequentibus onerariis octingentis, quibus commeatus, arma, pecuniæque, et machinæ portabantur. Parte classis Uticæ portum tenente, parte Carthaginem appulsa, simul adesse Pompeium percrebuit, septem ad eum millia ab hostibus desciverunt. Ipse sub signis sex legiones plenas habebat.

Liv. Epit.

Plut.

Pomp.c.17.

Oros. v. 24.

Plut.

19. Sed inutilis ei per aliquot dies exercitus a ridicula causa fuit. Forte militum quidam defossam olim in agro pecuniam repererant. Ea fama per tota castra pervagante, omnem eam regionem plenam esse thesauris, eum Punica res floreret absconditis, dictum simul vulgo creditumque est. Inde nihil videres aliud nisi sparsa per campos agmina effodientium eruentiumque humum: neque abduci ab hac insania ulla vi aut arte poterant. Complures ita dies absumpti, circumeunte Pompeio, nec tenente risum, quod tot millia hominum invertendis agris, tanquam rei seriæ incumbere, cernebat. Tandem inani labore defatigati, dixerunt Pompeio, 'uti se quo vellet duceret: satis magnas se stultitiæ suæ poenas dedisse.'

20. Circa Uticam uterque exercitus in acie astitit, valle tantum interposita aspera et ad transeundum difficili. Ob eam rem, et quia ventus imbrem ferens a primo mane ortus ne provento quidem die cessabat, Domitius tum temporis minime pugnatum iri ratus, signum receptui dedit. Hanc suam occasionem Pompeius prudenti consilio ratus, continuo transduxit suos, hostibusque incompositis et disjectis incubuit. At illi vento quoque turbabantur, qui, compulsa in ora oculosque pluvia, conspectum auditumque adimebat. Nec expers hujus incommodi Pompeianus exercitus erat: adeoque dux ipse parum abfuit, quin occideretur a milite, cui tesseram poscenti tardius reddiderat. Victi tamen magna pugna Domitiani sunt, ut de viginti millibus hominum tria tantum superessent. Pompeius cum ob hanc victoriam imperator ab exercitu appellaretur, negavit 'hoc se nomen agnoscere, donec hostium castra starent.' Ad hunc quoque laborem promptis militum manibus usus est: et, ne iterum in simile periculum incideret, deposita galea nudo capite pugnavit. Castra capta sunt: Domitius, dum inter primos repugnat, occubuit. Civitates quæ secutæ Carbonianas partes fuerant, sponte ad obsequium victoris occurrerunt: nonnullæ vi receptæ sunt.

Oros. v. 21.

Plut.

Liv. Epit.
Oros. Plut.Val. Max.
vi. 2.
Plut.

21. Ut deinde Hiempsalem in Numidiæ regnum restitueret, Hiertam^s bello persecutus, quia Domitio auxilium tulerat, in fugam præcipitem egit: deinde immisso Bogude Bocchi Maurorum regis filio, copiis omnibus spoliavit: postremo Bullæ obsessum, dedito sibi oppido, interfecit. Ita regnum Numidiæ ab Hierta ad Hiempsalem Pompeii beneficio rediit: quam universam finitimasque aliquot regiones cum victore exercitu mira celeritate peragravit, quadraginta non amplius diebus Africa recepta, regnorumque statu composito, annorum admodum quatuor et viginti adolescens.

Sall. Hist.

i. 4.

Eutrop. v.

Auct. de

Vir. Ill. in

Pomp.

Oros.

Hirt. de

B. Afric.

c. 22.

Plut.

Liv. Epit.

22. Postquam e Numidia reversus Uticam est, redditæ sunt ei dictatoris literæ dimittere jubentis exercitum, et cum una legione expectare successorem. Id cum ip-

Plut.

^s Hiertam] Sive Hiabam. Alibi enim aliter scriptum hoc nomen reperitur. Crev.

Sall. In-
cert. 10.
Plut.

sum occulte morderet, exercitus palam indignantissime tulit: et petente Pompeio ut proficiscerentur, multis in dictatorem conviciis, 'tyrannum et Cinnam' appellantes, negarunt 'se passuros ut sine legionibus se credat homini crudeli et perfido.' Adversus hæc Pompeius orando monendoque mitigare iratos conabatur: sed illis in sententia persistentibus, in tabernaculum, relicto tribunali, lacrymabundus se recepit. Tum illi reprehensum iterum collocarunt in suggestu: magnaque diei pars hac contentione exempta est, donec, instantibus illis et clamorem tollentibus, juravit sibi manus allaturum esse, ni quiescant. Ægre desiterunt.

Appian.
Civ. 1.
Porph. ap.
Euseb. Gr.
p. 225.
Appian.

23. Inter hæc Ægyptii legati venerunt Romam, Cleopatrarum, quæ post mortem viri Alexandri ac patris Lathuri, duorum Ptolemæorum, regnum obtinebat, maritum ex regia stirpe petitori. Nam Alexandri filius ex alia uxore, cognominis patri, cum a Cois apud quos educabatur Mithridati deditus, ab hoc ad Syllam profugisset, inter familiares ejus Romæ agebat. Idcirco Sylla tum alias honestum sibi fore ratus, Ægypto regem imposuisse, tum ex opulentissimo regno prædam forte sperans, Alexandrum ad Cleopatram mittit.

Porphyr.

24. Sed illi nuptiis novercæ potito haud satis fuit consortem regni factum esse, quin, Syllæ fiducia, quidlibet pro sua unius libidine faceret: eo progressus vesaniæ, ut undevicesimo imperii die, Cleopatram audaciæ suæ succensentem de medio tolleret. Sed mors mulieris ipsius quoque vitæ properum attulit finem:^b Alexandrinique, correptis armis, e regia protractum in Gymnasio interemerunt. Regnum ad Ptolemæum cognomento 'juvenem

Appian.

Bacchum,' qui Ptolemæo editus, mox cognomen Auletæ ex tiliarum studio nactus est, tanquam proximum Cleopatrarum sororis hæredem, pervenit.

Porphyr.

Prolog.
Trog. 39.
Strab. xvii.
p. 796.

^b Sed mors mulieris ipsius quoque vitæ properum attulit finem] Alexandrum hunc quindecim annis in Ægypto regnasse Usserius contendit, magnis testibus nixus, Cicerone et Suetonio. Vid. ejus annales ad annum mun-

di 3924. p. 382. et ad ann. M. 3939. p. 417. Idem sentit quoque doctissimus Pridellus in sua Judæorum Historia, xiv. Vid. tamen notam ad illum Pridelli locum appositam in editione Amstelodamensi anni 1728. ubi

25. Anno sequente, L. Sylla, quanquam dictaturam Appian. gereret, iterum creari consul voluit, assumpto in societatem honoris Q. Cæcilio Q. F. L. N. Metello Pio.* Quod deinde Cæsaribus exemplum placuit, ut cum summa et regia potestate consulatus titulum conjungere, pulchrum et civile arbitrarentur. Hic annus jucundum, nec ante Plin. vii. 26. visum Urbi spectaculum attulit, cum eques Romanus, id Liv. Epit. que nondum expleto quinto et vicesimo ætatis anno, triumpharet. Pompeius is fuit, non minoris paulo ante Plut. terroris hominibus, quam nunc lætitiæ causa, quia dedignantem jussa Syllæ cum infesto exercitu venturum in Italiam putaverant. Unde Syllam quoque dixisse rumor erat, ‘ fatale sibi esse cum pueris in senectute colluctari,’ quod et C. Marius adolescens negotium ei exhibuerat. Igitur quemadmodum præsentibus uteretur incertus, et ferebat de reditu ejus legem, et ex composito per C. He- Sall. Hist. rennium tribunum plebis se sinebat prohiberi. Nam alio ii. 1. ferme omni jure tribunis erepto, intercessionem liberam Cæs. Civ. i. 7. reliquerat.

26. Ceterum fama Pompeii Romam pacato agmine Plut. contententis metu ac sollicitudine civitatem absolvit. Incredibilis hominum multitudo, cum summa propensissima voluntatis demonstratione, obviam fuere. Sylla quoque quasi cum studiis civium certaturus occurrit ei, pronoque favore acceptum, elata voce Magnum consalutavit, astantesque monuit, ut hoc eum deinceps nomine compellerent.

27. Triumphum tamen petenti restitit: nec quasi invideret. ‘ Nec enim ignoras,’ inquit, ‘ Cn. Pompei, quanti te faciam, quantisque dignum honoribus judicem. Quid enim est, quod non virtus illa tua, rei que publicæ et mihi præstita fidelissima atque fortissima opera mereatur? Et ego, si verum amas, non parcior in honoranda virtute tua fui, quam tu in explicanda extitisti. Sed neque in posterum quicquam tibi negaturus sum, quod fieri possit, et instituta civitatis nostræ patiantur.

gravissimis Græcorum scriptorum auctoritatibus sententia Usherii et Pridelli refellitur. Cæc. * A. U. C. 672. A. C. 80.

Verum enimvero ita comparatum esse nosti, ut more majorum hic honor concedatur nemini, nisi qui consulari aut prætorio imperio præditus res gesserit. Ita P. Cornelius aliquanto amplioribus in Hispania gestis rebus, ita M. Claudius captis Syracusis,ⁱ triumpho caruerunt. Non debes indignanter pati, si Scipionibus et Marcellis æque-ris adolescens nondum ætate senatoria. Plus est meruisse triumphum, quam duxisse: et si quid in hac pompa felicitatis inesse arbitraris, non adempta tibi, sed ad maturos honores, quorum certiora pignora nemo unquam habuit, seposita est. Quid te delectat occupare cum invidia, quod paulo post ultro venturum est cum gloria?

Val. Max.
11. 8. 5.

Plut.

28. ‘Quantum, si te tantummodo sermonibus hominum objectares, fortassis ego paterer; et tibi eadem ætas, quæ ad commovenda judicia facit animum, etiam ad ferenda daret. Sed quia mihi nemo ignoscet, cujus ab annis et potestate publici decoris scientia simul atque custodia postulatur, ut vel mea causa desistas, peto. Quod si tu mei rationem habere renuis, et rem utrique invidiosam poscere perseverans, salva amicitia nostra hoc facere posse existimas, mihi quoque tantundem juris assumam; et, quod ambitione ac cupiditate inductus captas, auctoritate et jure prohibebo.’

Zonar.
Plut.

29. Vera erant quæ allegabantur. Sed intelligebat adolescens frustra hæc ab eo afferri, qui jura civitatis omnia prior conculcasset. Ideo, ne Lucretii quidem casu perterritus, institit tanta fiducia, ut etiam ‘plures adorare solem orientem quam occidentem’ diceret. Eam vocem cum non satis Sylla percepisset, ex vultu autem gestuque mirantium aliquid inusitati esse conjiceret; ‘quid enim dixisset Pompeius?’ interrogavit: acceptoque, confidentia adolescentis percussus, voce velociter repetita, ‘triumphet! triumphet!’ exclamavit. Erat plane res livori multorum obnoxia. Sed Pompeius ut malignitatem eorum ulcisceretur, augetetque dolorem, quadrigis elephantorum invchi constituit: multas enim belluas victo Numidiæ

Plin. v. 11. 2.
Plut.

ⁱ Ita M. Claudius captis Syracusis] Hoc exemplum ad rem præsentem non pertinet. Vid. not. ad LXVI. 12. supra. Crev.

rege ceperat. Sed quia porta erat angustior, quam ut juncti intrare elephantum possent, ad pristinum morem reversus est.

30. Dum id agitur, exercitus donativo non contentus tumultuabatur: et pecuniam quæ erat ferenda in triumpho direpturos² dicebant. Neque deerant ex illustribus, qui dividendam dicerent, ne seditio oriretur. Sed ille negabat 'se clamoribus militum commoveri. Non ideo cepisse arma, et cum principibus civitatis multa prælia fecisse, ut iis serviret quibus imperare debeat. Mirari se hominum amentiam, si putent constantiam, quam in mediis bellorum tumultibus semper præstiterit, nunc parta pace, victis hostibus, ad Urbem, omisurum. Non ita se per Italiam hoc bello, Siciliamque et Africam esse cognitum, ut illi ipsi quos animi sui testes toto eo tempore habuisset, sperent seditiosis vocibus ab instituto dimoveri posse.

31. 'Facilem se et liberalem exercitibus suis imperatorem exhibuisse, quoad rectum honestumque putaverit: nunc etiam pronuntiasse quod satis esse existimet, præsertim tam brevi expeditione defunctis. Olim milites Romanos parvo contentos maluisse sudoribus et periculis suis ararium publicum locupletari: nunc sibi studere quemque, ut, defraudata republica, in tot particulas distractæ pecuniæ neque privatorum cupiditatem expleant, et usibus civitatis, nimium quantum his temporibus exhaustæ, subtrahantur.

32. 'Audire se jactari a quibusdam, multum etiam juris penes exercitum esse. Id quidem facilius dici, quam demonstrari posse. Ceterum, ut maxime ita res haberet, Plut. Zonar. Front. missum se prius triumphum facere, quam ut militibus suis aduletur.' Fasces deinde laureatos objecit acriter increpitis, ab illorum direptione jubens incipere. Hac verecundia cum ad modestiam eos redeisset, in majori omnium admiratione, quam ob tot res bello gestas, fuit: Plut. Zonar. Serviliusque, præcipuus antea negandi triumphum auctor, pulcherrimum ei testimonium reddidit; 'nunc vero se Pompeium vere Magnum, triumphoque dignissimum agnoscere.'

Liv. Epit. 33. Sub idem tempus C.³ Norbanus consularis pro-
 Appian. scriptus, cum Rhodum trajecisset, atque repetitus a Sylla
 comprehenderetur, Rhodiis adhuc deliberantibus, in me-
 dio foro se interemit. Neque enim adhuc proscriptionum
 acerbitas plane conquieverat: et Mutilus, unus ex pro-
 Liv. Epit. scriptis, clam capite adoperto ad aedes Bastiæ uxoris cum
 accessisset, admissus minime est, quod illum mulier pro-
 scriptum diceret: itaque se transfodit, et sanguine suo
 fores uxoris respersit. Tum etiam Nola, quæ postrema
 Vell. II. 18. urbium Samnitibus insessarum pertinacissime arma retine-
 Liv. Epit. bat, proditione capta est, M. Æmilio Lepido intronnisso:^k
 Appian. reque cognita obsessi, quia Samnitibus nulla spes salutis
 apud Syllam relicta erat, suis aut suorum gladiis occupa-
 runt necem: quidam laqueis præfocati sunt: alii, foribus
 ocellis, domos seque concremarunt: eodemque tempore
 ventus exortus vehemens ita distulit incendium, ut, oppido
 conflagrante, omnis simul præda amitteretur.

34. At L. Sylla, quo Urbem et Italiam suæ factionis
 hominibus quasi compedibus vinctas teneret, decem millia
 servorum, ætate ac viribus florentissimum quemque, ma-
 numisit, qui inter cives ascripti, de nomine patroni, uti
 Cic. pro mos erat, Cornelii sunt appellati. Lege deinde comitiis
 Dom. c. 30. centuriatis lata, municipiis plerisque civitatem et agros
 Cic. pro ademit. Ascripsit tamen in eandem legem: ‘ si quid jus
 Cæcin. c. non esset rogari, ejus ea lege nihilum rogatum.’ Ita caput
 33. de civitatis jure adempto, ne vivo quidem Sylla valuit: de
 Cic. pro agris ratum fuit; et coloniarum militares legiones tres⁴ et
 Liv. Epit. viginti deductæ, iisque divisi agri sunt. Namque non
 Appian. modo qui arma contra tulerant, sed quorum neutro incli-
 nata studia, aut etiam pro Sylla fuerant, res suas fortuna-
 nasque omnes perdidit. Nec enim tam in pœnam
 inimicorum, quam ut firmamenta dominationi quæreren-
 tur, talia fiebant.

35. Ex eadem disciplina, externæ nationes regesque,

³ Cu. legebatur ante Crev.

⁴ Ita ex Appian. reposuit Crev. pro *quatuor* in edd. præcc.

^k Nola . . . *capta est, M. Æmilio Lepido intronnisso*] Apud Appia-
 num legitur *Norba*. Corrigit Freinshemius, probabili admo-
 dum conjectura. Crev.

non stipendiarii solum, sed et æquo fœdere juncti, nonnulli etiam ob virtutem et merita immunitatem adepti, exacti-
onibus et tributis atterebantur: ut etiam agri quibusdam
et portus, qui ex formula fœderis debebantur, adimeren-
tur. His maxime rebus et ille annus præterit, et prox-
imus, quo P. Servilius C. F. M. N. Vatia, qui postmo-
dum Isauricus appellatus est, et Ap. Claudius consules
fuerunt.* Nam oblatum sibi adulatione populi consula-
tum Sylla recusaverat.

Memnon.
Appian.

36. Inter hæc Volaterræ, quod oppidum adhuc in
armis erat, publica interposita fide, sunt deditæ. In
Etruria Volaterræ sunt juxta littus maris, eximio ad tu-
telam loci situ. Nam e profunda valle tumulus undique
præceps in altitudinem prope duorum millium passuum
erectus urbem sustinebat, uti ascensu aspero et difficili,
ita plano commodoque vertice. Huc se proscriptorum
quidam contulerant, coactaque Etruscorum manu, cum
legiones quatuor effecissent, per biennium restiterunt:
quanquam nonnunquam ipse dictator in castris obsiden-
tium fuisset. Sic extinctis per Italiam bellorum reliquiis,
etiam in Asia, quæ sola urbs post victum Mithridatem in
rebellionem perstiterat, Mitylenæ a M. Thermo expugnata
dirutæque sunt. Eo bello C. Julius Cæsar admodum
adolescens in contubernio prætoris egit, et ab eo, captis
Mitylenis, corona civica donatus est.

Liv. Epit.
Cic. pro
Dom.
Strabo v.
p. 223.

Cic. pro
Sex. Rosc.
c. 37.
Liv. Epit.
Sueton.
Cæs. c. 2.

37. Idem annus L. Syllam ex perpetuo dictatore pri-
vatum vidit: rem inopinatam, et non una de causa pror-
sus admirabilem. Qui enim, tanquam rabie quadam
actus, nihil usquam sibi que et aliis quietum, nulla jura
inviolata, nihil ad summam contentionem laborum, peri-
culorum, denique scelerum et immanitatis reliquum fece-
rat, ut unus omnia posset; is ut, interpellante nemine,
summi imperii pacatam et patientia civium propemodum
justam possessionem sponte deponeret, expectari profecto
non debuit: præsertim cum neque ætate etiamnum, ne-
que corporis viribus destitueretur. An ipsum jam pige-
bat raptæ potestatis? Et cum recordatio delictorum

Oros. v. 22.
Plut. Syll.
Appian.

* A. U. C. 673. A. C. 79.

seræ pœnitentiæ morsibus consciam mentem cruentaret, quantas miseras quam vile ob præmium perferret, experientia monstrante, persenserat? Nam, priusquam cupitis potiretur, in his omnem inesse et solidam animi felicitatem crediderat. Adeptus deinde, cum se pejus etiam excruciarî deprehenderet, odisse atque fastidire cœpit, quod antea per tot bella civilia flagrantissime appetiverat.

38. Hæc exempla docere mortalitatem poterant, ut, priusquam sese præcipitent, unde regredi non liceat, consilio regant affectus, iisque rebus quærendis adhibeant, quas ubi consecuti fuerint, nullo deinceps pudore pœnitentiæ torqueantur. Nam, Sylla quidem quam acerbis suppliciis domitus pristini iudicii errorem emendaverit, in propatulo est, cum rem antea prælatam omnibus ita festinaret abjicere, ut ne mortis quidem metu, tot millium in se irritatis animis, retentus, hoc diserte dicere videretur, perire se malle, quam diutius dictatorem agere. Non dubito, quin plerique pravo consilio usum fuisse Syllam judicatori sint, quemadmodum et statim C. Cæsar in depositam ab eo dictatram Indens, ‘Syllam nescisse literas’ dixit. Sed eventus utriusque satis ostendit, doctiorem in his negotiis Cæsare Syllam fuisse.

Suet. Cæs.
c. 77.

39. Proximum deinde miraculum fuit, quod privato non solum salus, sed etiam dignitas constitit: cum plusquam centum millia civium Romanorum, et inter hos senatores nonaginta, consulares quindecim, equitum circiter duo millia sexcentos (computatis una exulibus) occidisset; bona eorum vendidisset; multos projecisset inhumatos; civitates quoque plurimas arcibus, muris, agris, pecunia varie spoliasset. Ceterum illum, ne hominum manibus cita et communi plurimis morte defingeretur, ad memorabile exemplum ultio divina servaverat.

Appian.
Oros.
Appian.

40. Ideo cum pro concione dixisset, ‘rationem se actorum omnium, si quis reposeat, redditurum esse,’ dimissis licitoribus atque custodia, cum amicis diu in publico deambulavit, attonito populo, et hæc miracula non sine horrore quodam aspiciente. Unus tantum adolescens fuit, qui auderet queri, et, quia nemo prohibebat, animo sumto,

Plut.

Appian.

recedentem usque ad fores domus conviciis incesseret. Atque ille cuius iram potentissimi viri maximæque civitates, nec effugere, nec placare potuerant, unius adolescentuli contumelias patienti animo tulit; id tantum in limine jam domus effatus, ‘Hic adolescens efficiet, ne quis posthac tale imperium deponat.’ Quam præsagi animi vocem non longo post tempore dictator Cæsar explevit.

41. Sylla, profectus in Cumaunum, rusticari, piscandoque et venando tempus ducere cœpit: cum prius, Hereuli Plut. consecratis decimis, epulum populo sumtuosissimum præbisset, ea affluentia, ut quotidie (per multos enim dies ducebatur) ingens vis ciborum in annem projiceretur. Vinum quoque dedit annis quadraginta vetustius, quod a nomine consulis sub quo natum fuit, Opimianum vocabatur. Plin. XIV. 14. Nam contra suas ipse leges, leniendæ ægritudinis Plut. causa, luxum intenderat, iisdem diebus uxore amissa Metella. Ei, cum jam desperatæ salutis esset, de sententia sacerdotum libellum repudii Sylla misit, spirantemque adhuc transferri in alias aedes iussit, quod scilicet religiosissimus pontifex, qui tot hominum agmina contrucidaverat, salvis religionibus aspiciere morientem, aut funere pollui domum suam ferre non posset. Sen. Consol. ad Marc. c. 15. Plut.

42. Non tamen sic abstinuit a republica, ut nullo eorum, quæ fierent, sensu afficeretur. Igitur comitiis consularibus, cum, præter suam sententiam, designato M. Æmilio Lepido, Pompeius, cuius studiis perfecta res fuerat, lætus abiret, vocavit eum ad se Sylla, dixitque, ‘Te vero providum consilii, adolescens, et sapientem! qui pessimum omnium Lepidum optimo omnium Catulo priorem renuntiandum curaveris. At tu fac, vigiles, qui adversarium effecisti valentiorum.’ Neque fefellit eum præsagus futuri animus, et, spirante adhuc Sylla, seditiosam ad Quirites orationem Lepidus consul habuit, quæ adhuc Sall. Hist. I. inter reliquias Historiæ Sallustianæ servatur.

43. Paulo ante hoc tempus, cum⁵ a Mithridate ad scribendum fœdus legati venissent, infecta re dimissi sunt: Appian. Mithrid.

quod Ariobarzanes, sponte sua an aliorum instinctu incertum, non esse sibi cum fide restitutam Cappadociam detulerat. Eam Sylla tum adhuc dictator jussit restitui. Et Memnon. Mithridates paruit,¹ quanquam ad Phasin et Caucasum Appian. rebus interea præclare gestis, imperii fines protulerat, Bosphoranis subactis, quibus filiorum unum Macharem regem dedit. Sed idem cum in Achæos fecisset expeditionem, insidiis et vi frigoris exercitum carpentibus, vix tertiam copiarum partem reducerat.

¹ *Et Mithridates paruit*] E regione horum verborum legitur in margine editionis Doujatianæ, ‘B. Hic referri de Syllæ altero matrimo. ex Plut. Sylla cap. 70. et Suid. in *ἑλλάς*.’ Hæc fædissime vitata documento esse possunt, quam negligenter trac-

tatus sit a Doujatio Freinsheimius. Ceterum hac notula sese noster admonebat inseri oportere hoc loco narrationem de Syllæ cum Valeria matrimonio. Plutarchi proba allegatio est. Suidam vid. in *ἑλλάς*. *Crex*.

S U P P L E M E N T U M

LIBRI XC.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

1. **R**ES populi Romani M. Lepido, Q. Catulo consuli-
bus,* ac deinde, militiæ et domi gestas, amisso Livio,^{1. 1.}
satis ex Sallustianis historiis licebat cognoscere, nisi et
illas idem omnino fatum abstulisset. Idcirco, fontibus
obturatis, ex rivulis aut etiam lacunis ista nobis haurienda
sunt: sic interim sordida cænoque permixta, ut vix magno
studio et attentione pereolata liquecant. Sed nos, qua
poterimus industria, cepto insistentes, a morte L. Syllæ
velut novum initium ordiemur. Nam ibi iterum conver-
sio quædam reipublicæ facta est, et auctoris voluntate
deposita brevis ævi dominatio morte ipsius plane ex-
tineta.

2. Morbus igitur, quo Sylla periit, minime communis
fati, sed singularis cujusdam fœditatis atque supplicii fuit,
exuberantibus pediculis; ut qui tot millia civium cognati-
que sanguinis hominum inauditis cruciatibus peremisset,
ejusdem artus, velut intestino bello, ab illo, quem genu-
erant, animalculorum exercitu diriperentur. Est enim
profecto Deus, qui nunquam impune spernitur; et, licet
acerbiores pœnas in aliud ævum justissimus judex seposu-
erit, quod includi præsentis angustiis nequeant, sæpe ta-

* A. U. C. 671. A. C. 78.

men viventibus proponit spectanda noxiorum tanta supplicia, ut, si nihil deinceps timendum foret, vel his deberent a peccando deterreri.

Plut. 3. Dissimulavit tamen utcumque mali sensum jam non felix Sylla, et, quo avocaret a tam tristi cogitatione animum, in quasilibet occupationes incubuit. Quippe decimo ante excessum die, Puteolanorum dissensionibus compositis, leges scripsit, quibus deinceps uterentur. Rerum Plin. Plut. suarum componendis Commentariis biduo, priusquam decederet, operam postremo dedit, alteri et vicesimo libro immortuus. In eo Chaldaeos sibi praedixisse narrabat, ubi gloria invidiam vicisset, in summo flore felicitatis esse obiturum. Itemque somnium praeterita nocte sibi oblatum, per quod filiolum suum, ante Metellam mortuum, videre visus esset, appellantem se, jubentemque, curis omissis, ire secum ad matrem, ubi cum ea in quiete et otio degeret.

Appian. Plut. 4. Postridie, cum id somnium amicis enarrasset, testamenti tabulas confecit obsignavitque. Mox sub vesperam nuntiato, Granium quendam, Puteolanæ reipublicæ debitorem, mortem ejus expectare, ne solveret; accito homini in cubiculum a famulis intorqueri fauces, non sine vehementi clamore et corporis jactatione jussit. Ab hac contentione rupta vomica magnam vim effudit sanguinis: ne qui tam sanguinarius in vita fuisset, incruenta ad inferos morte descenderet. Ita viribus defectis noctem eam inter summos cruciatus cum exegisset, infelicem spiritum reddidit.



Appian. 5. Mors Syllæ confestim consulum, jam ante non satis concordium, contentiones excitavit. Senatus, referente

Catulo, honorem ei haberi volebat, ut in campo Martio Liv. Epit. sepeliretur: Lepidus multique cum eo alii præfracte re- Appian. pugnant. Ibi generose animo suo Pompeius imperavit, Plut. et, quanquam Syllæ testamento, cum ille legata relin- Pomp. c. 25. queret, liberisque tutores daret, esset præteritus, partim Plut. Luc. c. 6. gratia, partim precibus, interim et minis summovit ob- Plut. Syll. stantes, funusque Romam prosecutus exequiis securitatem et Pomp. decusque præstitit.

6. Ordo pompæ hic fuit. Aureo lecto corpus defuncti Appian. per Italiam in urbem regio prorsus fastu ferebatur. Tibicinum caterva, equitesque, et gravis armatura frequentibus ordinibus sequebatur: pariterque in itinere, qui legati ejus ad exercitum fuerant, cum armis accurrentes, ut quisque advenerat, locum suum capiebat. Alia quoque multitudo, quanta vix unquam ulla de causa, undique confluebat. Insignia magistratus et secures, ut nuper dictatori, præferebantur. Hoc ordine in Urbem perlatum cadaver est. Sed cum ad rogam efferretur, longe major longeque splendidior apparatus fuit: coronæque auræ, dona civitatum, legionumve, aut amicorum, plusquam duo millia spectabantur. Corpus, quo sacrorum honor concurrentium militum licentiam frænaret, omnia sacerdotum collegia Vestalesque comitatae sunt: tum senatus universus, et cum insignibus suis magistratus. Mox equitum Romanorum agmen, et omnis qui sub eo meruerat exercitus (singuli enim ut præsto forent properaverant) cum auratis signis, et armis argentatis, quo ornatu esse deinceps etiam in pompis consueverunt.^a Inter hos variis locis magnus tibicinum insertus numerus lugubre quiddam concinebat. Voces deinde honorificæ per ordines acclamatae sunt. Incipientem senatum eques, equitem plebs excipiebat.

7. Sed non idem omnibus in pari testificatione voluntatis animus erat. Pars vere desolebat amissum: ceteri Syllanorum præsentis copias, et ipsum adhuc, quanquam vita orbem, metuebant. Pro rostris cadavere posito,

^a Quo ornatu esse deinceps etiam in pompis consueverunt] Hæc parum clara sunt, nec satis accurate ex Appiano versa, qui ob-

servat eodem hoc ornatu etiam suo ævo in pompis milites uti solitos esse. *Crev.*

laudatus est ab aliquo disertorum, quia Faustus filius nondum maturæ ætatis erat. L. Philippum huic officio delectum crediderim, qui tum ætate et facundia ceteros anteibat. Deinde sublatus senatorum humeris lectus in campum Martium deportatus est, ubi tantummodo regum erant monumenta.

Sall. Hist.
1. 11.
Appian.

8. Sub nonam diei horam in Campum est ventum: quia nebula matutina, ne celerius exirent, pluvie metu curatores funeris tardaverat. Tum impositus rogo est, cum ingenti vi odorum, quos adeo liberali manu matronæ contulerant, ut præter ducenta decem fercula, Syllæ ipsius simulacrum justa magnitudinæ, simulque lictoris imago fictæ fuerint ex optimo thure et cinnamomo. Hæc omnia flammis consumta. Nam cremari primus e patriciis Cornelii voluerat, cum ejus gentis mortui semper intactis igne corporibus terra tegerentur. Id eo factum putant, quia C. Marii reliquias ad Anienem sitas, mortuo quoque implacabilis hostis, spargi in flumen jusserat; et ne sibi accideret, quod in alterum statuisset, metuebat.

Plut.

Cic. de
Leg. II. 22.
Plin. VII.
54.
Cic.

9. Mortuus jam Marius, mortuus Sylla, civilium bellorum sævissimi duces erant: sed vivebant adhuc in animis superstitum discordiæ, et velut ab ipso hujus rogo accensæ, inter redeuntes ab exequiis consules statim acerbis sermonibus exarserunt. Seditiosum Lepidi ingenium metus judiciorum stimulabat, ut res turbari valde sua interesse judicaret. Nam ob exspoliata Siciliam, a duobus Metellis, Celere et Nepote, legibus interrogatus, quamvis illi, ob gratiam ejus apud populum victi, destiterant, absolutus tamen non erat, et ne aliquando revocaretur in judicium metuebat. Itaque turbidis concionibus, veluti classico, concitata inopi plebe, Italicos etiam populos spe restituendorum agrorum conciliabat. Sanior pars populi facile providebat, si acta Syllæ rescinderentur, rempublicam utcumque compositam, novis tumultibus bellisque arsuram. Movebantur et prodigiorum obsecnitate: quæ inter, novum illud et inauditum antea, in Ariminensi agro in villa Gallerii locutum gallum gallinaceum esse.

Flor. III. 23.
Appian.

L. Ampel.
Pedian. in
Div. et in
Verr. II.

Flor.
Liv. Epit.
Appian.
Flor.

Plin. x. 21.

Appian.

10. Idcirco senatus utrumque consulem jurejurando

adegit, ' se hujus controversiæ causa arma non sumtuos.' Lepido, ne quid in Urbe turbarum daret, exercitus et provincia Gallia trans Alpes decreta. Ille tempus in Etruria ducendo, nolebat ad comitia reverti, ne bellum quod in animo habebat impediretur. Putabat enim, jurisjurandi non ultra consulatus tempora valitura fide, postmodum nulla religione obstrictum ad servandam pacem fore.

Sall. Hist.
1. in Orat.
Philip.
Flor.
Appian.

11. Non erat obscurum senatui, quid animi consilii que Lepido esset: præsertim cum Etruriam conjurare, proscriptos acciri, largitionem tentari pernotuisset. Igitur occurrere eum ad tempus comitorum jubet. Et affuit ille ex Etruria, sed cum universo exercitu, quem ad Urbem adducere secum constituerat. Sed jam Milvium pontem, collemque Janiculum Q. Catulus consul cum Cn. Pompeio præceperant. Relata enim lex Plautia, capitibus aliquot adjectis, contra vim malorum: et adjungens se optimatibus Pompeius, Catulo pacis quam belli artibus præstantiori datus adjutor fuerat.

Sallust.
Appian.

Flor.
Liv. Epit.
Cic. pro
Cœl. c. 29.
Plut.
Pomp. c. 25.

12. Igitur Lepidus arma suos capere imperat. Fit idem et a senatus partibus, præliumque non procul Campo Martio conseritur. Primo statim impetu pulsus Lepidus in Etruriam perfugit: Pompeius adversum Brutum est profectus, qui legatus Lepidi Galliam Cisalpinam non invalida manu obtinebat. Satis diu bellum id tractum ad Mutinam est: cum castra castris opposita essent, nec ad summam rei profectura certamina consererentur. Ea res Lepido, qui, circumactio interim anno, pro consule se gerebat, otium præbuit, ut, collectis ex qualibet hominum fœce copiis magnis, ad Urbem tenderet, assidensque consulatum alterum postularet.

Appian.

Flor.
Plut. Pomp.

13. Ad famam venientis haud parva in Urbe trepidatio fuit: et in senatu Q. Philippus in hæc verba censuit: ' Quoniam Lepidus exercitum privato consilio paratum, cum pessimis et hostibus reipublicæ contra hujus ordinis auctoritatem ad Urbem ducit, uti Ap. Claudius interrex cum Q. Catulo proconsule, et ceteris quibus imperium est, Urbi præsidio sint, operamque dent ne quid respublica detrimenti capiat.'

Sall. Hist.
1. in Orat.
Phil.

14. Sed metum cito ademerunt allatæ a Pompeio lite-

Plut.

ræ, quibus confectum bellum, traditus cum exercitu Brutus, nuntiabantur. Eum Pompeius cum, datis qui prosequerentur equitibus, Rhegium deduci jussisset, statim insequenti die pœnitentia ductus, Geminium misit, a quo non sine infamia perfidiæ crudelitatisque Pompeianæ est interfectus. Alba quoque, quam deinde Pompeii nomen tulisse arbitror, quod ab eo tum conservata esset, postquam obsidionem famemque ferre amplius non potuit, dedita est : ibique Scipio cum Lepidi filio captus et occisus.

15. Inter hæc comitiis per interregem habitis, consulatum D. Junius D. F. M. N. Brutus, Mamercus Æmilius Mam. F. M. N. Lepidus Livianus inierunt.* Mamercus homini ditissimo, ne suo anno consul fieret, prætermisso ædilitatis nocuit, quod sumtuosum muneribus magistratum amore pecuniæ vitatum ab eo populus crediderat. Tum quoque tulisset repulsam, ni C. Curio, ut adolescentior, et populi suffragiis integer, ætati Mamerci concessisset.

16. His auditis Lepidus, cum hostis ab senatu iudicatus, iterumque victus esset, recessit Cosas Etruriæ maritimum oppidum, ubi, insequente Catulo, nova commissa pugna est. Cui superveniens ex Gallia Pompeius magnam edidit cædem, et reliquos fugere in Sardiniam coëgit. M. Lepido cum omnibus copiis Italia pulso, segnior, ut amoto nonnihil periculo, ceterum haud minus gravis et multiplex cura patres exercebat; quia præter externa bella, quæ sub idem tempus pluribus locis eruperant, duce partium vivo, dilatatum potius, quam extinctum civile incendium habebatur: metusque erat, ne impedienda annonæ transvectione Urbem inopia urgeret.

17. Sed ille bellum, per quod homo delicatus luxu sibi carendum videbat, segniter moliebatur: donec pœnitentia consilii, et a C. Valerio Triario, qui provinciam pro prætore obtinebat, undique depulsus, et oppidorum expugnatione prohibitus, contrarios cogitatis eventus habuit: lentaque tabe correptum cognitum uxoris Apuleiæ adulterium tædio et dolore confecit. Epistolam cuim, criminis

* A. U. C. 675. A. C. 77.

indicem, forte nactus, divortii libellum misit : deinde simul caritate desiderioque repudiatae, simul injuriæ suae acerbitate ac dolore extabuit. Extrema quoque hujus memorabili eventu adverterunt curiosos : quia corpus, flammæ vi e rogo ejectum, cum reponi propter ardorem nequiret, juxta sarmentis aliis nudum crematum est.

18. Sic atrocibus belli minis inter ipsa initia compressis, victores, rara iis temporibus modestia, pace contenti fuerunt. Quam ob moderationem non minus, quam ob bellum feliciter confectum, Q. Catuli magnopere celebratum nomen est. Exercitus Lepidi, carpentibus insulanicis, quibus molestus esse cœperat, dissipatus est : quod roboris fuerat, Perperna ad Sertorium adduxit, qui, profectus in Hispaniam, cum se relatum in proscriptos didicisset, bellum ingens excitaverat. Igitur ut vires ei subtraherentur, senatusconsulto, et rogatione Plautia belli Lepidani gratia pœnitentibus facta, reditusque decretus : maxime amittente C. Cæsare, qui concionem super ea re habuit, quod in eadem causa L. Cimna, uxoris suæ frater, esset.

19. Igitur civilium armorum furias, quibus ipse haud leviores excitaturus erat, multum execratus, orare patres cœpit, ‘ ut aliquando his malis terminus poneretur. Ira Deorum multis ab annis ita conquassatam internis seditionibus rempublicam, ut, siquidem diutius ea durare pestis debeat, necessum sit omnia ruere. Desiderare Urbem ornamenta pacis bellique ; desiderare consiliorum auctoritatisque principes Curiam : multa præstantissimorum virorum capita per Damasippum, multo deinde plura per Syllam decisa, quæ velut in opprobrium publicæ servitutis pro rostris spectanda proponerentur. Nunc autem remittente numinum indignatione, sublatis horum scelerum auctoribus, necessum haud esse ut deterrimorum virorum instituta per probos et patriæ amantes exerceantur.

20. ‘ Donec recens adhuc dominatio, et dictatoris terror primum, deinde memoria valuerit, facta quædam a gentibus esse, quæ recordatione temporum utcumque defendantur. Si quid eorum præterea fieret, jam nullum colorem superesse, quin consulto facta credantur, et multi pro uno Syllæ extitisse. Ita nullum alium civilis belli

Plin. vii.
36.

53.

Flor. Val.
Max. ii. 8.

Appian.

Jul. Exup.
Sueton.
Cæs. c. 5.
Liv. Epit.

Sall. Hist.
111. 14.
Sueton.
A. Gell.
xiii. 3.

finem, nisi eundem et imperii sperari posse. Igitur magnopere se consulere patribus, ut recipiendis in civitatem, abolendaque eorum noxa, qui Lepidum secuti nuper essent, minuerent hostes patriæ, darentque exemplum omnibus, nemini errorem suum fraudi, sed tantum pervicaciam fore; neque senatum alios habiturum pro hostibus, quam qui conciliari patriæ nolint. Nullum validius ad stabiliendam pacem adjumentum fore. Nam eadem opera Sertorio, et qui alii arma retineant, magnam virium partem decessuram; et eandem ad rempublicam accessuram esse.

Plut. Sert.
c. 9.
L. Ampel.
Plut.

21. Ceterum postquam ad Sertoriani belli mentionem accessimus, quod illa tempestate longe gravissimum fuit, rem paulo supra repeti, ad multa, quæ scire lecturos refert, profuerit. Postquam primum, Scipionis deficiente exercitu, Sertorius in Hispaniam abiverat, tum admiratione virtutis et industriæ, tum ambitioso ac leni imperio, provincialium simul civiumque Romanorum qui locis illis consederant, ita conciliavit animos, ut paulo post, magno exercitu coacto, C. Annio, missu Syllæ in Hispaniam eunti, sex millia armatorum, duce Livio Salinatore, opponere potuerit, qui occupatis Pyrenæi angustiis, Syllanos aditu arcerent.

22. Sed obruncatus a Calpurnio Lanario Salinator, quem fidissimum amicorum crediderat, C. Annium subito inmisit necopinantibus: unde Sertorius cum tribus hominum millibus Carthaginem Novam, et inde navibus in Mauritaniam littus perfugit. Sed, multis militibus inter aquandum subita barbarorum irruptione amissis, retro vela fecit: iterumque repulsus, ascitis piratarum Cilicum paronibus, præsidium Annii in Pityusa insula improvisus oppressit. Sed Annio magnam classem cum una legione adducente, prælio navali parum prospero usus, quod naves illius leves parumque firmas ortus forte ventus disjecerat, post longum et acrem naufragii metum, paulo supra Bætis annis ostia applicuit.

23. Sub idem tempus nautæ recens ex insulis Atlanticis revecti miracula narrabant: duas ibi insulas propinquas inter se, et decem millibus stadiis^b procul a Gadi-

^b Decem millibus stadiis] Lencis nostratibus 400. Crev.

bus sitas, suopte ingenio alimenta mortalibus gignere. Igitur Fortunatæ vocabantur: et has intellexisse Homerum etiam apud barbaros obtinebat, cum Elysios campos sedesque beatorum describeret. Earum esse quæ hodie ‘Canariæ’ vocantur, ex modo navigationis, et descriptione locorum, et quæ de his apud Plinium, auctore Juba rege, narrantur, propemodum constat. His igitur intellectis traditur tædio præsentium Sertorius, et ne aut facere aut pati tam tristia necessum esset, fugam in longinqua oceani agitavisse, apud Fortunatas illas insulas, quod reliquum esset ævi, in quiete exacturus.

Hier. adv.
Rufin. Sall.
Incert. 26.

Plut.

Cellar.
Geogr.
Ant. iv. 7.
Plin. vi. 32.
Plut.
Sall. In-
cert. 20. et
26.
Flor. iii. 22.
Plut.

24. Igitur aliquando, cum famam illam, apud suos late sparsam cum admiratione vidisset excipi, ejusmodi jacere sermones cœpit: ‘Fabulam hanc esse credidisset, nisi non spernendi auctores verum subesse persuaderent. Multi sunt, qui se vidisse confirmant: et, ne dolum putem, singuli seorsim interrogati de rebus de quibus inter se comparare, si maxime voluissent, nullo pacto potuerunt, eadem omnia miro consensu referunt. Unum subito mirari, quod tantæ felicitatis loca ex cetero orbe non petuntur avidius. Annon enim satius foret, contentum iis quæ in pace et otio viventibus omniparens tellus sponte sua ministraret, dimittere inanes aut atroces curas, et sibi aliisque parcentem, sine metu, sine injuria, munere Deorum oblata accipere cibaria? At nos improvidi et immites, quo scilicet aliquando beatiorem ducamus vitam, tumultu turbisque miscemus omnia; annosque nostros prodigimus, tanquam alio tempore victuri; et, ut paremus supervacua, necessariis invicem spoliatur spoliaturque. Ita multis calamitatibus malisque, cogentes coactique, et interdum scelesti magis, quam miseri, dstringimur.

Sall. In-
cert. 17.

25. ‘Sed alii sane insipient. Quid nos facere decet, commilitones? Quin arripimus vacuam tantorum bonorum possessionem: ut aliquando incipiamus vivere, ceterorum mortalium errores tempestatesque de tutis littoribus despecturi. Si cuiquam nostrum sperare multum ex his rebus licet, quæ vulgo præcipuæ habentur, ego is esse debeo, genere Romanus, ordine senator, dignitate prætorius, qui exercitibus magnis provinciisque præfui, qui res

gessi nemini hujus ævi ducum pœnitendas. Me tamen eo propemodum natura ducit, quam sequi optimam vitæ magistram æquum est, ut spes meas omnes hoc pretio commutare nihil abnuam.'

Plut. 26. Non erat ea mens Cilicibus, ut pacis amore pecuniæ studium abjicerent, cujus causa pacem otiumque reliquissent. Ita, Sertorio relicto, in Africam se contulerunt, ubi de regno Mauritanie bellabatur. At Sertorius, ne, quod supererat militum, inopia deficeret, alteri se partium applicuit; rebusque bene gestis, cum ab incolis locorum amaretur, quid postea facto opus esset deliberabat.

27. Ancipitem et impeditam consultationem legati Lusitanorum abruperunt, ad imperium gentis eum vocantes: quæ, contra Romanos terrores ducis egens, laudatum ab omnibus, qui cum illo fuerant, Sertorium, velut divino munere oblatum rebatur. Erat enim ille animo consilioque maximus; virtutis liberalissimus æstimator, in puniendo moderatus; facundus idem et comis: et tam in confirmandis suis, quam terrendis hostibus, singularis artifex. Igitur, accepta conditione, cum duobus millibus sexcentis, quos vocabat Romanos, et septingentis, qui ex omni Africa se ad eum contulerant, levi præsidio relicto in Mauritania, nactus obscuram noctem, æstu secundo, furtivaque celeritate, vitare prælium in transgressu conatus est. Sed, occurrente cum navibus Cotta, juxta Melariam in freto dimicare coactus, vi perrupit, et ad montem Balleram, quem Lusitani præceperant, contendit.

Oros. v. 23.
Sall. Hist.
t. 21.

Plut.
Sall. ib.

Plut. 28. Horum copiis assumtis, (erant autem cætratorum millia quatuor, equites septingenti) Furfidio^c cum legionibus adventanti se objecit. Is enim Bæticam cum imperio obtinebat. Cum hoc, difficultatibus locorum adjutus, ita certavit, ut ille, duobus millibus Romanorum amissis, cedere cogeretur. His igitur aliisque multis duobus interfectis pulsive, Q. Metellus a Sylla missus est, claræ veterisque famæ imperator. Qui postquam in ulteriorem provinciam venit, artibusque Sertorii fatigatus, neque cogere potuit ad pugnandum, neque insequi fugi-

Lips. Ep.
Quæst. iv.
14. Plut.
Sall. ib.

Plut.
Appian.
Civ. i. et
Iber.
Plut.
Pomp. c. 27.

^c *Furfidio*] Lipsius hoc nomen apud Sall. esse vitiatum censet, et ex Plut. legit *Aufidium*. Crev.

entem, nisi ut omnia fugientium incommoda ipse pate-
retur; L. Domitium proconsulem ceterioris Hispaniæ cum
omnibus copiis quas paraverat, accessivit. Sall. Hist.
l. 19.

29. Sed ille ad Anam fluvium, qui Bæticam a Lusita-
nia separat, ab Hirtuleio quæstore Sertorii cum exercitu
oppressus est. Idemque fatum eodem loci legatum Me-
telli Thoriumprehendit. Deinde, quia tanto hosti
resistere res Romana uno imperatore non poterat; L.
Manilio Galliam Narbonensem obtinenti præcipitur, ut
suppetias Metello in Hispaniam transgrediatur. Hunc
quoque, cum tribus¹ legionibus, et mille quingentis equi-
tibus advenientem, idem Hirtuleius sic excepit, ut L.
Valerius Præconinus legatus, exercitu pulso, interficere-
tur; L. Manilius proconsul, impedimentis amissis, in
oppidum Herdam pæne solus confugeret. Flor.
Pompon.
Mela.
Oros.
Eutrop. vi.
Liv. Epit.
Plut. Sert.
Flor. Plut.
Oros.
Liv. Epit.
Cas. de
B. Gall. 111.
20.
Oros.
Plut.

30. Unde viribus et fama in dies augescens Sertorius,
ut consilium et duces partibus adderet, senatores ex pro-
scriptis eodem nomine locoque apud se habebat: allec-
tisque ex amicorum cohorte primoribus, ut trecentorum
numerus fieret, hunc senatum appellabat: ad eum ordi-
nem de rebus omnibus referebat: hinc quæstores legati-
que quam proxime patrium morem creabantur. Nam
Sertorius ea modestia et animi magnitudine agebat, ut,
quanquam Hispanorum armis, pecuniisque, et urbibus, ac
corporibus uteretur, nulla tamen re lædi oblitterarive Ro-
mani nominis dignitatem sineret. Appian.
Plut.

31. Cum hæc agebantur, P. Servilius cum Cilicibus
prosperè ad summum, sed non sine magno labore ac
periculo dimicabat. Mithridatici belli occasione piratæ,
quod inter Cretam Cyrenasque et Achaïam sinumque
Mæleum est mare (ipsi a prædarum ubertate aureum vo-
cabant) atrociniis infestum habere cœperant, Isidoro
duce. Deinde quia Mithridates Asiam pro aliena negli-
gebat, Syllam urbanæ res revocabant in Italiam; impu-
nitate plures invitante, numero viribusque aucti, magnis
jam classibus oberrabant: adeoque placebat ipsis hoc vitæ
genus, ut, hoc perpetuo exercere certi, in quandam velut Flor. 111. 6.
Appian.
Mithrid.

¹ Ita ex Orosio reposuit Crev. pro *quinque* in edd. præcc. exhibi-
bitum.

reipublicæ formam coirent. Igitur, licet passim haberent castella, arces, insulas desertas; sedem tamen fortunarum omnium Ciliciam, quæ vocatur Aspera, consensu legerunt, importuosam, et altissimis rupibus horrentem. Unde communiter ab omnibus Cilices vocari cœperunt: quamvis esset mixta variarum gentium colluvies, Syri, Cyprii, Pamphylîi, et quidem ex Ponto, ac propemodum omnibus Orientis regnis. Multi enim bellorum diuturnitate patrimoniis exuti, cum facere indigna et gravia quam pati mallent, naves pro natali solo ad ducendam vitam delegerant.

Strab. xiv.
pp. 664. et
665.

32. His omnes fere Ciliciæ Pamphylîæque urbes patebant, dulcedine lucri, forum prædæ vendendæ, navibusque eorum stationem præbentes. Sidetæ quidem naves etiam iis fabricabant, et captos ab illis palam vendebant, quamvis liberos esse scirent et faterentur. Diversum Lyciorum institutum, eoque dispar etiam fortuna fuit: qui, neque terrore, neque lucro victi, omnem cum Cilicibus societatem constanter recusarunt: quorum deinde excidium salvi sospitesque viderunt, nisi quod e finitimis bellis, velut ex vicino incendio, partem aliquam vapor afflavit.

Cic. in
Verr. i. 35.

33. Ceterum piratas L. Murena nuper, imperato civitatibus Asiæ, ut ex pecunia vectigali populi Romani naves facerent, paulisper represserat: sed quia neque receptacula illorum expugnata erant, neque prohiberi poterat, quominus plures quotidie ad illorum institutum affluerent, postquam Murena decessit ex Asia, plus terroris ac damni quam unquam antea passim dederunt. Jam enim et Siciliam infestabant, ut circa eam insulam nemini tuta navigatio esset: occurrentemque sibi prætozem navali prælio vicerant. Nec meliore eventu ab aliis in eos pugnatum.

Appian.

Sex. Ruf.
c. 11.
Oros. v. 23.
Flor.

34. Igitur missus in eos P. Servilius proconsul, primum in ipso mari congressus, quanquam adversus leves et fugaces myoparonas justæ magnitudinis naves opposuerat, non incruentam victoriam retulit. Sed nec mari summo-visse contentus, ad urbes illorum et prædarum receptacula eruenda convertit. Non minimi laboris id bellum fuit.

Fere triennio pugnatum: multaque per Ciliciam Pamphyliamque et Lyciam urbes eversae.

35. Phaselis, in Lyciæ Pamphyliæque confinio sita, juxta quam Alexander olim per angustias fluctibus cooperatas transduxit exercitum, crebro commentibus eo piratis, quod² projecta in altum horum accessibus erat opportuna, primo commerciis, deinde et societate se conjunxerat. Sed non ante destitit Servilius, quam expugnatam dirueret. Eadem sors Olympi fuit, urbis antiquæ et opulentæ, quæ inter sex Lycias maximas numerari solet. Hujus, cum vi capta esset, magna præda fuit: multaque inde signa et ornamenta ab imperatore belli jure sublata sunt. Corycum^d quoque urbem inclytam nemore in quo crocum gignitur, eorundem armorum tempestas evertit.

Oros.
Eutrop.
Cic. in
Verr. iv.
10.
Strabo l.
xiv. p. 666.
Cic.

Oros.
Eutrop.
Cic. in
Verr. i. 21.
Strab. xiv.
p. 665.
Cic.

Sall. Hist.
i. 22.
Eutrop.
Oros.

2 Edd. ante Crev. insertum habent *ita*.

//////////

^d *Corycum*] Duplex *Corycus* in regionibus non multum a sese invicem dissitis, Lycia et Cilicia, a geographis memoratur. *Corycum* Ciliciæ hic intelligit Freinshemius, ut apparet ex illius atri celeberrimi mentione, in quo crocum gignitur: et habet auctores Eutropium, quem ora libri allegat, et Asc. Pedianum in tertiam contra Verrem orationem. Et favet Sallustius, qui loquitur de adventu Servilii ad *Corycum* inclytam nemore in quo crocum gignitur. Tamen

Cellarius Geogr. Ant. l. iii. c. 3. et post eum doctissimus Bruzen la Martinière in Dictionario suo Geographico, *Corycum* Lyciæ a Servilio captam volunt, eo maxime argumento nixi quod Olympus et Phaselis, quæ oppida junguntur *Coryco*, a scriptoribus qui Servilii victorias commemoravere, ad Lyciam pertineant. Nos rem in medio relinquinimus. Sufficiat de dissensu doctorum admonuisse lectorem. *Crev.*

SUPPLEMENTUM

LIBRI XCI.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

Appian.
Civ. l. 1.

Appian.
Iber.
Plut. Pomp.

Val. Max.
viii. 15.
Plut. Pomp.
Cic. pro
Leg. Manil.
c. 21.
Oros. v. 23.
Cic.

1. **T**RANSGRESSUS in Hispaniam Perperna, quemadmodum superiore libro ostendimus, curam senatus duplicaverat, nihil æque metuentis, quam ne auctus novo exercitu Sertorius in Italiam reverteretur. Metellus enim, fessa jam ætate, et statariis pugnis assuefactus, velocissimæ virtutis hosti parum resistebat. Ideirco Cn. Pompeius, qui nuper recepta Gallia Cisalpina, quanquam jubente Catulo, copias non dimiserat, cupidus Hispaniensis belli, ut ad opem ferendam Metello mitteretur, ad urbem hærebat, semper aliqua reperta causa, cur exercitum sub siguis retineret. Neque aliud in promptu præsidium erat, neque ducum quisquam, qui Sertoriano vigori rectius opponeretur. Ergo ex sententia L. Philippi decreta illi provincia est, ut pari cum Q. Metello imperio esset. Quo tempore aiunt mirantibus quærentibusque, ‘anne igitur equitem Romanum pro consule mittendum censeret?’ respondisse Philippum: ‘non se illum sua sententia pro consule, sed pro consulibus mittere.’ Tanta erat de virtute Pompeii opinio, ut cum duo consules clarissimi fortissimique essent,^a duorum consulum manus unius adolescentis virtuti committeretur.

^a *Ut cum duo consules clarissimi fortissimique essent*] Sic quidem

2. Igitur Pompeius, accepto imperio, diebus quadraginta suppleto exercitu, paratisque necessariis, ad Alpes movit, quarum aditus Sertoriana praesidia obtinebant. Igitur Pompeius aliud, quam Hannibal patefecerat, sibi opportunius iter juxta Rhodani Padique fontes^b aperuit: hostibusque in Hispaniam summotis, Galliam, adjuvante non segniter qui provinciae praeerat M. Fonteio, recepit. Deinde perrexit ad Pyrenaeum, ut ad auxilium Metello ferendum quam maturime occurreret. Nam is in dies molestioribus rebus utebatur; cum super alia mala, fatiscens laboribus miles, segnior, et adversus imperatorem contumacior fieret: eoque, ut Sertorio Metellum ad singulare certamen provocante, impudens clamor oriretur, ‘ire’ jubentium, ‘ducemque cum duce, Romanum cum Romano congregi,’ non sine conviciis, ubi Metellum imperatorii loci memorem, neque hostis insultatione, neque suorum stultitia moveri viderunt.

3. Igitur Metellus, ut aliquo negotio militem occuparet, celeriter ad Laccobrigas movit, urbem hosti opportunissimam non magno negotio in potestatem redacturus, quod unus tantum intra moenia puteus erat, et suburbanis aquis obsessi prohibebantur. Sed hic quoque neque solita cautio Sertorio, neque celeritas efficiendi cogitata defuit. Ex omni Hispanorum Mauroorumque numero robustissimum quemque eundemque pernicissimum, pronuntiato in singulos utres premio excitans, magnam aquarum copiam inferendam in oppidum curat. Per eosdem inutilis turba educitur. Ita in multos dies adversum sitim providetur. Enimvero Metellus, cui omnis spes in eo erat posita, ut imparatos opprimeret, tantum quinque dierum cibaria portare militem jusserat. Ideirco, deficiente comaeatu, Aquinum cum sex millibus militum frumentatum misit.

Cicero in oratione ad populum habita, in qua major saepe ratio temporis locique et hominum, quam veri, habetur. At Plutarchus judicat notatos esse sententia et dicto Philippi consules, tanquam nullo numero habendos. *Crev.*

^b Juxta Rhodani Padique fon-

tes] Magno intervallo dissiti sunt horum annuum fontes, et longe diversis ex Alpium partibus oriuntur. Quod Appianum, hominem Alexandrinum, ignorasse minus mirum est: at Freinsheimius certe scire debuit, et Graeci scriptoris errorem emendare. *Crev.*

Sall. Hist. III. in Epist. Cn. Pomp.

Appian. Civ.

Sall.

Cic. pro Font. c. 2. Plut. Sert.

At Sertorius occultatis tribus hominum millibus, cum ceteris quos secum habebat Aquinum ad pugnam cogit. Ea dum conseritur, signo dato procurrununt insidiæ. Sic Aquinus dimidia copiarum parte, et equo armisque amissis, vix a Metello receptus; et obsidio cum magna Romanorum ignominia soluta est.

4. His successibus ab Hispanis Sertorius in cœlum tolli; hoc imperatore sibi decus, divitias, victoriam quisque spondere. Neque ille omittebat omni arte parare novorum amicorum, retinere veterum benevolentiam: comiter appellando singulos, donando ob virtutem armis, auro atque argento ornatis, sagulisque pictis, et Romana disciplina exercitum ad speciem et robur instruendo. Sed et nobilissimos ex amicis populis pueros, ludo Oscæ instituto, Græcis Latinisque literis curabat erudiendos, civitatem Romanam promittens, ubi adolevissent. Et hi quidem Sertorio usum obsidum præbebant: sed quia nominis invidia aberat, securi vacuique suspicione parentes, ultro liberali et honesta suorum educatione lætabantur.

Tac. Germ.
c. 14. Nic.
Damasc.
LXVI. ap.
Athen. VI.
13.

5. Mos vetus Germanorum Gallorumque per Celtiberos in Hispaniam introductus fuerat, ut principibus virtute præstantes viri comites se adjungerent, indiscreta familiaritate lætorum adversorumque, atque etiam mortis, socii.

Sall. In-
cert. 16.
Plut. Sert.

Nam, ne quis, amisso duce, vivus ex acie reverteretur, devotione terribili astringebant fidem. Horum major, quam cuiquam alias, Sertorio numerus apparebat. Multa enim eum in has leges millia sequebantur: feruntque aliquando, fuga ad urbem quandam facta, portisque turbam morantibus, devotos illos abjecta suæ salutis cura, Sertorium per sua corpora ad medium quasi murum extulisse, ut deinde superastantium manibus in summum attraheretur.

Sall. Hist.
I. 22.

Plut.

6. Nec dissimili fama atque caritate apud Italianos milites celebrabatur. Nam Perpernae milites, quod ille, nobilitate et opibus potior, cedere Sertorio recusabat, indignabantur: nec ultra passi, quam donec per Pyrenæum saltum Pompeius adventare auditus est, ut ad Sertorium duceret postularunt; 'ni duxisset, sua sponte ituros.' Idcirco Perperna, quod summum tenere locum nequibat,

proximum utique non abjiciendum ratus, cum ingenti pecunia tribusque et quinquaginta cohortibus ad Sertorium venit.

7. Hac tanta accessione ferociores Hispani, quorum undique magna vis ad castra Sertorii concurrerat, insolentioribus quotidie vocibus pugnam flagitabant. At Sertorius, non minus cautus, quam acer, imperator, neutiquam conducere rebus suis existimabat, ut præter rationem belli seque et exercitum non necessariis casibus objiceret. Postremo, quia nulla jam ratione coliberi hominum impetus poterat, turmæ equitum ut lacesseret hostem permisit: deinde laboranti summisit alias: atque ita citra magnæ noxæ experimentum docuit, quis exitus flagitamam pugnam mansisset.

Suid. in
Σεπτάπιος.
Plut.

Suid. Plut.

8. Igitur, ut quoque in posterum obsequentioribus uteretur, jussis in concionem assistere militibus, duos equos produci imperavit, prævalidum alterum, alterum mire exilem. Valido deinde parvum hominem et contentibilem aspectu, exili magnum robustumque admovit, præcepto, ut robustior ille gracilis equi caudam universam abrumperet, valentis singulos pilos infirmus velleret. Atque, illo inter plurimum omnium risum magna vi nequicquam adhibita defatigato, cum gracilis quod imperatum erat confecisset, versus ad suos Sertorius, ‘Jam,’ inquit, ‘quod mihi sæpe monenti noluitis, oculis, opinor, vestris creditis, milites. Quanto plus perseverantia, quam impetus valeat, sub claro exemplo didicistis. Romani exercitus hac imagine vobis ostensa natura est: quem universum qui aggrediatur, nihil aget; per partes carpenti minime erit insuperabilis.’

Frontin.
Strat. i. 10.
et iv. 7.
Val. Max.
vii. 3.
Plut.

9. Per hæc conversis animis suorum, et ad accipienda quælibet apertis; ‘Rem se facere non nisi rarissimam et magna de causa probabilem,’ ait, ‘qui gerendi belli rationem exercitui reddat imperator. Sed facere semel, ut ostenso cognitoque a quali duce, et qualibus consiliis regantur, post hæc etiam celanti animum suum læti atque securi obediant. Neque enim sibi deesse ferociam, siquidem robore et impetu posse obtineri victoriam putaret: idque tot præliis compertum, quibus miles, tribunus, le-

gatus, imperator, suæ alienæque vitæ juxta pepercisset. Ceterum ita se videre comparata esse præsentia, ut nulla sit, nisi qua instituerit ducere, ad salutem via.

10. ‘Laudare se quidem animos cuilibet discrimini promptos, et timori impenetrabiles. Sed eo ipso dignos arbitrari, qui nullum aut modicum ad usum temere non prodigantur. Sed neque ignaviæ cuiquam auctorem esse. Quin ultro indicere expeditiones, pugnas, itinerum operumque multiplicatum laborem. His enim rebus se confidere, quibus adhuc contra tot duces et magnos exercitus cum modicis copiis invictus stetisset. Olim se scire, plerosque omnes præ nimio ardore ad summæ rei dimicationem animis votisque properare: sed suis artibus effectum, ut et bellum sustineretur egregie, et Perpernæ daretur spatium tantas adducendi copias: quæ profecto, si ante tempus in unius certaminis aleam descensum foret, non fuissent habituræ quocum se conjungerent.

11. ‘Nunc vero aucti tanto exercitu, neque ipsi nos trademus inertiae, neque hosti quicquam temporis tutum aut quietum esse patiemur. Sed nec temere a priori ratione belli gerendi recedemus. Romanam aciem, si viribus ac locis æquis congregiare, sine summo tuo periculo damnoque haud sustinueris. At ego vobis ita constrictam locis, turbatam improvise metu, vigiliis laboribusque eneectam dabo, ut citra noxam meorum militum concidatur.

12. ‘Omnia quæ ad hunc obtinendum finem faciunt, pro nobis sunt. Locorum ingenium, quibus a pueritia assuevistis, et perinde scientia; velocitas ingenita Hispanis; famis, sitis, æstus, laboris patientia. Quibus rebus ita fatigabimus¹ statarias hostium copias, ut quandoque se victas ante sentiant, quam a quibus oppugnentur cognoverint. Scio nobiscum esse, qui Viriathini belli meminuerint. Iis consilium meum haud difficulter approbabo. Juniores satis habeant, animos promptos, arma expedita habere, ut feliciter expertum ducem, ad gloriam et opus recto itinere præeuntem sequantur.’ Ita condoccfactis

1 *Fatigavimus* edd. ante Crev.

barbaris, cum illorum viribus, ingenio suo uteretur, multa prospere gessit, aliquot urbes expugnavit, plurimasque Liv. Epit. civitates in potestatem suam redegit. Unde non minori admirationi, quam terrori hostibus erat.

13. Sed præcipuam ei calliditatis famam peperit Chalciditana expeditio, qua gentem feram, non urbes aut vicos, sed magnum et arduum collem plurimis speluncis in aquilonem versis supra Tagum incolentem, subegit. Ibi dum circa inaccessum collem obequitans adversus tutos loco barbaros inanes minas jacit, et pudore recedendi multa volvit animo, Cæciam animadvertit in adversas speluncas flare: edoctusque ab accolis, id eo tempore anni solitum illis regionibus esse, milites excidere glebas ex circumjecto agro, et contra speluncas comportare in aggerem jubet; multum irridentibus montanis insanæ molitionis vanitatem, quod putabant ad oppugnandum altissimum collem id institutum pertinere. Inter hæc Sertorius sub noctem suos reduxit in castra.

14. Postridie, cum flare ventus cœpisset, et ex congesta humo pulverem in altum efferre, militibus inmissis, subruere ex imo cumulum illum jussit, terramque levem admodum et friabilem comminuere. Atque illa labore hominum equorumque ultro citroque super eam discurrentium, ungulis trita, cum a vento rapta in aërem tolleretur; statim densa quædam nebula speluncarum ostia fenestrasque obturavit: neque jam aut lucis usus supererat, aut reciprocandæ animæ purus suppetebat aër: nec enim aliam in partem apertæ illorum habitationes, aut ulla ducendi spiritus copia dabatur. Biduo tamen sustinuerunt hoc malum obsessi: tertio die, quia perseverante vento suffocabantur, sunt dediti.

15. Dum hæc geruntur, in Hispaniam Pompeius venit, Plut. Pomp. c. 28. arrectique omnium animi erant, ut solet, ad novi imperatoris famam: multique populi, qui minus constanter adhærebant Sertorio, janjam mutaturi socios videbantur. Sed insperatus ad Lauronem casus et dubios in officio retinuit, et fidos confirmavit. Plut. Sert. Sertorius eam urbem obsidebat, cum universum exercitum suum, apud Pallantiam Oros. v. 23. Plut. Sert. convenire jussum, succursurus obsessis Pompeius adduxit.

Tumulus haud procul urbe visebatur, quem qui prior occupasset, magna erat ex loco commoda habiturus. Utroque duce properante, Sertorius cum praevenisset, exclusus ea spe Pompeius haud eo minus læto animo agebat, quod inter suum exercitum et Lauronem interclusas Sertorii copias tenere rebatur. Igitur missis ad Lauronenses nuntiis, bono animo esse jubet, atque considentes in mœnibus obsessi obsessoris spectaculo frui.

16. Sertorius, jactantia Pompeii comperta, ridens ait, ‘ se discipulum Syllæ’ (sic appellabat eum ludibrii causa) ‘ docturum, debere plus respicere imperatorem quam prospicere.’ Simul ostendit obsessis sex millia peditum prioribus in castris relicta, ut Pompeium, si in se movisset signa, a tergo aggredierentur. Ita Pompeii gaudium irritum cito in gravem verecundiam vertit. Nam serius errore cognito, cum neque invadere Sertorium, ne circumveniretur, auderet, neque præ pudore Lauronem sustineret relinquere; pereuntium sociorum spectator otiosus sedebat.

Frontin.
Strat. II. 5.

17. Dum ita vicina castris castra duo imperatores habent, Sertorius talem dolum machinatur. Duæ tantummodo regiones erant, ex quibus peti pabulum posset, una in propinquo, altera longius sita. Sertorius ulteriorem ab armatis adiri vetuit: citimam subinde per levem armaturam jussit infestari. Sic ad extremum fides adversis partibus facta, tutiorem esse, quæ erat remotior; magnusque eo Pompeianorum numerus pabulatum profectus est.

Sall. Hist.
III. 13
Front.

18. His a Sertorio triplices insidiæ per idoneos saltus ponuntur, missis Octavio Græcino cum decem cohortibus, in morem Romanorum armatis, et totidem levis armaturæ Hispanis, Tarquitioque Prisco cum duobus millibus equitum. Illi strenue imperata faciunt: explorataque locorum natura, in vicina sylva prædictas copias noctu abscondunt, ita ut in prima parte leves Hispanos, gentem ad furta belli peridoneam, ponerent; paulo interius scutatos; in remotissimo equites, ne fremitu equorum destinata proderentur. Quievere omnes silentio servato in horam tertiam diei. Cum deinde Pompeiani securi gra-

vatique pabulo de reditu cogitarent, et hi quoque qui in statione fuerant, quiete invitati ad pabulum colligendum dilaberentur; emissi primum Hispani, velocitate gentili in palantes effunduntur, et convulnerant confunduntque nihil tale expectantes. Prius deinde, quam resisti his inciperet, scutati erumpunt e saltu, et redeuntes in ordinem consternant vertuntque. Fugientibus equites immisi, toto eo spatio, quo redibatur in castra, persecuti cædunt. Curatum quoque, ne quis effugeret. Nam præmissi per compendia itinerum ducenti quinquaginta equites, quos in hunc usum opperiri duces jusserant, antequam ad castra Pompeii perveniretur, conversi, occurrerunt eis qui primi fugerant.

19. Ad cujus rei sensum Pompeio immittente legionem cum Lælio in præsidium suorum; subducti in dextrum latus specie cedentium equites, mox circumitu legionem abs tergo infestarunt, cum jam etiam a fronte Sertoriani, qui pabulatores persecuti erant, incursarent. Sic legio quoque inter duas acies hostium cum legato elisa est. Ad cujus auxilium Pompeio universas educente copias, Sertorius quoque e collibus instructum ostendit exercitum, effecitque ne Pompeius progredereetur. Ita præter duplex damnus, eadem solertia illatus, spectatorem quoque eum cladis suorum constituit. Hoc primum prælium inter Sertorium et Pompeium fuit. Decem millia hominum de Pompeii exercitu, cum jumentis et calonibus amissa sunt. Pompeius vix reliquias incolumes reduxit.

20. Hic eventus etiam Lauronensium fregit animos, neque diu contati, concesserunt in Sertorii fidem. Is prædam militi concessit, edicto, liberis corporibus uti parceretur. Direptam deinde urbem incendit, non crudelitate, a qua vix ullus unquam dux alienior fuit; sed ut ex tauta existimatione Pompeio contemptus apud barbaros oriretur, quo inspectante, et tantum non flammis incensæ calefacto, urbs socia et amica deflagrasset. Lauronenses qui obsidioni superfuerant, in Lusitaniam Sertorius deduxit. In ea direptione miles quidam, muliere Lauronensi præter naturam abusus, oculis mulctatus est, quos directis in eos digitis mulier effoderat. Re ad in-

Appian.
Civ. l. 1.
Front.

Jul. Obs.
Front.

Appian.

Plut. Sert.
Appian.
Oros.

Plut.

Oros.

Appian.

peratorem delata, cum facta et causam didicisset, infensus tanto militiæ dedecori, integram cohortem, hoc genus flagitiis famosam, licet Romana esset, delevit. Pompeius

Sall. Hist. tamen impetum Sertorii victoris, quanquam novis militibus, et multo paucioribus, sustinuit: nam adversus sexaginta millia peditum, novem equitum, non ultra triginta

peditum millia, et mille equites adduxerat. Hæc ea æstate in Hispania gesta. Cum deinde tempus anni adversum expeditionibus esse cœpisset, diversi imperatores

in hyberna discesserunt. Cn. Pompeius et Q. Metellus circa Pyrenæum inter sævissimos hostes in castris hyemaverunt: Sertorius cum Perperna in Lusitaniam profectus est.

21. Per hæc tempora continuum fere cum Thracibus bellum erat, perpetuo incursantibus Macedoniam. Et

quanquam acriter a Dolabella repressi, justissimusque de iis ductus triumphus erat; cum Ap. Claudio successore

Dolabellæ multis, sed levibus præliis concurrerunt. Quibus victis, Appianus, per Rhodopæas gentes, magno cum labore in Sarmatas usque pervenit. Sed inter asperrimas

gentes, ubi cum Mædis varie dimicavit, curis et ægritudine fatigatus in morbum incidit, ex quo est in provincia mortuus.

22. Jam Romæ Cn. Octavius, M. F. Cn. N. C. Scribonius Curio consulatum acceperant.* Tum Reatinorum improvisa clades in prodigium versa. Quippe terræ motu ædes sacræ in oppido agrisque commotæ; saxa quibus forum stratum erat, discussa; pontes interrupti; ripæ labentis fluminis in aquam provolutæ; fremitus inferni exauditi fuerant. Paucis abinde diebus, quæ concussa erant corruerunt. Saxum vivum cum provolveretur, non sine stupore visentium in præcipiti rupe immobile stetit. Aliud deinde nuntiatum prodigium est, quod

scintillam e stella cadere, et augeri terræ appropinquantem, ac postquam Lunæ magnitudine facta esset, illuxisse ceu nubilo die;² dein cum in cælum se reciperet, lam-

Plin. II. 35.

2 Ex Plin. correxit Crev. Edd. præcc. habent *dici*.

* A. U. C. 676. A. C. 76.

padem factam Junius Silanus proconsul cum comitatu suo Pigh, Ann. 677.
viderat.

23. Hoc forte nunquam antea visum annotatumve movit patres, ut de Sibyllinis carminibus colligendis referri Fenest. ap. Lact. de Ira Dei c. 22. fuerat, incendio ædis illius consumptum erat. In eam le- et Instit. i. 6. gationem P. Gabinus, M'. Otacilius, L. Valerius lecti. Dion. iv. 70. His negotium datum, ut Erythras præcipue adirent, quæ patria Sibyllæ dicebantur, ad describenda quæ ibi pro Strab. xiv. p. 645. Sibyllinis celebrarentur. Per hos aliosque (nam et Samo Tac. vi. Ann. 12. quædam allata sunt, et Ilio, per Africam etiam et Siciliam, et Italicas colonias, etiam a privatis conquisita) Dionys. magnus librorum numerus in urbem comportatus est: et quia multa vana inerant, sacerdotibus mandatam, ut quantum humana ope posset, vera a falsis discernent. Nec in tam cæco negotio, certius aliud, quam per acrostichidum, ut vocant, indicia, repertum discrimen,^c Terentius Varro doctissimis, sed iisdem ineptissimis, Rerum Divinarum libris prodidit.

24. Eodem anno, postquam primum ver apparuit, re- Appian. sumptum acriter in Hispania bellum est, multaque et cruenta prælia facta. Tandem apud Italicam Baticæ urbem Oros. Q. Metellus, et Sertorii quæstor L. Hirtuleius, totis viribus congressi sunt. Metellus adversus hostium celeritatem ac ferociam, haud paulo minus viribus quam consilio tribuebat: tam diligens celandi quæ cogitaret, ut interroganti, 'quid postera die facturus esset,' responderit; 'Tunicam meam,^d si cloqui posset, comburerem.'

25. Igitur insignem, quam tunc adeptus est victoriam, non tam militum lacertis, quam ingenio suo debuit. Ori- Front. ii. 1. ente protinus die Hirtuleius instructam aciem vallo ejus admoverat: neque mora esset, si suos audiret, quin statim contra exiretur. Sed prudens imperator, intra castra retento exercitu, geminam utilitatem percepit: spatium

^c Nec ... certius aliud, quam per acrostichidum ... indicia repertum discrimen] Nimirum acrostichides indicium sunt falsitatis. Hæc est mens Dionysii, non satis clare a Freinshemio

Delph. et Var. Clas.

expressa. Crev.

^d Tunicam meam] Hoc dictum Metello Macedonico tribuitur ab Auctore de Viris Illustr. et a graviore longe teste Plutarcho in Apophth. Rom. Crev.

Livius.

nactus quo consideraret hostium aciem, eandemque (fer-
vidissimum enim anni tempus erat) caloribus conficiendam

- Front. II. 3. relinqueret. Idcirco cum, quod roboris in hostili exercitu
erat, in media acie stare comperisset, sic instruxit edocuit-
que suos, ut cornua longius protenta prius cum oppositis
congrederentur, quam mediæ acies confligerent. His ita
Front. II. 1. ordinatis, sub sextam diei horam exercitum eduxit.

26. Recens Metello miles, curatis corporibus, viribus
integris pugnam capessebat; Sertoriani stando fessi, ma-
gis etiam æstu fatigabantur: et quia Metellus mediam
Front. II. 3. aciem reducerat, fortissimæ quæque cohortes si starent,
otiosæ manebant; sin procurrent in hostem, hic quoque
novus labor prioribus molestiis accedebat. Inter hanc
dubitationem pulsus utrimque cornibus ita circumveniun-
tur, ut neque repugnando servari, neque erumpere ad fu-
gam possent. Ibi vehementissime dimicatum est, ita
Sall. Hist. II. 8. promptis avidisque ducibus, ut Metello in sagum, Hirtuleio
in brachium tela venirent. Neque tam virtute, quam,
Oros. quibus diximus rebus, inferiores Sertoriani extiterunt. Ita
viginti millibus militum amissis, pauci in Lusitaniam cum
duce refugerunt. Neque tamen ille cladi suorum diu su-
perstes fuit, dum, reparatis viribus, fortunam denuo tentat,
Liv. Epit. Flor. III. 22. cum fratre ad Segoviam interfectus. Quo tempore bar-
Front. II. 7. barum, qui forte evaserat, nuntium cladis Sertorius, cum
maxime pugnam adversus hostem ciens, e vestigio pu-
gione trajecisse dicitur; veritus ne inter milites vulgata
rei fama animos eorum alienissimo tempore infringeret.

27. Magnum enim omnino incommodum acceperat, in-
signi duce, multisque fortissimorum virorum millibus de-
perditis. Sed nemo temere tum ad alios belli casus, tum
in reparandis cladibus, Sertorio dux melior erat: cum in-
victus ipse, legatorum culpa fortunave vulneratam causam
mirabili semper celeritate consilioque restitueret. Unde
ingens viri nomen, quotidieque majus, ne quidem Europæ
finibus continebatur, quin Asiam quoque et Pontum im-
plerent ejus laudibus, qui ex occidente adventabant.
Quod non ultimum incitamentum Mithridati fuit, cur ter-
tii belli, sibi que ad postremum exitiosi aleam subiret; ela-
tum regis animum aliis etiam stimulantibus causis.
- Appian. Mithrid.

28. Quippe, post remissam a Sylla legationem, Cappadociam Ariobarzani, uti jussus erat, restituerat. Cum alios oratores scribendi fœderis causa Romam ablegasset, iterum spe sua frustratus est, quia, mortuo jam Sylla, magistratus civilibus turbis impediti de eo negotio non retulerunt. Igitur Mithridates ultionis cupidus, et sibi adhuc diffisus, Tigranem subornat; facilius conjicientibus rem Romanis, quam ad prohibendum paratis. Ille Cappadociam velut indagine cinctam evacuavit, abactis hominum ferme trecentis millibus, et urbibus Græcanicis duodecim evastatis. Hos in Mesopotamiam, agris juxta Tigranocertam ad incolendum attributis, transtulit, majoremque partem urbis ex eo genere frequentavit. Curæ enim habebat rex longe superbissimus, ut urbs, ubi sibi diadema Armeniæ imposuerat, quamque de suo nomine voluerat appellari, magnificentissimo murorum ambitu, maximaque hominum et ædificiorum multitudine ornaretur. Hæc dissimulare Romanos non externa tantum bella, sed etiam urbani motus, coëgerunt.

Strab. XI,
P. 532. et
XII. p. 539.
Appian.

29. De tribunatu, cujus omnem fere potestatem Sylla extinxerat, certabatur. Nam, illo mortuo, plerorumque erecti animi fuerant, restitutum iri jus populi sperantium, nisi Q. Catulus acta Syllæ constanter defendisset. Proximis deinde consulibus, agente L. Sicinio tribuno plebis, tumultuatum: isque statim cum D. Bruto et Æmilio Mamercio impar fuisset, cum acriore viro, Curione, malo suo fato, commissus est.

Sall. Hist.
III. in Orat.
Maeri trib.
pl. Ascen.
in Div.

Cic. Brut.
c. 60.
c. 59.

30. Vehementer eum accusabat Curio, ut erat ei sermo splendidus et copiosus, quod 'reipublicæ vix e tantis claudibus respiranti, denuo civilium bellorum metum intestine seditionis fax et auctor admoveret. Quasi enim parum molesti Perperna ac Sertorius forent; quasi nesciretur quæ Mithridatis, quæ Tigranis essent consilia; quasi Macedoniam et Achaiam a Thracibus lacerari, nihil ad rempublicam pertineret; ita novos subiinde in ipsa Urbe exoriri Cinnas atque Marios, qui sævius quam ulli hostes civitatem vexent premantque. Scilicet hunc Sicinium apud levem et seditiosam turbam ipso nomine favorabilem, haud minus turbarum daturum credi, quam antiquis

Liv. II. 32. temporibus, educta in Sacrum Montem plebe, nescio quis Sicinius dederit. Nisi tamen hic tanto est deterior, quod non contentus jure tribunitio, quatenus tolerabile civitati et populo salutare est, quale majores vestri unice desiderarunt, licentiam sibi miscendi omnia, et rempublicam arbitrato suo agendi ferendi postulat.

31. ‘ Annon satis modo pœnarum dedimus, quod hominibus turbulentis, ambitiosis, audacibus, stultis adolescentibus, populum quo vellent agitandi concessa potestas est? Unde enim Gracchanæ Apuleianæque seditiones; unde mox Marianus Cinnaeque furor, nisi ex tribunitiis rogationibus? Hoc igitur audes dicere, Sicini? Talem mihi potestatem depono, qualem Sempronii Saturninique habuerunt: ego rempublicam constituam scilicet; ego leges, quibus obediatis, feram. Infelix scurra, tu isto tuo impudenti ore flagitium tale proferre ausis? Tua ista insignis et prodigiosa stultitia, tua improbitas, tuæ illæ sordes in hac se republica jactabunt! At nos merito nostro miseros, si nunc Sicinium feremus regem, qui nuper Æmilium non tulimus. Scilicet apparebat, quam efficax ad subruendam rempublicam cuniculus effoderetur, si, quod ille sub honesta specie petebat, leges Syllæ, quibus, tanquam firmissimo vinculo concordia statusque civitatis hujus continetur, abrogarentur.’

Cic. Brut.
c. 60.

32. Hæc atque talia dictitantem non tam oratione Sicinius, quam clamoribus et improba dicacitate refellebat. Erat enim homo perquam ridiculus; et scurriliter factus, omnes civitatis principes ac magistratus exagitare consueverat. Memoraturque a solo M. Crasso petulantiam abstinuisse; interrogantibus, cur soli omnium huic parceret; respondere solitus, ‘ fœnum in cornu habere.’ Sed a Curione minime temperabat, quin et de republica cum eo contenderet acriter; et inconcinnum consulis in dicendo motum dictis procacibus irrideret; et corpore ac lingua percitum, et inquietum, nomine histrionis vix sani Burbuleium appellaret. Igitur cum in magistratu esset occisus, penes Curionem invidia necati fuit: tribunatusque desiderium, paulisper repressum eo facinore apud plebem Romanam, non multo post vehementiore nisu erupit.

Plut. Crass.
c. 13.

Cic. et
Quint. XI. 3.
Plin. VII.
12. et Val.
Max. IX.
14. et Sall.
Hist. II. 6.
Sall. Hist.
III. in Orat.
Macri.

SUPPLEMENTUM

LIBRI XCII.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

1. **E**ADEM æstate, qua victus et occisus a Metello L. Hirtilius erat, Sertorius et Pompeius, collatis apud Surobrona oppidum signis, ambiguo Marte dimicarunt. Ab ambobus erat properatum, ut adventum Metelli occiperent: dum Sertorius auxiliatorem hostis prævenire studet; Pompeius consortem gloriae. Animosus enim rebus prospere gestis, quod Segidam nobilem Celtiberiæ urbem ceperat, et secundo ad flumen Durium^a prælio ducem hostium C. Herennium cum decem amplius hominum millibus, et urbe Valentia, deleverat; solus cum Sertorio decertare cupiebat: ne sæva quidem tempestate territus, cum sereno repente cælo crebra cum ingenti fragore fulmina micarent. Dilata tamen in vesperam pugna est, Sertorii astu, qui hostibus, locorum ignorantia, noctem^b

Flor. III. 22.
Liv. Epit.

Plut.
Sert. c. 30.
et Pomp.
c. 9.

Oros. v. 23.
Sall. Hist.

III. in Epist.
Pomp.
Plut. Pomp.

Appian.
Civ. I.

Plut. Sert.

^a *Ad flumen Durium*] Sic potius flecti amat hujus amnis nomen, licet Strabo cum l. III. p. 152. vocet Δουβέλαν. Hic quoque legebatur *Duriam*. Nos communem usum sequi maluimus. *Crev.*

^b *Qui hostibus, locorum ignorantia, noctem*] Addidimus ultimam vocem, quam omissam librario-

rum culpa credimus. Atque id postulat Plutarchus, cujus hæc sunt verba: οἰόμενος ξένοις οἴσει καὶ ἀπέροις τῶν χωρίων τοῖς πολεμίοις τὸ σκότος εἶσεσθαι καὶ φεύγουσιν ἐμπόδιον καὶ διώκουσι. Qui existimabat peregrinis hostibus et locorum ignavis tenebras et ad fugiendum impedimento fore, et ad persequendum. *Crev.*

neque ad fugiendum, neque ad persequendum, qualiscumque sors prælii fuisset, utilem fore prævidebat.

2. Forte sic evenerat, ut Sertorius contra Afranium in acie consisteret, Pompeiusque cum Perperna^c congressus impelleret illum, cæderetque. Quare Sertorius propere, commisso aliis ducibus dextro cornu, succurrit laborantibus, et alios circumspectantes fugam, alios jam palantes colligit, Pompeiique victoriam gnaviter urgentis impetum sistit. Ibi vir vasta corporis magnitudine in Pompeium equitem pedes se intulit: consertisque ensibus dextram alterius alter petiit. Sed æquior Pompeio sors fuit: et accepto vulnere, manum hostis amputavit. At multis in eum se incitantibus, cum etiam hasta in femore graviter læsus, a suis fugientibus desereretur, præter spem evasit. Equus auro phalerisque eximiis adornatus, dum captus ab Afris divitis prædæ objectu altercantes inter se barbaros a persequendo retinet, effugium domino dedit.

3. Dum hoc cornu, in quo Pompeius curaverat, vincitur, vicissim hi a quibus Sertorius discesserat, ab Afranio vertuntur in fugam; adeo percussis mentibus,¹ ut ne castra quidem defenderent, quominus ab Afranianis eodem impetu victoriae perrumpentibus diriperentur: frustra ventante legato, quia Pompeii fortuna qualis fuisset ignorabatur; quia tenebrae jam oborientes obtentui delinquentibus erant. Sed acerbam eis prædam Sertorius effecit, qui reversus a persequendo statim adortus est Afranii turbatas incompositasque cohortes, et magna cum cæde ex castris suis ejecit.

4. Cum ita discessum esset, ut fisis utrimque singulis cornibus, damno quoque non valde inæquali, (decem milia Pompeius, haud multo pauciores Sertorius, desideraverant) de victoria neutri concederent; postridie simul illuxit, iterum educti sunt exercitus, præliumque sperabatur.

1 *Hostibus* edd. ante Crev.

^c *Pompeiusque cum Perperna*] pugnæ affuisse Plutarchus et Plutarchus nullam hoc loco Perpernae mentionem facit. Appianus eum nominat, sed pulsum esse ait a Metello, quem huic Livii Epitome negant. Hac in re eos sequitur Freinshemius: tantum ex Appiano desumit Perpernam. Crev.

Œd propinquante Metello, Sertorius dixisse fertur: ‘Nisi anus ista supervenisset, ego hunc puerum verberibus castigatum Romam dimissem.’ Idcirco cum duobus congregari nolens, dimisit suos, admonitos, quem in locum convenire vellet. Eos enim ita dudum assuefecerat, ut ad ducis imperium diffluerent aut colligerentur: et ipse, nunc solus, per loca quæ vagando venandoque de industria pererrare consueverat, palaretur; nunc centum quinquaginta millibus armatorum stipatus incederet.

Front.
Strat. II. 13.
Plut. Pomp.

5. At Pompeius, Metello venienti honoris causa obviam pergens, ubi in conspectu fuit, summitti fasces a lictoribus suis, ut dignitate superiori, jussit. Metellus neque id passus est fieri, neque ulla in re quicquam usurpavit præcipui, nisi quod, quoties una tendebant, universo exercitui signum ab uno Metello dabatur. Consilio tamen senis plerumque Pompeius acquiescebat, digno inter cetera quod narretur documento. Junctis uterque copiis sæpe diuque Sertorium provocaverant, contra duos pugnare recusantem; donec, animadverso milites Sertorianos, incredibili ardore instinctos, humeris exertis, lanceisque vibratis, pugnam deposcere, Metellus recepit exercitum, et Pompeio idem faciendi auctor fuit.

Front. II. 1.

6. Sed inter superioris pugnae trepidationem amissa cerva candida macerabat Sertorium, ita ut compluribus diebus, non sine irrisu hostium, a rebus gerendis abstineret. Nam ad inclinandos quo vellet barbarorum animos, illo animali, quasi machina quadam utebatur. Erat enim insigni forma, colore candido, et sic assueta Sertorio, ut audiret vocantem, euntemque sequeretur. Hanc ille Dianæ donum esse fingebat, et superstitiosæ genti quidlibet persuadebat ab hac per quietem edoceri. Sive hostes aliqua irrupturos compererat, ab hac se dicebat admonitum: sive res a suis bene gestæ erant, occultatis qui retulerant, cervam producebat ob faustum nuntium coronatam, jubebatque honorem habere Diis cito lætum aliquid gratumque audituros. Sertorius igitur non cervam, sed quam illa conciliabat utilitatem perisse moleste ferebat.

Plut. Sert.

Appian.

Front. I. 11.

Plut.

A. Gell.

xv. 22.

Plut.

7. Idcirco, cum nocte quidam errantes ex colore agnitam comprehendissent, scirentque magnam se ab impera-

- tore gratiam hoc facto inituros, diligenter nuntiarunt. Ille grandi promissa pecunia, si rem tegerent; et si vulgassent, supplicium interminatus, præcepit ut eam postero die repente in eum locum ubi jus reddere erat solitus inmitterent. Ipse vultu hilariore in publicum progressus, principibus Hispanorum qui tum aderant, dixit, 'in quiete sibi visum esse, cervam quæ perierat, ad se reverti; et pristino more, quid facto esset opus, prædicere.' Inter hæc dimissa ex composito cerva, ubi Sertorium conspexit, lætis saltibus ad tribunal fertur, et genibus ejus capite imposito, dextram sedentis (nam frequenter ei gratum aliquem cibum clam obtulerat) ore contingit. Clamor inde factus, et orta admiratio est, tantumque ea persuasio, Diis carum hunc ducem esse, in animis mobilissimorum alias hominum valuit, ut ex iis nationibus neminem unquam ab eo defecisse, cum esset multis præliis superatus, memoriæ proditum sit.

8. Sed tum maximo hominum concursu, lætus successu fabulæ Sertorius, et animos sponte in superstitionem præcipites magis impulsurus, vultu ac voce in speciem religione incensi composita, 'Sunt,' inquit, 'Dii: nec sunt modo, sed etiam nobis favent! Mittat sane Roma Pompeios suos, mittat Metellos. Utinam et regum ille dominator, terror omnium gentium, Romanæ libertatis oppressor Sylla revivisceret, ut majora nomina vinceremus. Nam, ut hæc quidem res eunt, favorem Deorum in tam manifestis indiciis non agnoscere, insanum; non æstimare, impium foret. Quid minus dare quam victoriam possunt, quibus tanta victoriæ non præsagia tantum, sed adjuncta miserunt? Quantum enim in eo esse putemus, quod toties monitu Dianæ clandestina hostium consilia sacrum hoc animal indicavit; loca, tempora, agenda omittendaque docuit; rerum bene gestarum nuntium, bene gerendarum prænuntium fuit? Neque hæc a me fingi, sicut existimari hostes vellent, ipsi præclare intelligitis, bonorum istorum sæpe socii, participes, testes.

9. 'Cur autem, o milites sociique, ad vetera provocamus? En vobis præsens et grande documentum! Quid enim, o quid mihi nuntias, amica?' Simul cum his ver-

bis permulcens cervæ caput,^d quod iterum dextræ ejus admoverat, nominansque locum, ubi partem hostium castra nuper posuisse per exploratores didicerat, ‘Imus,’ exclamat, ‘imus, quo tua nos monita vocant, nemorum arcusque potens Virgo. Tu nobis tela intorquentibus aderis; tu venationem efficies uberem et secundam. Sed neque parum grati aut memores meritorum erimus. Tibi non jam ursorum cervorumque arma, sed victis hostibus detracta spolia suspendemus. Tibi pro feris sylvestribus cohortes legionesque procumbent.’

10. Hoc velut furoris æstro percussas militum mentes Sertorius videns, optimæque spei plenas, continuo duxit in hostem, levibusque præliis tempore ducto, donec convenirent, eum inter Segontiam et Tuttiam urbes, in ultimas angustias redegit. Tandem Romani magnis copiis pabulatum profecti, necessitatem imposuerunt Sertorio, ni reverti illos cum præda vellet, prælio dimicandi. Igitur equo adduci jusso commisit pugnam: certatunque est summis utrimque viribus, a sexta diei hora, donec stellæ cælo fulserunt. In eo certamine C. Memmius quæstor Pompeii, vir militiæ peritissimus, occubuit; et sex millia Pompeianorum sunt interfecta: de Sertorianis ad millia tria ceciderunt. Interim Metellus de Perperna exercitu ad millia quinque concidit.

11. Igitur, illatis in eam partem signis, Sertorius ipsum usque imperatorem pulsus obstantibus penetravit. Ille, quanquam senio gravaretur, fortiter restitit, animosque suorum, prope deploratis rebus, voce, manu, exemplo denique confirmavit. Sed immaue quantum animi exarsere, postquam vulneratum ictu tragulæ viderunt: tum enim pudore, ne deseruisse imperatorem dicerentur, et ea ætate virum, periculorum præ ira obliti, repulerunt hostes, et Metellum, scutis objectis protegentes, extulerunt ex acie.

12. Sertorius amissam e manibus prope certam victoriam dolens, vespera sequentis diei, cum magna ad eum

^d Simul cum his verbis permulcens cervæ caput] Quod hic legitur, et totam Sertorii orationem, apud nullum veterem scriptorem

reperimus. Videtur Freinsheimius in lepido argumento se jacitare voluisse. Crev.



auxilia Hispanorum venissent, castra Metelli subito oppugnare adortus est. Sed superveniente Pompeio, Calaguri montano et munito oppido, quod paucis inde millibus aberat, se inclusit,^e ut in se avocatis Romanis ducibus, tutum suis abitum præstaret. Romani cum neque persequi palantes, nec expugnare resistentes possent, gravibus ab eo damnis per continuas eruptiones affecti, jam tempore anni invitante, relictis ad obsidionem Calaguritanam idoneis copiis,^f in hyberna discesserunt. Hæc ita apud alios auctores reperio. Livius a Metello Sertorium et Perpernam cum duobus exercitibus fusos fugatosque scripserat; Pompeium partem victoriæ ferre cupientem, parum prospere pugnavisse.

Plut. 13. Certe Metellus imperatorem se ob fustum acie Sertorium appellari, adeoque omnibus humanis honoribus coli passus est, ut ne quidem a divinis temperaret. In ulteriorem Hispaniam regressus, magna gloria concurrentium undique virorum fœminarumque, vias ac tecta visendi causa replentium, spectabatur.

Sall. Hist.
11, 7. et 8.

14. Sed præcipuæ infamiæ cœna fuit, qua eum quæstor C. Urbinius, et, postquam hoc ille gratum habebat, alii deinceps exceperunt. Ædes aulæis signisque exornatæ,² scenæ ad histrionum ostentationem, sparsa croco humus, et alia in modum celeberrimi templi visebantur. Præterea sedenti transenna demissum Victoriæ simulacrum cum machinato strepitu tonitruorum coronam capiti imponebat. Triumphalis plerumque habitus erat accumbenti: epulæ quæsitissimæ, non per omnem modo provinciam, sed trans maria ex Mauritania petita volucrum

2 Ex Sall. correxit Crev. In edd. præcc. legitur *exornata*.

^e *Calaguri... se inclusit*] Sequitur Freinshemius veterem Epitomes Livianæ lectionem, quæ deinde mutata a Gronovio est. Hic enim pro *Calagurii* legi jussit *Clunæ*, ut ibi monimus. Crev.

^f *Relictis ad obsidionem Calaguritanam idoneis copiis*] Nihil tale habet Appianus. Sed ideo

hoc addidit Freinshemius, quod rursus anno sequente ad Calagurim Romani a Sertorio cæduntur, ut narrabitur infra c. 21. Sed si Clunæ, non Calaguri, se inclusit Sertorius, nullum jam locum habet hoc Freinshemii additamentum. Vid. not. ad c. 20. infra. Crev.

et ferarum incognita ante genera, inter puerorum virgini- Plut.
numque choros, apponebantur, hymnos accinentium,
quibus ejus victoriae celebrarentur. Nam adeo laudibus Cic. pro
suis delectabatur, ut etiam Cordubensibus poetis, pingue Arch. c. 10.
quiddam atque peregrinum sonantibus, aures suas de-
deret.

15. Et hæc faciebat, quia Sertorium propemodum vo- Plut.
luntate cedentem repulerat: cum eum sermonibus con-
temneret, 'Syllæ fugitivum, et Carbonianorum exulum
reliquias' appellando. Sed idem in caput ejus quater et
vicies[§] pronuntiari jusserat, si a cive Romano interficeretur;
si ab exule, reditum in patriam.

16. Inter hæc L. Octavius Cn. F. Cn. N.³ C. Aure- Eutrop. vi.
lius Cotta consulatum inierant.* Quo anno C. Scribo-
nius Curio Macedoniae proconsul, qui Appio successerat,
omissis, quas ille irritaverat, gentibus, in Dardania aspe- Oros.
rum bellum felici eventu gessit; et, aliquot subactis pop- Liv. Epit.
ulis, mulctaque imperata, quam certo tempore penderent, Sall. Hist.
in hyberna regressus est. Ea tam formidolosa militibus II. 2.
expeditio fuit, ut de quinque legionibus una circa Dyr-
rhachium obsequium detrectaret, secururam se temerarium Front.
ducem in asperam et insidiosam militiam negans. Sed Strat. iv. 1.
dux acerrimus, cum reliquas legiones in armis assistere 43.
jussisset, seditiosam legionem inermem procedere, et in Marcellin.
conspectu armati exercitus discinctam, stramenta secare, XXI. 26.
postero etiam die similiter fossam discinctos milites facere Front.
coëgit. Atque ita domiti cum infimis precibus obtesta-
rentur, ne signa legionis summitteret, nomenque aboleret,
nequitum est impetrari: signis ademptis soluta legio, mili-
tesque in ceterarum supplementum distributi sunt.

17. In Hispania Q. Metellus et Cn. Pompeius impe- Appian.
ratores iterum a Pyrenæis montibus ad flumen Iberum
castra moverunt. Hoc tempore cum multi subinde ad
Metellum transfugerent, mutare priorem mansuetudinem
Sertorius præcipiti ad pœnas iracundia cœpit, plurimis Plut.

3 Tà Cn. N. add. Crev. ex Fastis.

//////////

§ Quater et vicies] Marcus ar-
genti nostrates 9375. Addit ad
hanc pecuniam Plutarchus, quod

omitti a Freinshemio non debuit,
viginti jugerum agri millia. Crev.
* A. U. C. 677. A. C. 75.

Liv. Epit. amicorum et secum proscriptorum crimine proditionis in-
Appian. terentis. Unde paulatim odio esse exercitui, et vicissim
illum suspectare: neque animi priores militibus, neque
duci consilium esse.

18. Maxime molestum Romanis erat, quod plus barbaris Sertorius crederet; hos haberet custodes corporis, popularium fide damnata: quanquam illius gratia contra patriam arma ferrent, nec transfugarum, si qui essent, crimen in sacramento manentibus aliis recte imputaretur. Sed nihil erat acerbius, quam quod Hispani, favore ducis elati, tanquam in perjuros infidosque petulantia dicta jaciebant. In hac ægritudine animorum, tamen non omnino Sertorium deserebant, necessarium sibi ductum ejus judicantes, etiam cum amare amarique desiissent.

Sall. In-
cert. 11.

Plut.
Sert. init.

19. Erat enim vir bellicarum artium peritissimus, et adstruendas insidias artifex: eoque ab Hispanis Hannibal vocabatur, quo nullum iis locis versutiorem acrioremque imperatorem fuisse meminerant. Et ipse sic appellari gaudebat, cominus faciem ostentans, aliquot adversis cicatricibus, et effosso oculo deformem, quo ille dehonestamento corporis maxime lætabatur, quod is quoque casus et Pœno duci, et Philippo Antigonoque regibus se assimilaret: quos ille omnes, cum alium aliis virtutibus vince-ret, animi magnitudine, prudentiaque et velocitate consiliorum, æquabat.

Jul. Obs.
et Front. 1.
12.

Appian.

20. Tum quoque præter alias causas, erat exercitus solito segnior, quod scuta equitum parte exteriori, jaculaque et pectora equorum cruenta subito prodigio apparuerant. Sed ille formidinem suorum in audaciam vertit, sibi portendi victoriam interpretatus, quoniam ille partes solerent hostili sanguine maculari. Confirmatis igitur copiis, continua ei prælia cum successu fuerunt. Inter quæ Pompeium a Pallantia summovit, adeo rebus obsessorum extremis, ut suffossa mœnia trabibusque suffulta, incensis illis, Pompeiani subruerent. Sertorius instaurato quod ceciderat, rebusque necessariis urbe munita, Calagurim profectus, subito in castra obsidentium impetu,^h ad

^h *Calagurim profectus, subito* Freinshemius suam de obsidione
in castra obsidentium impetu] Calaguritana (de qua vide no-

tria hominum millia delevit. Pompeius ad Metellum se receperat, qui frequentibus incursionibus socias Sertorii civitates vexando, excisis castellis atque oppidis, incolas in Romanæ ditionis loca deportabat.

21. Dum ita inter Romanos duces, illis ad populationem agrorum, his ad urbium excidia conversis, alienæ discordiæ pœnas misera dat Hispania, ne urbanæ quidem res dissensione ac tumultibus caruerunt: annonæ præsertim inopia furorem plebis usque ad summi imperii contemptum, consulisque periculum extimulante. Quod quia non aliunde, quam ex oratione C. Cottæ cognosci potest, operæ pretium putavimus, quibus eam verbis Sallustius tertio Historiarum libro posuerat, huc transcribi.

22. ‘ Multa mihi pericula domi, militiæ multa adversa fuere, Quirites: quorum alia toleravi, partim repuli Deorum auxiliis, et virtute mea: in quis⁴ omnibus, neque animus negotio defuit, neque decretis labos. Malæ secundæque res, opes non ingenium mihi mutabant. At contra in his miseriis cuncta me cum fortuna deseruere. Præterea senectus per se gravis, curam duplicat: cui misero, senecta⁵ jam ætate, ne mortem quidem honestam sperare licet.

23. ‘ Nam, si parricida vestri sum, et bis genitus hic,¹ Deos Penates meos, patriamque, et summum imperium vilia habeo; quis mihi vivo cruciatus satis est? aut quæ pœna mortuo? cum omnia memorata apud inferos supplicia scelere meo vici. A prima adolescentia in ore vestro, privatus, et in magistratibus egi: qui lingua, qui consilio meo, qui pecunia voluere usi sunt: neque ego callidam facundiam, neque ingenium ad malefaciendum

4 Quibus edd. ante Crev.

5 Ex Sallust. correxit Crev. In edd. præc. legitur *acta*.

tas ad c. 12. supra) conjecturam secutus, ad eam Appiani verba accomodare voluit, dum voce *obsidentium* hic usus est, pro qua scriptor Græcus habet *στρατοπεδεύουσι περί τι χωρίον Κατάγυρον*, ad oppidum *Calagurim* castra habentibus. Crev.

¹ *Bis genitus hic*] Quia ab exilio revocatus. Infra, ‘ vos, Quirites, rursus mihi patriam... dedistis.’ Hic est nempe C. ille Cotta, sororis P. Rutili filius, qui lege Varia accusatus urbe cecisisse memoratur supra, lib. LXXI. c. 39. Crev.

exercui : avidissimus privatæ gratiæ, maximas inimicitias pro republica suscepi. Queis victus^k cum illa simul, cum egens alienæ opis plura mala expectarem ; vos, Quirites, rursus mihi patriam, Deos Penates, cum ingenti dignitate dedistis. Pro quibus beneficiis, vix satis gratus videar, si singulis animam, quam nequeo, concesserim. Nam vita et mors jura naturæ sunt : uti sine dedecore cum civibus fama et fortunis integer agas, id dono datur atque accipitur.

24. ‘ Consules nos fecistis, Quirites, domi bellique impeditissima republica. Namque imperatores Hispaniæ stipendium, milites, arma, frumentum poscunt : et id res cogit, quoniam post defectionem sociorum, et Sertorii per montes fugam, neque manu certare possunt, neque utilia parare. Exercitus in Asia Ciliciaque ob nimias opes Mithridatis aluntur : Macedonia plena hostium est : nec minus Italiæ maritima, et provinciarum. Cum interim vectigalia parva, et bellis incerta, vix partem sumtuum sustinent. Ita classe, qua commeatus vehatur,^l minore quam antea navigamus.

25. ‘ Hæc si dolo aut socordia nostra contracta sunt, agite, et, uti lubet, ita supplicium sumite : sin communis fortuna asperior est, quare indigna vobis nobisque et republica incipitis ? Atque ego, cujus ætati mors propior est, non deprecor, si quid ea vobis incommodi demitur : neque mors ingenuo corpori honestius, quam pro vestra salute, finem vitæ fecerit.

26. ‘ Adsum en C. Cotta consul, facio quod sæpe majores asperis bellis fecere ; voveo dedoque me pro republica : quam deinde cui mandetis circumspicite. Nam talem honorem bonus nemo volet, cum fortunæ, et pacis, et belli ab aliis acti ratio reddenda, aut turpiter moriendum sit. Tantummodo in animis habetote, non me ob scelus aut avaritiam cæsum, sed volentem pro maximis

^k *Queis victus*] Sallustii editiones habent *qui victus*: quod non sine causa displicuit Freinsheimio. *Queis* sive *quis* præferunt scripti, testibus Ciacconio et Carrione. *Crev.*

^l *Classe, qua commeatus vehatur*] Et hic quoque Freinsheimius levi mutatione Sallustium juvit, apud quem legitur *vehabatur*. *Crev.*

beneficiis animam dono dedisse. Per vos igitur, Quirites, et gloriam majorum,^m tolerate adversa, et consulite rei-publicæ. Multa cura summo imperio inest, multi ingentes labores; quos nequicquam abnuitis, et pacis opulentiam quæritis, cum omnes provinciæ, regna, maria terræque, aspera aut fessa bellis sint.'

27. Hæc tum pro concione dicta memorantur. Quo deinde magis hominum animi lenirentur, ejusdem consulis lege jura quædam tribunis plebis restituta sunt; ita tamen ut non tam potestas eorum, quam dignitas augeretur: legis Corneliæ, ceteris manentibus, abrogato capite, quod tribunitiis aditum ad majores honores præcluserat. Ea quoque res contentione non caruit: sed, repugnante nobilitate, summo populi studio perfecta est.

Sall. Hist. III. in Orat. Macri.

Cic. pro C. Corn. et ibi Ascon.

28. Igitur et Q. Opimius, qui tum tribunus legem Aureliam suasit, quod contra Q. Catuli⁶ voluntatem dixerat, anno sequente ad C. Verrem prætorem in judicium adductus, mulctaque ab eo petita est, 'quod, cum esset tribunus plebis, contra legem Corneliam intercessisset.' Sub hoc obtentu potentes et iniqui homines scelestissimi prætoris abusi ministerio, hominem innocentem bonis atque fortunis omnibus exuerunt.

Cic. in Verr. I. 60. et ibi Asc.

⁶ Ex Asconio emend. Crev. pro Q. Hortensii, quod in edd. priorr. exhibetur.

//////////

^m Per vos igitur, Quirites, et gloriam majorum] Suspiciamur delendam esse particulam et, ut sensus sit, Vos igitur oro per gloriam majorum. Crev.

SUPPLEMENTUM

LIBRI XCIII.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

-
- Liv. Epit. 1. **ISIDEM** consulibus P. Servilius proconsul in Cilicia Isauros domuit, et aliquot urbes piratarum expugnavit.^a
- Oros. v. 23. Per Tauri quoque montis in Ciliciam vergentia latera, Eutrop. vi. quo nullus adhuc Romanus exercitus penetraverat, in Strab. xii. Isauros itum, Lycaoniae partem: ^b et Isaura, unde genti p. 568. Isauros itum, Lycaoniae partem: ^b et Isaura, unde genti Flor. iii. 6. nomen, obsidione circumdata sunt. His expugnatis P. Val. Max. Servilius Isaurici cognomen accepit, non ex nobilitate viii. 5. locorum, sed magnitudine laboris victoriam aestimans.
- Strabo. Nam omnia circum piratae tenebant: durumque armis genus situs asperitate propemodum erat inexpugnabile: Front. donec imperator, averso flumine, ex quo hostes aquabantur, oppidum ad deditionem siti coegit. Hic ei limes Oros. itinerum eo bello et expeditionum fuit.
- Flor. Mar- 2. P. Servilius, Isaura demolitus, Ciliciae Isauriaeque ccl. xiv. 25. vectigal imposuit, confectaue provincia, multis ubique

^a Aliquot urbes piratarum expugnavit] Nempe Phaselidem, Olympum, Corycum: de quibus supra actum, xc. 35. Crev.

^b Per Tauri quoque montis . . . latera . . . in Isauros itum, Lycaoniae partem] Paulo ante memoravit Freinshemius 'Isauros in

Cilicia' domitos. Hic in Isauros Lycaoniae partem itum quoque esse dicit. Videtur ergo distinxisse Isauros Lycaoniae partem ab Isauris in Cilicia. Sed frustra. Una enim eademque gens est, altera parte Ciliciam, altera Lycaoniam contingens. Crev.

piratarum, quas ad mare habuerunt, excisis munitionibus, magna gloria decessit. Præcipuum quacumque incedebat hominibus gaudium fuerunt spectati in vinculis prædonum duces, quorum unus ille plures, quam omnes ante eum Romani ceperant: fruebaturque vulgus tam avide miseria eorum quos timuerat, ut non modo ex his oppidis per quæ ducebantur, sed etiam ex finitimis, visendi causa concurreret. Exercitum tamen in Cilicia retineri placuit, ob suspectam Mithridatis potentiam, et haud dubii jam belli apparatus. Eum P. Servilius L. Octavio proconsuli eum tradidisset, Romam ad triumphum decessit. Isque haud dubitanter decretus, et magno spectantium studio celebratus est; quod eum P. Servilius captorum oppidorum spoliis, et divite piratarum præda satis magnifice instruxerat.

Strab. ubi sup. et xiv. p. 671.
Cic. in Verr. v. 11.

Sall. Incert. in Orat. Cot. Plut. Luc. c. 11. Eutrop. Val. Max. Claud. in Eutr. i. 217. Sex. Rufus.

3. Inter hæc Bithyniæ rex Nicomedes moriens, quam ex Nusa sorore Mithridatis prolem susceperat, sive gratiæ referendæ causa, sive ut graviorem inimico regi adversarium relinqueret, populum Romanum fecit hæredem. Idcirco prætori Asiæ M. Junio Silano (quod is provincias obtinentium Bithyniæ proximus erat) negotium datum, ut regnum Nicomedis in provinciam redigeret.

Cic. in Verr. i. 21. Arrian. Bithyn. ap. Phot. Sall. Hist. iv. in Epist. Mithrid. Appian. Civ. l. i. Plut. Cæs. c. 3. Liv. Epit.



4. Sub idem tempus Libyci quoque regni pars quæ sub Apione^c Ptolemæo fuerat, ejusdem testamento Romanis

Appian. Eutr. vi. 9.

^c Quæ sub Apione] Sic nomen hoc scribendum videtur, non Apione. Origo nimirum ejus ab Api Ægyptiorum Deo. Sic censet Freinshemius supra LXX. 18.

Delph. et Var. Clas.

Ceterum ad ipsam rem quod attinet, viri eruditissimi, Henr. Valesius et Christoph. Cellarius, parum accuratum esse id existimant, quod Sex. Rufus et Livius.

Marcell.
xxii. 43.
Sex. Ruf.

provinciis accessit. Cyrenaicam alterius Apionis iudicium dudum ad Romanum populum transtulerat: tum altera pars Libyæ quam vocabant aridam, Parætonio, Chæreclaque, et Neapoli urbibus Romanam ditionem auxit. Id Ægyptii, quorum ad regnum haud dubie illa pertinebant, dissimulare coacti sunt ob intestinas discordias, metumque ne Syriacis regibus ab senatu Romano Ægyptus adjudicaretur. Erant enim Romæ adolescentuli duo, quos ex Selene Ptolemæi filia Grypus Antiochus sustulerat:^d qui ad se et matrem suam regnum Ægypti pertinere dicerent. Atque illi quidem, obtentu temporum populi Romani, per senatum agere nihil potuerunt: Libya inter Romanas provincias mansit.

Cic. in
Verr. iv. 27.

5. Sed Mithridates hoc maxime ad nudanda consilia tempus opportunum iudicans, quo transiens ad aliud imperium Bithynia, destituta priore domino, nondum fida aut firma novis, nutaret; bellum aperte sumpsit. Et quia Sertorii celebres fama opes erant, ad societatem cum eo jungendam hortantibus aures præbuit.

Liv. Epit.

Appian.
Mithrid.
Oros. vi. 2.

Cic. in
Verr. i. 34.
Sall. Hist.

ii. 6.
Appian.

6. Duo enim Lucii, Magius et Fannius, Fimbrianae seditionis reliquiæ, qui, sedibus Myndi fixis, apud regem per obsequelam orationis, et maxime odium Syllæ, auctoritate et gratia valebant, Asiam vicinosque populos haud dubium auxilii Sertorio ferendi præmium fore dicentes, impulerunt ut de fœdere ineundo legatos in Hispaniam mitteret. Eos Fannius et Magius emta dudum a C. Verre navi Milesia per Italiam ad Sertorium deduxerunt. Senatus, re audita, hostes illos iudicavit, inquirendosque mandavit. Sed illi jam in Hispaniam pervenerant.

Plut.
Sert. c. 38.
Cic. pro
Leg. Manil.
c. 4. et pro
Mur. c. 15.
et in Verr.
i. 34.

Ascon. in
Verr. i. 34.

Ammianus narrat de duobus Ptolemæis, cui cognomen utriusque Apioni fuerit, quorum alter Cyrenaicam populo Romano, alter Libyam Aridam legaverit. Ex illorum mente, unus fuit Ptolemæus Apio ex Lagidarum stirpe notus, Cyrenaica rex, qui decedens, Cn. Domitio, L. Cassio cons. U. C. 656. populum Romanum fecit hæredem. Ac tum quidem Cyrenaicæ civitates senatus liberæ esse iussit. At postea, belli Cretici temporibus, regnum illud in provinciæ

formam redegit. Freinshemius hic, et supra Lxx. 18. Rufum et Ammianum secutus est. Nobis sufficiat de diversis doctorum hominum opinionibus monuisse. Vid. Cellar. Geograph. Antiq. iv. 2. extremo. Crev.

^d Quos ex Selene Ptolemæi filia Grypus Antiochus sustulerat] Usserius ad annum mundi 3932. et Grævius in notis ad Cic. in Verr. iv. 27. hos juvenes Antiochi Pii filios fuisse contendunt. Selene erat Ptolemæi Physconis filia. Crev.

7. Sertorius, introductis in senatum suum legatis, mag- Appian.
nifice de rebus suis locutus, quod jam ab oriente simul et
ab occidente facessere negotium adversariis posset, expo-
nere mandata jussit. Illi hanc in sententiam ceperunt :
' Rex Mithridates multas gravesque injurias olim et nuper
perpressus a Romanis qui in Urbe sunt, iterum ad arma
cogitur. Quæ illum causæ moveant, non modo præclare
scitis, nec enim leves aut obscuræ sunt, sed ab iisdem homi-
nibus similia aut atrociora passi, quam nihil ab his æqui,
nihil saltem tolerabile possit impetrari, compertum ha-
betis.

8. ' Sane cum senatu populoque Romano fœdus icit
Mithridates : sed multoties id ruptum a Syllanis est, ut et
ipsi discedere inde citra perjurii notam liceat. Ceterum
inviolabile sicut hactenus, ita porro quoque, et sanctum
servare cupit ; sed vobiscum, Q. Sertori, vosque patres
conscripti, quem ille veriolem digniolemque antiqua po-
puli Romani fama senatum judicat, quam qui Urbi incu-
bat, non externorum modo regum nationumque, sed suæ
quoque patriæ tyrannus et hostis.

9. ' Sed non magno negotio commune periculum ab
utrorumque cervicibus depelli potest, si hinc Sertorius,
inde Mithridates totis viribus insurgant. Rex noster, ex
quo contra pacem Syllanam est a L. Murena appetitus,
superior armis fuit. Eadem audivit de his Romanis qui
Hispanias obtineant : multaque iis locis fama tu Q. Ser-
tori, vosque reliqui duces estis. Igitur mittendam ad vos Plut. Sert.
legationem censuit, ut qui similibus causis concitentur,
similique virtute et fortuna agant, communi fœdere com-
munem salutem tueantur. Utrisque proniora erunt omnia,
si juncti consiliis armisque, invicem, ubi utilitas desideret,
juvamus et juvamus, quam si diversi divisique sua quisque
negotia seorsim curent.'

10. Postquam e curia dimissi legati sunt, inter præsen-
tes diu de tantis rebus consultatum est. Plerique minime
dubitandum censebant, quin oblata, quibus cum maxime
esset opus, acciperentur ; nihil e contra nisi quod alienum
esset tradituri. Quippe legati navium et pecuniarum
magnam vim polliciti, Asiam et vicina regna Mithridati
concedi postulaverant.

11. At Sertorius insigni documento maximi spiritus, 'Siquidem Bithyniam et Cappadociam parere regibus assuetas Mithridates subegisset, facile passurum' dixit: 'sed Asiam justissimo titulo possessam Romanis, postea receptam a C. Fimbria, tum pace Syllana dimissam ab rege, non esse concessurum. Se enim Romanos esse, nec cum patria, sed a quibus oppressa sit tyrannis, bellum gerere. Omnia ergo consilia ad augendam magis ornandamque rempublicam, quam ad vexandam esse referenda. Optandam plane viro forti victoriam, si honestis parari rationibus possit; sed cum turpitudine ne salutem quidem expetendam.

12. 'Præterea ne utilem quidem eam sententiam fore. Infinitos enim per Italiam et in Urbe cives Romanos agere, qui his partibus occulte favcant, ad omnem fortunæ nutum animos et consilia monstraturi. Sed optimum quemque non aliis causis moveri, quam quod bonos egregiosque viros et reipublicæ studiosos, per vim et injuriam ab adversa factione pulsos arbitrentur. Minime igitur dubitandum, quin, si ne odio quidem inimicorum, et tantis commodis suis, ad pactionem populo Romano indignam adduci potuisse intellexerint, major apud omnes existimatio sua sit futura, favorque in partes pronior. Sed nec eo animo aut successu bellum geri, ut desperandum sit, quin, sive victis adversariis, sive ad æquas condiciones adactis, patriam cum pristina dignitate sint recepturi. Æquum igitur esse, ut, quem locum spe et virtute repetant, eo etiam dignos animos et habeant, et habere demonstrent.'

13. Hæc renuntiata Mithridatem miraculo rei percule-
runt: aimtque velut attonitum dixisse ad amicos; 'Quid igitur sedens in Romana curia Sertorius imperaret, qui nunc exul, et ad angulum Europæ summotus, fines regno meo ponit, et Asiam tentantibus arma minatur?' Accepit tamen quod dabatur, et fœdus jurejurando sancitum in has leges: 'Cappadociam et Bithyniam, quibus finibus Ariobarzanes et Nicomedes habuissent, Mithridates rex haberet: Sertorius regi ducem cum certo militum numero; Sertorio talentum tria millia,^c et naves quadra-

Flor. III. 22.
Plut.

Cic. pro
Leg. Man.
c. 8.

^c Talentum tria millia] Marcus argenti nostrates 281,250. Crev.

ginta rex mitteret.' Nam apud Dianium, quæ Massiliensis colonia inter Carthaginem et Sucrouem a Dianæ templo nomen traxerat, stationem navium, arcemque maritimarum expeditionum Sertorius habebat: quia locus munitus excelsusque, ad longissima spatia patente prospectu, multo commodissimus ad excursionses et latrociniis similiores conatus erat. Utrumque fides pactorum intemperate stetit; et quæ convenerat, in tempore missa.

14. His ita perfectis, Mithridates Romanarum virium haud rudis, nec ullam postea veniam sperans, quanquam simulatione Bosporani belli maximas classes copiasque dudum confecerat, totus in apparatus esse: reliquum ejus ætatis et hyemem omnem cædenda materia, fabricandisque navibus et armis, ad Romanum maxime morem, impendere: denique nihil ad instruendum inmane bellum consilii, laboris, industriæ prætermittere.

15. Hac cura bis millena millia medimnorum frumenti^f per marina horrea distributa sunt: auxilia, præter veterem exercitum, ex Chalybum, Armeniorum, Scytharum, Taurorumque gentibus, et fortissimis omnium Bastarnis, atque Thracibus, centum quadraginta millia peditum, sedecim equitum, coacta. Hos magnus præterea calorum lixarumque numerus, et ad vias muniendas agrestium, sequebatur. Triremes quadringentæ aderant, præter minora navigia: omnia non ad vanam speciem, ut prius, sed ad firmitudinem usumque fabrefacta. Currus falcati centum et viginti, rerumque ceterarum respondens tantis conatibus apparatus.

16. Hæc quia clam esse non poterant, senatus ambos consules (L. Licinius L. F. L. N. Lucullus, M. Aurelius Cotta jam inierant) ad id bellum mittendos censuit: * ita, ut alter Mithridatem persequeretur, alteri classis daretur ad tuendam Bithyniam. Bellum Lucullo evenit, Cotta Bithynia: quanquam a principio anni aliæ consulibus decreta provinciæ fuerant. Sed Lucullus haud magnam in Cisalpina Gallia materiam gloriæ sperans, cupiditate

Plut.
Strab. 111.
p. 159.

Appian.
Mithrid.
Cic. pro
Leg. Manil.
c. 4.
Memnon.
ap. Phot.
Appian.
Plut. Luc.
c. 14.

^f Appian.

Memnon.

Plut.

Memnon.

Cic. pro
Mur. c. 15.
Plut. Luc.
c. 9.

^f Bis millena millia medimnorum frumenti] 9,250,000. Crev.
Modii nostrates * A. U. C. 678. A. C. 74.

Mithridatici belli flagrabat. Igitur, audita morte L. Octavii qui Ciliciæ præfuerat, cum P. Cethego, cujus tum ob maximas in senatu opes patrociniū a plerisque expe-
tebatur, ex acerrimis simultatibus subito in gratiam rediit, ut provinciam Ciliciam adipisceretur: quam ubi nactus est, nemo dubitabat, quia illi committendum bellum Mithridaticum foret. Decretæ sunt illi legiones quæ jam erant in Asia quatuor: quintam ut in Italia conscriberet permissum.

Appian.

Cic. in
Verr. II. 4.
et ibi Asc.
Supra,
LXVIII. 1.
Sall. In-
cert. 29.
Vell. II. 31.

17. Contra piratarum audaciam M. Antonio prætori, M. Cotta consule et patris M. Antonii memoria suffragante, qui bellum in Cilicia feliciter administraverat, P. Cethegi factio totius oræ maritimæ, qua Romani populi jus esset, curationem cum infinito imperio dedit: quale postea piratico bello Cn. Pompeius adeptus est.

Appian.

Sidon.
Carm. xxi.
v. 158.
Memnon.

18. Jam Mithridates primo vere Jovi Bellipotentis patri more fecerat: deinde, quo tempore primum nova classis in mare deducta est, Neptuno quadrigas albas immolaverat, corporibus profundo mersis. His religionibus cæpto bello, Diophantus purpuratus cum exercitu in Cappadociam erat præmissus, præsidiis firmaturus urbes, et obviam iturus Lucullo, si ad Pontum accederet. Ceteras copias, centum et quinquaginta millia peditum, equitum duodecim, rex ipse per Timonitidem (Paphlagoniæ ea regio est) Galatiamque nono die in Bithyniam duxit.

Ptol. v. 1.

Plut.
Memnon.

19. Sub id tempus Heraclea his de causis Mithridatici juris facta est. Classis regia præternavigans, cum urbe non reciperetur, forum rerum venalium præberi postulavit. Ea re impetrata, cum, ut fit ubi nullus hostilis animi metus est, Heracleotæ multi ad naves venissent, præfectus classis Archelaus Silenum atque Satyrum e primoribus civitatis comprehendit: neque antea dimisit, quam ad redimendos eos naves quinque traderentur. Is eventus cum talis esset, ut potius ex compacto quam casu res gesta videretur, Romani, publicanis Heracleam missis, vectigal, ut ex aliis circa urbibus, exigere cœperunt. Id, vulgus, et si qui alii propensioribus in regem animis erant, principium servitutis interpretati, cum legatos iis de rebus ad senatum mitti præstitisset, audacissimi cujusdam hominis

oratione accensi, publicanos ita privarunt luce, ut ne genus quidem mortis quo perierunt sit cognitum.

20. Sed illud odium Romani nominis, præter licentiam præsidarii militis, et feneratorum improbitas, et eorum qui publicum exercebant injuriæ, ita vulgaverant, ut passim venienti Mithridati portæ panderentur. Præsertim quia *M. Varius*^g senator ex proscriptis, missus a *Q. Sertorio*, cum *L. Magio* et *L. Fannio* consilii causa additis, ex Hispania ad regem venerat. Vario, quod proconsulari potestate ab Sertoriano senatu erat ornatus, fasces securesque præferabantur: eique primas concedente Mithridate, a quibus recipiebantur urbibus, aliis libertatem, aliis immunitatem Sertorii nomine concedebat. Quo tempore *C. Cæsar* tanti mox futuri viri specimen memoria dignum edidit: cujus de adolescentia, quando pleramque hujus historiæ partem paulo post facturus est, quædam cognosci pretium operæ fuerit.

21. Igitur *C. Julius C. F. C. N.*^h Cæsar, annos fere duodeviginti natus, cum in matrimonio haberet *Cinnæ* quater consulis filiam, nullo modo compelli a dictatore *Sylla* potuit, ut eam dimitteret: cum *M. Piso* consularis *Annam*, quod *Cinnæ* uxor fuerat, in gratiam victoris repudiaret. Igitur et sacerdotio, et uxoris dote, et gentilitiis hæreditatibus mulctatus, ad necem quærebatur: ut, dissimulato habitu nocte elapsus Urbe, profectusque in *Sabinos*, singulas prope noctes, quanquam morbo quartanæ aggravante, latebras mutare cogeretur. Sic quoque deprehensus a *Cornelio Phagita*, *Syllæ* liberto, vix, præmio dato, evasit. Postremo per virgines Vestales, et *Mamercum Æmilium*, et *Aurelium Cottam*, propinquos et affines suos, veniam impetravit; diu quidem repugnante *Sylla*, et, ut erat sagacissimus ingeniorum conjector, ‘ multos ei puero inesse *Marios*’ testante.

22. Post merita deinde sub *Thermo* et *Isaurico* stipendia, cum Romam esset reversus, *Cornelium Dolabel-*

^g *M. Varius*] Hic Sertorianus dux dicitur a Plutarcho et Orosio *M. Marius*. Appianum secutus est Freinshemius. *Crev.*

^h *C. Julius C. F. C. N.*] Prænomina quæ gesserunt pater et avus Cæsar, ex Fastis Capitolinis cognoscuntur. *Crev.*

Plut. Luc.

Appian.
Oros.
Cic. in
Verr. i. 31.
Plut. Sert.

Vell. ii. 41.
Suet. Cæs.
c. 1.

Plut. Cæs.

Vell.

Sueton.

Sueton. et
Plut.

Suet. Cæs.
c. 74.
Ibid. c. 1.

Plut. Suet.

Cic. in
Pis. c. 19.
Vell. ii. 13.

Auct. de lam consularem, qui ex Macedonia paulo ante triumphava-
 Caus. Corr. verat, summo favore populi, tertio et vicesimo ætatis anno
 Eloq. c. 34. verat, summo favore populi, tertio et vicesimo ætatis anno
 Pigh. Ann. postulavit, magnamque ingenii et facundiæ laudem adeptus
 676. est; quanquam Dolabella reus, Q. Hortensio, C.
 Cic. Brut. Cotta defendentibus, absolveretur; querente Cæsare,
 c. 92. Cotta defendentibus, absolveretur; querente Cæsare,
 Val. Max. 'extorqueri sibi causam optimam C. Cottæ patrocinio.'
 viii. 9. 3. Nam hærebat criminibus repetundarum Dolabella, fre-
 Plut. quentesque civitates Græciæ testimonium in eum dixe-
 rant.

Sueton. 23. Ergo declinandæ invidiæ causa, simul ut clarissimo
 Plut. Val. dicendi magistro daret operam; Rhodum ad Apollonium
 Max. vi. 9. Molonis¹ profecturus, apud Pharmacusam insulam (ho-
 Vell. ii. 41. die Parmosam vocant^k) a piratis captus est. Inter
 hos, cum uno medico et cubiculariis duobus, per dies
 Sueton. ferme quadraginta (reliquos enim comites servosque ad
 pecunias quibus redimeretur expediendas dimiserat) heri
 Vell. magis, quam captivi, animo ac dignatione versatur. Ne
 suspicionem ullam prædonibus daret, si quid ex solito mutasset,
 calceatus cinctusque noctes ac dies permansit.
 Polyæn. Viginti talenta^l piratæ postulaverant. Ille deridens ut
 Strat. viii. ignaros quem tenerent, quinquaginta spondit daturum.
 Plut.

24. Quæ summa postquam ex publica civitatum pecunia
 confecta est, expositus in littore, obsidibus quos civitatibus
 Vell. et piratæ dederant redditis, Miletum, quæ proxime
 Plut. aberat, properavit, ibique contracta classe tumultuaria,
 privatus, post paucas horas quam erat liberatus, stantes
 adhuc ad eandem insulam prædones noctu adortus, aliquot
 naves, mersis aliis et fugata reliqua classe, cepit.
 Deinde festinans ad proconsulem Asiæ Junium, qui tum
 erat in Bithynia, rem gestam exposuit, utque ille auctor
 supplicii de captivis sumendi fieret postulavit. Atque, illo
 venditurum captivos respondente, Pergamum, ubi piratas

¹ *Apollonium Molonis*] Nempce filium. Hic Freinshemius sequitur Quintilianum aliosque multos, quibus sive Apollonius Molo, sive Apollonius Molonis filius, unus idemque rhetor est. At Casaubon. ad Sueton. Cæs. et Usserius in Aonal. ad annum mundi 3927. Strabone maxime auctore nixi, Apollonium et Mo-

lonem duos diversos rhetores esse existimant, ambos Alabandenses, ambos Rhodi artem rhetoricam professos. *Crev.*

^k *Hodie Parmosam vocant*] Vel *Fermaco*, ut alii volunt. *Crev.*

^l *Viginti talenta*] *Marcas nostrates* 1875. *Quinquaginta*, *Marcas* 4687. *nuncios* 4. *Crev.*

in custodiam dederat, incredibili celeritate reiectus, priusquam ullæ supervenire proconsulis epistolæ possent, affecit eo supplicio, quod sæpe minatus per jocum fuerat. Sed ne a lenitate naturæ suæ descisceret, et tamen imple-

Sueton.
Cæs. c. 74.

25. Hic igitur Cæsar, cum, Mithridate provincias Romanas vastante, res ad defectionem spectaret, ab Rhodo, quo pertenderat, in Asiam profectus est: contractisque sociorum auxiliis, et præfecto regis provincia expulso, dubios ac deliberantes civitatum animos in fide continuit. Idem pari studio, auctoritate majore Lucullus consul faciebat, qui, rebus urbanis utcumque compositis, interea in provinciam venerat. Nam ob delectum erat moratus et tribunitia jurgia, cum L. Quintio, quotidie seditiosas conciones habenti, summa vi resisteret: donec insolentia hominis mitibus remediis, docendo mulcendoque, cohibita, cum una legione pervenit in Asiam: adjunctisque legionibus quatuor, peditum Romanorum triginta millia, equites bis mille quingentos ducens, jam in Phrygiam usque processerat: cum, adventu ejus cognito, M. Cotta, ne cum collega debellati regis laudem communicaret, ad Chalcedonem cum Mithridate configere maturavit.

Sueton.
Cæs. c. 4.

Plut. Luc.
c. 13.

Sall. Hist.
111. in Orat.
Macri.
Cic. pro
Cluent. c.
49.
Appian.
Mithrid.

Plut.

26. Neque tamen ipse, ut erat bellicorum certaminum rudis, prodire ausus, Nudum præfectum classis cum parte exercitus emisit. Qui, licet munitissimam campi partem occupasset, a Mithridate pulsus, per multa transcensu difficilia septa Chalcedonem ægre refugit; multis in ipsa porta, dum conferti perrumpunt, telis barbarorum cadentibus. Metu deinde clausis portis, Nudus et alii ducum funibus subducti sunt: reliquum vulgus, cum hinc ad suos, inde ad hostem supplices manus tenderet, nec apud illos auxilio, nec apud hunc misericordia inventa, trucidatum est. Millia quinque trecentos, et in his L. Maullium senatorem ea clades absunsit. De victoribus, Bastarnarum, quorum singularis eo prælio virtus fuit, triginta; ceterorum ad septingentos ceciderunt.

Appian.

27. Mithridates utendum fortuna, donec propitia esset, Appian,

Memnon.
Appian.
Memnon.

- ratus, eodem die classem ad portum Chalcedonis adduxit: perruptaque catena ferrea, quam consul prætendi jusserat, prælium navale commisit, eo successu, ut hostium octo fere millibus interentis, quatuor naves injecto igne consumeret; reliquas sexaginta cum virorum quatuor millibus quingentis captas, remulco traheret ad sua præsidia; neque Nudo ultra, neque Cotta obsistentibus, qui muris oppidi se incluserant. Hæc duplex terra marique victoria vehementer et opes Mithridatis et nomen auxit.
28. Eo tempore circa Sangarium amnem castra Lucullus habebat. Is igitur, cognita collegæ calamitate, percussum exercitum cohortatus, protinus versus Chalcedonem castra movit. Erat apud eum Archelaus, qui nuper ad Murenam a Mithridate transfugerat, monebatque ut omisso rege protinus in Pontum irrumperet: 'ad conspectum ejus omnia defectura.' In hanc sententiam prouili milites erant, 'non auctori tantum perniciosam fuisse Cottæ temeritatem' frementes, 'sed sibi quoque detrimento fore, si omissa, quam fortuna patefecisset, tantarum rerum occasione, ad illum obsidione liberandum eatur.' Igitur pro concione præfatus, 'unum se servare civem malle, quam omnibus hostium fortunis potiri;' negavit 'se timidiorem venatoribus esse, ut feris omissis, ad earum vacua lustra pergat.' His dictis, pronuntiari iter in posterum diem jussit.
29. Hoc rerum ad Orientem statu, Q. Metellus, Cn. Pompeius in Hispania, ubi majoris firmamenti roborisque partes erant, civitates aliquot in potestatem redegerunt. Magna tamen pugna nulla pugnata est, Sertorio vitante, et mora miserisque omnibus atterente hostem. Nam et comteatum præcidebat ei, littora piraticis navigiis, agros populationibus infestando: et ad omnia quantumlibet distantia promptus ac velox, curis, inopia, periculo adversarios macerabat: donec obsidione Calaguritana depulsos, Metellum ulteriorem Hispaniam, Pompeium Galliam, diversos petere coëgit, ne conjuncti rerum necessariorum penuria premerentur.
30. Magnum ea res terrorem Romæ concivit: vulgoque jam venturus in Italiam cum exercitu Sertorius puta-

Memnon.
Appian.

Memnon.

Appian.

Sall. Hist.

iv. in Ep.

Mithrid.

Cic. pro

Mur. c. 15.

Plut. Liv.

Epit.

Memnon.

Plut.

Liv. Epit.

Cic. pro

Leg. Manil.

c. 4.

Appian.

Civ. l. 1.

Plut. Sert.

et Pomp.

Liv. Epit.

Cic. pro

Font. c. 3.

Plut.

Pomp. et

Sert.

batur, maxime postquam Cn. Pompeii allatae literae sunt, in hanc sententiam scriptae: ‘ Si adversus vos, patriamque, et Deos Penates, totiens labores et pericula suscepissem, quotiens a prima adolescentia ductu meo scelestissimi hostes fusi, et vobis salus quaesita est; nihil amplius in absentem me statuissetis, quam adhuc agitis, patres conscripti; quem contra aetatem projectum ad bellum saevissimum, cum exercitu optime merito, quantum est in vobis, fame, miserrima omnium morte, confecistis. Hac enim spe populus Romanus liberos suos ad bellum misit? haec sunt praemia pro vulneribus, et totiens ob rempublicam fuso sanguine? Fessus scribendo, mittendoque legatos, omnes opes et spes privatas meas consumsi; cum interim a vobis per triennium vix annuus sumtus datus est. Per Deos immortales! utrum censetis me vicem ararii praestare, an exercitum sine frumento et stipendio habere posse?’

31. ‘ Equidem fateor me ad hoc bellum majore studio quam consilio profectum: quippe qui nomine modo imperii a vobis accepto, diebus quadraginta exercitum paravi; hostesque in cervicibus jam Italiae agentes ab Alpibus in Hispaniam summovi: per eas iter aliud, atque Hannibal, nobis opportunius patefecit: recepi Galliam, Pyrenaeum, Lacetaniam, Ilergetes: et primum impetum Sertorii victoris, novis quidem militibus, et multo paucioribus, sustinui: hyememque in castris inter saevissimos hostes, non per oppida, neque ex ambitione mea, egi. Quid dein praelia, aut expeditiones hybernas, oppida excisa aut recepta enumerem? quando res plus valent quam verba. Castra hostium apud Sucronem capta, et praelium apud flumen Durium, et dux hostium C. Herennius cum urbe Valentia et exercitu deleti, satis clara vobis sunt. Pro quis, o grati patres, egestatem et famem redditis. Itaque meo et hostium exercitui par conditio est: namque stipendium neutri datur; victor uterque in Italiam venire potest.

32. ‘ Quod ego vos moneo quaesoque ut animadvertatis, neu cogatis necessitatibus privatim mihi consulere,

Hispaniam citeriorem, quæ non ab hostibus tenetur,^m nos aut Sertorius ad interneccionem vastavimus: præter maritimas civitates, quæ ultro nobis sumtui onerique Gallia superiore anno Metelli exercitum stipendio frumentoque aluit: et nunc malis fructibus ipsa vix agitatur. Ego non rem familiarem modo, verum etiam fidem consumsi. Reliqui vos estis: qui nisi subvenitis, invito et prædicente me, exercitus hic, et cum eo omne bellum Hispaniæ in Italiam transgredietur.' Hæc epistola pervenerat Romam, cum adhuc in Urbe Lucullus consul ageret. Idcirco, negotio prope ad senatum relato, cum et res cogeret, et Lucullus, metu ne Pompeius ad Urbem veniens Mithridaticum sibi bellum præriperet, summo studio anniteretur; stipendium ei missum est.

Plut. Luc.
et Pomp.

^m *Hispaniam citeriorem, quæ non ab hostibus tenetur*] Magis ceterioris ea pars quæ non pareretur, ut intelligatur Hispaniæ hostibus. *Crev.*

SUPPLEMENTUM

LIBRI XCIV.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

1. **I**NTEREA L. Lucullus consul, cum ad hostem perve- Plut. Luc.
nisset, eumque succinctum tantis copiis videret; praelio
congrédi minime tutum ratus, intra munimenta se tenebat.
Sed lacessente apud Otryas (Phrygiæ locus est) M. Va-
rio, qui missis ab Sertorio copiis præerat, eduxit suos,
aciemque ordinavit. Cum in eo essent ut concurreretur,
cælum absque ullo, qui animadverti potuerit, conatu di-
ruptum, inter duas acies ingentem flammæ molem immi-
sit, colore argenti, forma dolii similem. Sic eo die, ter-
ritis prodigio utrisque, a pugnando temperatum; Lucul-
lusque ad priora consilia ducendi belli rediit.

2. Cum enim tot hominum millia in conspectu hostis
alere non in longum facile fore Mithridati crederet; quo
certius exploraret, quantum ei copiarum esset, captivos
aliquot, seorsim unumquemque, jussit adduci. Ex qui-
bus percontatus, quot quisque contubernales in castris,
cum quanto cibariorum modo reliquisset; ita rationem
inuit, ut intra triduum aut quatrimum fame laboraturos
existimaret. Ideirco abundantem annonæ copiam in sua
castra convehens, satis habebat, si hostem annona prohi-
beret. Per hanc occasionem cum equestria prælia fre- Liv. Epit.
quentia fierent, iisque superior Romanus esset; milites

avidī pugnæ, nihilque suæ virtuti invidiam jactantes, in hostem uti ducerentur, postulabant. Recusante Lucullo, atque suam occasionem jubente expectari, prope seditionem ventum; vel injussu imperatoris pugnatos clamantibus: donec accommodata temporī oratione mitigati quieverunt. Neque multo post imperatorii consilii salubritas apparuit, cum penuria comæatuum movere castra Mithridates cogeretur. Nam ille, quo Lucillum falleret, cœnatos milites statim abduxit, noctem obscuram atque nimbosam nactus, et oriente sole in Adrastiae monte, qui Cyzico urbi est oppositus, consedit.

Plut. Luc.

Strab. XII.
p. 575.

Plut.

Appian.
Mithrid.

Plut.

3. Lucullus, composito agmine ita insecutus, ut ne pugnandi necessitas imponi invito posset; circa Thraciam, quam vocant, Comen, castra communivit. Cognito deinde ex captivis, regi circiter trecenta hominum millia, non ante paratis copiis, sed ex quotidiana subvectione maritima et frumentationibus ali, futura animo prospiciens, non continuit lætitiā, sed opere castrorum perfecto, advocavit concionem, atque apud circumfusos ita orsus est.

4. ‘Omnium gentium atque populorum institutis, qui utique consensus a recta ratione nunquam discedit, ita videmus observari, ut in re bellica multis hominum millibus unus plerumque imperator præsit: multas enim manus, sed unum consilium res militaris desiderat. Quemadmodum et in animantium corporibus compluria membra capitū unius imperio reguntur. Atque hoc non ideo tantum est utile, ne, si plurimum sit arbitrium, pestilentissima rebus gerendis dissensio nascatur; sed ut, quod deliberatum est, donec agendi tempus advenerit, occultius sit et tectius. Atque hæc illa res est, quæ plurimam in imperatore patientiam poscit; ut constanter maneat in recte consultis, neque hostium ludibriis, neque suorum sermonibus inde se patiat dimoveri.

5. ‘Nec enim latere me potuit, quæ nuper ex civilibus bellis prava consuetudo plurimorum etiam ex vobis corruerit mentes, ut, cum milites imperatori operam navare debeant, imperatores ipsi esse velint, et, quid de summa rerum judicandum sit, decernere. Sed hos ego partes meas mihi relinquere, suas curare jubeo. Simul

autem omnibus lubens lætusque nuntio, nunc venisse tempus intelligendi, quo consilio pugnare volentium sit a me cohibitus impetus. Meis enim consiliis eo adactus hostis est, ut hunc in locum se dimiserit, ubi necessum sit eum paulo post rerum necessariorum penuria copias omnes amittere.

6. ‘Dispiciate igitur, quanto plus ego, quam vos omnes, providerim: quantoque melius consuluerim communibus rebus. Vobis congruere cum hoste collatis signis placuit: quod si esset factum, aut fusi essemus; aut magno cum sudore æquis pugnassetis viribus; aut, si faventissimi Dii fuissent, multo tantam sanguine obtinuissetis victoriam. At nunc prorsus incruentam reportabimus: idque fide mea spondeo: vos estote promissi memores.’

Appian.

7. Cum deinde, montem magnum supra regis castra opportunum ad omnia conspicuus, occupare locum conaretur; neque, repellente præsidio, quod hortatu Taxilis aliorumque amicorum Mithridates imposuerat, potiri posset; inopinato fortunæ munere, quod viribus obtinere nequiverat, est consecutus. L. Magius, Sertorianis rebus diffusus, maxime quod occisum ab amicis ducem acceperat,^a clam missis ad Lucillum nuntiis, reditum orabat: ‘si ejus rei fides data esset, non sibi defore rationem, qua regi noceret.’ Annuente Lucullo, regi persuadet, ‘nihil referre, quo loco castra hostis metetur. Fimbrianas legiones, quæ essent apud Lucillum, propediem ad se transitras. Ita sine præliis et sanguine victoriam penes regem fore.’ Grata erant quæ dicebantur, nec veri specie carebant: nota Fimbriani militis perfidia, et crebris adversus duces seditionibus. Idcirco negligente custodiam locorum Mithridate, Romani, angustiis sine incommodo superatis, castra in monte posuerunt.

Ascon. in
Ver. 1. 31.
Appian.Plut. Luc.
c. 13.
Appian.

8. Magna ea et multiplex utilitas Lucullo fuit. Ipsi commeatus sine metu subvehebantur; rex toto propemo-

^a *Maxime quod occisum ab amicis ducem acceperat*] Sic memorat Appianus. Qui si non fallitur, necesse est omnino, ut aut hæc Magii proditio Lucullique victoria in sequentia rejiciatur, aut

Sertorii mors, quæ l. xcvi. infra narrabitur, in anteriora retrahatur. De toto hoc negotio vid. Sigon. Commentar. in Fastos ad annum 680. Cree.

Plut.
Appian.

dum agro, fluminibusque omnibus, et lacu Dascylite exclusus, perquam angusta frumentatione utebatur. Neque discessuro satis patens exitus erat, fossas multis locis ob-

Oros. vi. 2.
Appian.

jectiente Lucullo: neque Lucullum ob locorum opportunitatem vi poterat depellere: ^a et jam, inclinante tempore anni, reliquam annonæ spem interclusum tempestatibus mare sollicitabat. Idcirco duobus imperatoribus varii animorum habitus erant: Lucullus admonebat amicos ‘tempus adesse præstandi quæ promiserat;’ ^b Mithridates errore, postquam corrigi jam nequibat, intellecto, multa et diversa secum agitabat.

Plut. Luc.
c. 19.

9. Tandem, licet cum tanta militum multitudine vel per medios hostes erumpi posse videretur, oppugnandæ urbis consilium sedit. Fimbrianorum transitionem, cujus facta spes, subito discessu impedire inconsultum putabat. Et, quia Chalcedonensi pugna Cyziceni decem naves cum tribus hominum millibus amiserant, tanto facilior erat futura urbis expugnatio. Pretium autem operæ, si Cyzicus capta esset, ingens ostendebatur: et hac velut janua Asiæ perfracta, futurum erat, ut victori tota provincia pateret. Accedebat, quod ita omnia ad urbem clausa itinera erant, ut oppidani, licet in conspectu haberentur Luculli castra, tamen ubi esset ignorarent.

Cic. pro
Mur. c. 15.

Plut.

10. Quippe Cyziceni in cognomine insula ad Propontidem colebant; et Mithridates, milite abundans, decem a terra castris oppidum assidebat: et ad fretum, quo a continenti dirimitur, utroque latere naves quadringentas admoverat: et barbari Romana castra digito monstrantes, obsessos horribili mendacio terrebant, Armeniorum Medorumque missas a Tigrane copias ibi consedissee dic- titantes. Non tamen desponderunt animum, quanquam summa contentione omnibusque viribus oppugnarentur.

Strabo.
Plut.

Strabo,
Plut.

10. Quippe Cyziceni in cognomine insula ad Propontidem colebant; et Mithridates, milite abundans, decem a terra castris oppidum assidebat: et ad fretum, quo a continenti dirimitur, utroque latere naves quadringentas admoverat: et barbari Romana castra digito monstrantes, obsessos horribili mendacio terrebant, Armeniorum Medorumque missas a Tigrane copias ibi consedissee dic- titantes. Non tamen desponderunt animum, quanquam summa contentione omnibusque viribus oppugnarentur.

^a Βιάζεσθαι legitur apud Appian. Unde vi . . . depellere correxit Crev. pro sic . . . depellere in edd. priorr. exhibitum.

^b Tempus adesse præstandi quæ promiserat] Ante Clericum legabatur promiserant: quod manifeste vitiosum probatur ex c. 6. supra, et ex iis Appiani verbis

quæ hoc loco intuetur Freinsheimius. Ea sic se habent: δ Λούκουλλος τοὺς φίλους ἀνεμίμησε τῆς ὑποσχέσεως, καὶ τὸ ἐπαγγελθέν ὡς παρὸν ἐδείκνυε. Crev.

Etenim Mithridates, capto suburbio, navalia duplici muro obseperat: et, reliqua urbe circumvallata, magnos exci-
 tabat aggeres, aliaque opera multa studiose faciebat; Strabo. Appian.
 turres et testudines, et insignem ante alias machinam, cen-
 tum cubitorum helepolin, e qua turris alia tollebatur, ca-
 tapultis instructa, quae telorum et lapidum quaquaversum
 velut imbrem spargerent, Niconidæ Thessali opus. Ad Plut.
 portus porro duæ quinqueremes inter se firmiter de- Appian.
 viuetæ aliam turrin sustinebant, ita fabricatam, ut, ubi
 muro admota esset, pons ex ea demitti subito in mœnia
 posset.

11. His omnibus paratis, antequam vim tentaret, cap-
 tivos Cyzicænorum omnes in conspectum suorum adduxit, Frontin. Strat. iv. 5. 21.
 sperans illorum caritate lacrymisque moveri ad deditio-
 nem oppidanos posse. Sed illos multa nequicquam ob- Appian.
 testantes Pisistratus Cyzicænorum prætor ‘abstinere nihil
 profuturis precibus’ jussit; ‘et postquam semel in po-
 testatem hostium venissent, fortiter ferre calamitatem.’

12. Sic exploso commento regis, ad seriam dimicatio-
 nem ventum: quia progressa in navibus turris, ponte mœ-
 nibus injecto, quatuor armatos muris imposuerat. Id spec-
 taclum ita perterrefecit obsessos, ut, si continuo scuti
 plures fuissent, in magno periculo res Cyzicæna fuerit.
 Sed, dum etiam in turri trepidatur, propugnatores, resum-
 tis animis, quatuor illos detrudunt: navesque pice perfu-
 sas, et igni appetitas, inlibere retro cogunt, et se discrimi-
 ni subducere. Sic maritima oppugnatio in irritum
 cessit. Sed a terra triplex eadem die conatus factus,^c
 machinæque admotæ, gnaviter ad defensionem concurren-
 tibus oppidanis, uti quoque loco necessitas postulabat.
 Arietes aut libramentis saxorum injectis præfringebantur,
 aut laqueis eorum avertebantur ictus, aut objectis e vimine
 cratibus lana repletis eludebantur. Contra ignita tela

^c *A terra triplex eadem die co-
 natus factus]* Non hæc est Ap-
 piani mens, sed tertiam hanc
 esse eadem die tentatam a Mi-
 thridate Cyziæi oppugnationem;
 τρίτα δ' αὐτοῖς ἐπήγετο τῆς αὐτῆς
 ἡμέρας τὰ ἐν τῇ γῆ μηχανήματα

δοῦ πάντα. Primo nimirum cap-
 tivorum lacrymis Cyzicænos ex-
 pugnare conatus fuerat Mithri-
 dates; secundo, admotis mari-
 timis viribus; tertio tum, ter-
 restribus. *Crev.*

aceti et aquarum copia præsto erat. Cetera missilia vestibus centonibusque oppansis impetu fracto cadebant irrita. Nihil denique, quod humana suggerere aut exequi industria possit, a Cyzicenis omittebatur. Neque, tamen prohiberi potuit, ne pars mœnium succensa sub vesperam concideret. Sed hostis, ne per ruinas irrumperet, ardore incendii vetabatur. Idcirco sequenti nocte obsessi, alio munimento excitato, clauserunt locum.

13. Mithridates, vanæ oppugnationis dolore æger, varie se torquebat, non solum virtute obsessorum, sed etiam casibus territus, quos plerique ad faventia Cyzicenis numina referebant. Aristagoras enim, qui in summo magistratu populi agebat, Proserpinam astitisse sibi in somniis asserebat, dicentem, ‘adversus Ponticos tubicines, Africum se tibicinem comparasse.’ Mirantibus hanc vocem Cyzicenis, sub primam lucem intumescere mare, ventisque sibilantibus machinæ stridere cœperunt. Mox incredibili vehementia coortus auster turres hostium, inter quas et illam insignem centum cubitorum altitudine, momento disjecit; et machinas reliquas ita laceravit, ut inutiles redderentur. Iliensium quoque multis apparuisse per quietem Minervæ speciem ferunt, multo sudore manantis, ostensaque pepi parte disrupta, dicentis, ‘modo se ab ope Cyzicenis ferenda reverti.’

14. Aliud deinde miraculum captas superstitione mentes, pro diversarum partium studiis, spe aut metu replevit. Cyziceni præcipua religione Proserpinam venerabantur; cui et ab Jove dotis nomine datam insulam asserebant. Ei quotannis vacca nigra faciebant: et dies sollemnis sacrificii aderat, nec destinata Deæ hostia suppetebat; sed cum cetero Cyzicenorum armento trans fretum in pascuis, et in potestate hostium erat.

15. Idcirco ut humanis ingenii proclive est cultus divini magisterium sibi sumere; Messeniorum atque Lacedæmoniorum exemplo, qui centum tripodas statuere jussi, e ligno aut luto fecerant, pastam e farina formarunt in bovis figuram. Jamque admovebant aris: cum per mediam urbem cursu fertur vera victima, quæ, relicto armento, sola per hostium classem de montibus adnataverat, ne

Jul. Obs.
Plut.

Appian.
Plut.

Appian.
Plut.

Pausan. IV.
Plut.

claustris quidem, quæ ad angustias portus exstructa erant, Appian.
morantibus, et sub aquis emenso quod illa obtinebant
spatio.

16. Sacrificio summa Cyzicenorum lætitia, ob præsen-
tem, ut interpretabantur numinis favorem, peracto; regem
amici ne cum Diis pugnare pergeret hortabantur. Ille Strabo.
nihil territus, a cervice, qua Dindymo monti urbs connec- Appian.
titur, aggere ducto, turres imposuit, tutiores a venti im-
petu futuras; cuniculos quoque egit: alacriter occurrenti-
bus ad omnia obsessis, qui vicissim et ipsi suffodientes Strabo.
humum, aliquando ab ipso rege in cuniculis suis oppri-
mendo haud multum abfuerunt. Inter hæc etiam comperta Plut.
Luculli præsentia magis erecti sunt animi: postquam mis-
sus ab Archelao Demonax primus id nuntium in urbem
intulit; dubitantibusque puer, qui captivitatem hostium
fuga evaserat, interrogatus ubi castra Romana essent,
digito commonstravit.

17. Neque prætereunda est via, qua nuntius Luculli
obsessam in urbem penetravit. Namque duos maximos Sall. Hist.
utres lævi tabulæ subjecerat: utribus insutæ literæ Lu- 111. 6.
culli erant, quo adversus humorem tegerentur. Ab infe- Sidon.
riori parte duæ regulæ distantes invicem utres continebant. Carn. xxii.
Huic machinæ impositus, per trajectum, septem millia v. 168.
passuum habentem, pedibus iter agubernans, inter molem. Front. 111.
Mithridatis atque insulam, vitabuudus hostium classem, 13.
ad urbem pervenit: nam procul visentibus non homo, sed Oros. vi. 2.
marina pistrix esse creditus, nemine curante, evaserat. Sallust.
Tandem et præsidii immittendi Lucullo reperta est ratio. Frontin.
In Dascylite lacu acatia satis magna commeabant. Eo- Flor. 111. 5.
rum quod erat capacissimum plaustris deduxit ad mare, Strabo.
militibusque replevit. Hi, noctu transmisso freto, incolu- Plut.
mes pervenerunt in urbem, quorum auxilio confirmati. Cy-
ziceni, crebris eruptionibus fatigarunt hostem, machinas- Appian.
que ejus incenderunt.

18. Tolerabat tamen obfirmatus animo Mithridates, Plut.
quamdiu, eclantibus rem ducibus, famem exercitus igno- Sall. Hist.
rabat. Postquam superveniens hyems maritimos com- 1v. in Epist.
meatus præclusit, et confecti inedia milites ne cadaveri- Mithrid.
bus quidem humanis abstinebant, et e cibis insalubribus Appian.

Plut. Sidon. morbos mortesque contagio vulgabat; ut se parte copi-
 Carm. II. v. arum exoneraret, observato tempore, quo profectus ad
 513. et arcis cujusdam oppugnationem Lucullus aberat e castris,
 XXI. 165. peditatus inutilem turbam, et omnem ferme equitatum,
 Appian. Strabo. cum grege jumentorum inopia pabuli languido, et detri-
 Memnon. tis unguis claudicante, aversis ab hoste itineribus in Bi-
 Sall. In- thyniam misit.
 cert. 17. Oros. Plut.

19. Ea res cum prope nuntiata Lucullo esset, noctu
 Appian. rediit ad stativa; et postridie dubia adhuc luce, nec hy-
 Memnon. berna tempestate deterritus,^d cum decem cohortibus delectis
 et equitatu insecutus est. Nivosa dies erat, et incom-
 moda multa properantibus objiciebantur. Itaque, parte
 militum ob frigoris asperitatem deficiente, cum reliquis ad
 Rhyndacum adeptus est barbaros, dum in transitu flumi-
 nis necessariam moram trahunt. Multa ibi regionum cæ-
 des facta. Vivi quindecim millia capti, cum sex equorum
 millibus, et jumentorum propemodum incredibili multitu-
 dine: tantis copiis ita deletis, ut etiam ex Apollonia fœ-
 minæ procurrerent in campos, diriperentque sarcinas, et
 Plut. interfectorum cadavera spoliarent.

20. Adversa Propontidis et Bithyniæ, sub idem tem-
 Oros. pus aggravavit aliarum Mithridatis copiarum clades. Fan-
 nius enim, et Metrophanes regius prætor, a Mamerco victi,
 cum duobus millibus equitum in Mysiam^e profugerunt:
 atque inde in Mæoniæ digressi, cum hostem evasisse
 putassent, ipsius soli, cui se crediderant, plusquam hos-
 tiles insidias sunt experti, feceruntque vulgatæ fabulæ
 Strab. xiiii. fidem, Arimos² ibi et fulminati a Jove gigantis cubile
 p. 627.

2 Ex Strabone emend. Crev. In edd. præc. legitur *Animos*.

^d *Postridie dubia adhuc luce, nec hyberna tempestate deterritus*] Hic omnes editiones variant. Prima habet, *postridie dubia adhuc huc, nec hyberna*: Doujatiana, *dubia adhuc, nec hyberna*: Clerici editio, *postridie nec dubia adhuc, nec hyberna*. Duarum antiquiorum lectiones insulsæ sunt: postremæ emendatio nescius tegit, non curat. Recurri-

mus ad Plutarchum, qui habet, *πρωτὶ δὲ χειμῶνος ὄντος*. Quæ verba, cum prima editione collata, nihil dubium relinquunt, quin Freinshemius voluerit quod edidimus. Crev.

^e *In Mysiam*] *Mæsiam* præferunt priores editiones, atque ipse Orosius. Et sane Mæsia et Mysia unum idemque nomen est. Sed usus invaluit, ut Mæsia in

ponenti. Delati certe in loca caeca subter terram incendio infamia, saxis quoque et humo quasi fuligine quadam occultum ignem prodentibus, magna cum sollicitudine oberarunt; donec, tandem via reperta, in castra regia reversi sunt. Eodem tempore praefectus regis Eumachus, post egregios successus, necatamque cum uxoribus et liberis civium Romanorum magnam multitudinem, Pisidia Isaurisque subactis, Cilicia tentata, cum in Phrygia bellum movisset; Deiotarus Gallograeciae tetrarcha, vagantem assecutus, magna clade affectit.

Oros.

Appian.

Liv. Epit.
Oros.

21. Hoc etiam anno Cn. Pompeius in Hispania prospere bellavit cum Q. Sertorio: qui, jam curis et laboribus fessus, et quia se peti videbat eorum insidiis, qui, se remoto, salvi esse non poterant, ad obeunda ducis munia sequior, in luxum et libidines declinabat. Unde cum frequentius succumberet, quotidie ad iram pronior, multis ob suspicionem doli crudeliter interfectis, ceteros ad maturandam conjurationem acrioribus stimulis incitavit.

Liv. Epit.

Appian.

Civ. 1.

22. Erant illi jam antea, simul ex ingenti metu, per virtutem atque felicitatem Sertorii, animos ad spem transulerant, livore et æmulatione potentiae infensi: et crebris Perpernae sermonibus incendebantur, qui sibi debere summam imperii propter nobilitatem generis existimabat. Idcirco clandestinis opprobriis Sertorium apud credulos onerando, sortem suam ceterorumque invidiose deflebat. ‘Quis enim,’ inquit, ‘malus genius eo calamitatis nos compulit, ut Syllae terrarum omnium marisque dominium obtinenti parere dedignati, ubi licuisset domi manentibus, salva dignitate, salvis facultatibus in otio degere, Sertorium sequamur; et voluntariam sub inani libertatis specie servitutem amplexi, dicto exulis geramus morem? Egregio scilicet praemio, quod ridicula omnibus appellatione senatus vocamur; sub decore nomine, non minus laborum contumeliarumque, ac si Celtiberi aut Lusitani essemus, perferentes!’

Plut. Sert.

c. 41.

23. ‘At qui Romae remanserunt, cum amplissimis emo-

Europa regio ad Danubium, My-
sia in Asia regio vicina Bithy-
nia et Phrygiae frequentius vo-
cetur. *Crev.*

umentis sacerdotia et magistratus capiunt; provincias sortiuntur; triumphos ducunt: et uno pridem remoto domino, ipsi rerum omnium moderatores sunt et arbitri. At nos contentum et vile vulgus obscuri hominis imperio premimur: perpetuumque et ipsi dictatorem, sed deteriore conditione nostra, patimur, quam illi Syllam habuerunt. Sylla enim, armis sane potentior, ab invitis forsitan, sed tamen jus istud habentibus, dictaturæ novi generis imperium obtinuit, sed paulo post sponte sua positurus. Hic neque bello nos vicit, ut vel hoc jure plus pollere debeat; neque nostris suffragiis adeptus potentiam, tenet stringitque, non temporum limites ullos, non rerum aut negotiorum circumdari patiens. Ad hæc Sylla hic crudelior, non inimicos suos tantum, ut ille, proscribit; sed socios omnis fortunæ amicosque trucidat, vitam his eripiens sine quorum ope vivere ipse non potuisset. Neque licet, aut vacat de aliorum interitu queri. Jam ubi hos sermones aliquo indicio resciverit, hæc libertas nobis ultimo cruciatu luetur?

24. Atqui his querelis occupatæ hominum mentes imperia Sertorii contemnebant: aut si qui suscepissent, contra utilitatem et consilium ejus bene cogitata in exitium, omittendo præcepta, faciendo vetita, convertebant. Destitutusque ministerio Sertorius, cum multa præclare provideret, non alium consiliorum fructum, quam tædium irri laboris, et duræ indignæque sortis gravem atque inanem conquestionem, capiebat.

Figli. Ann. 25. Anno sequenti M. Terentius M. F. Varro Lucul-
680. lus, C. Cassius Varus, consules facti, legem Terentiam et
Cic. in Verr. 111. 70. Cassiam frumentariam tulerunt, ut annonæ urbis consule-
Flor. 111. 6. retur.* Piratis enim maria diu infestantibus, sublato ge-
Cic. pro neris humani commercio, non modo negotiatores navigare
Leg. Manil. prohibebantur, sed ne classibus quidem Romanis tutus
c. 12. cursus erat. Igitur plebs penuria commeatuum sæpe tu-
Sall. In- multuabatur; curamque patrum intendeat, ut omnia
cert. in Or. expediendæ annonæ remedia tentarent. Igitur L. Octa-
Cottæ. vio, C. Cottæ consulibus permisit senatus, ut vini et olci
Verr. 111. 7.

* A. U. C. 679. A. C. 73.

decumas, et frugum minutarum, quas quæstores in Sicilia vendere consuevissent, Romæ venderent: et mox Q. Hortensius in adilitate, sesquimodiis in capita divisus, magnam a populo Romano gratiam inivit; quia caritas annonæ faciebat, ut, quod re parvum erat, tempore magnum videretur. Deinde M. Tullius Cicero quæstor frumenti maximum numerum ex Sicilia misit.

Cic. in
Verr. III,
c. 92.

Cic. pro
Planc. c. 26.
Plut. Cic.

26. Quæ omnia cum tanta populi multitudo facile absorbuisset, nec ideo difficultas annonæ cessaret,³ consules ex senatusconsulto tulerunt, ut frumentum a Sicilia civitatibus emeretur. Ad hanc frumenti emtionem ex inopi atque exhausto arario per triennium prope centies et vicies^f erogatum est. At hæc modica in præsens auxilia solabantur potius, quam tollebant penuriam: neque antea reddita Urbi solita copia commeatum est, quam Cn. Pompeii virtute piratæ toto mari arcerentur.

c. 8.

Cic. in
Verr. III, 70.

3 Cessabat edd. ante Crev.

//////////

^f Centies et vicies] Marcæ argenti nostrates 46875. Crev.

SUPPLEMENTUM

LIBRI XCV.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

- Liv. Epit. 1. **H**OC anno C. Scribonius Curio, Dardanis in Thracia
Eutrop. vi. victis, bello finem imposuit, acribus suppliciis domita in-
Marcellin. quietarum gentium ferocia, cum rebellium primores am-
xlix. 26. putatione manuum, ceterorum plerosque morte multavis-
set. Eadem expeditione Mæsi quoque subacti: et ad
Sext. Ruf. Danubii Daciæque terminos ventum. Ne ulterius proce-
c. 8. deretur, insidiosa loca densique saltus impedimento fue-
Flor. III. 4. runt.
- Pacat. Pa- 2. Novum inter hæc bellum contentis initiis (adeo
negyr. c. 23. nullius imperii tuta vel domi potentia est) in maximas
Liv. Epit. Italiae calamitates evaluit. Quatuor et septuaginta gla-
Vell. II. 30. diatores Capuæ ex ludo Cn. Lentuli profugerunt, Galli
Eutrop. vi. plerique, pertæsi pessimæ sortis, ad quam eos non suum
Oros. v. 24. aliquod scelus, sed iniquitas domini coëgerat. Hi cum,
Appian. Civ. I. veribus atque coquinariis cultris e popina correptis, op-
Plut. Crass. pido erupissent, in plaustra quædam inciderunt, quibus
arma gladiatoria portabantur. Atque illi, velut munere
Deum oblatis armis alacres, in munito quodam colle con-
stituerunt, ducibus tribus creatis, inter quos Spartacus emi-
nebat, Thrax gente, et ab ineunte ætate pastor; sed ani-
mo et viribus ingens, nonnulla quoque belli peritia, quod
Flor. III. 20. inter stipendiarios militaverat, ferociam originis instituti-
- Appian.
Plut.

que prudentia et moderatione temperabat. Uxor ei orionda indidem aderat; quæ Bacchici numinis plenam se ferens, quo primum tempore Romam venalis est deductus, conspecto dracone circa dormientis caput instar coronæ convoluta, magnam viro potentiam prædixerat. Cognito hominum consilio, statim ex oppido venerunt armati, qui eos ex fuga prehenderent. His fuis fugatisque, cum multa arma militaria cepissent, abjectis gladiatoris, quæ oderant, illa læti gratulabundique sumserunt.

3. Inter hæc Claudius Pulcher legatus, cum tribus millibus armatorum ex Urbe accurrit; et ad Vesuvium montem, quo illi se receperant, castris positus, aditum, qui unicus ea parte, atque is difficile tamen et impeditum iter præbebat, obsedit. Illi nullas circa stationes, qua inaccessus videbatur, conspicati, per abrupta cavasque fauces catenis ex vite sylvestri confectis se demiserunt, uno relicto, qui, dejectis armis, postremo ipse quoque descendit. Spartacus postquam incolumes omnes recepit, solerti cum audacia statim ad castra Romanorum duxit, et improvisi periculi consternatione ita terruit Claudium, ut turpi fuga castris desertis, aliquot cohortes quatuor et septuaginta gladiatoribus cederent.

4. Res prosperæ, ut assolet, statim invenerunt socios, multique pastores, durum et pernix genus, accesserunt ad partes: quorum robustissimum quemque armavit Spartacus, reliquos antecursorum et velitum numero habuit. Servitiis deinde ergastulisque concitatis, cum celeriter ad hominum millia decem coivissent, quod armorum erat inopia, scuta ex vimine dedit. Eratque is facilis labor solitis vasa agrestia ex viminibus nectere: et unoquoque se ad eam artem in formam equestris parmæ armante, celeriter confecta res est. Mox mactatis pecoribus, parmas cooperiebant, cum coria recens detracta quasi glutino adhærescerent. Ferro dein ergastulorum recocto, gladios ac tela fabricabant.

5. His rebus festinare coactus P. Varinius prætor, cui senatus negotium extra ordinem dederat, cum justo exercitu, sed tumultuarie conscripto, advenit. Sed legatum ejus Furium cum duobus millibus militum præmissum a

Liv. Epit.

Plut.

Vell. Flor.

Plut.

Frontin. 1.

5. 21.

Flor.

Plut.

Oros.

Frontin.

Plut.

Liv. Epit.

Flor.

Sall. Hist.

iv.

Front. 1. 7.

Flor.

Sallust.

Flor.

Flor. prætore acie congressi fugitivi fuderunt. Qua victoria
 Sall. usi sævius etiam infestiusque totam Campaniam pervagati
 Fragm. ex Biblioth. sunt. Nec villarum atque vicorum vastatione contenti,
 Reg. Coram, Nuceriam, et, quæ Romanis exercitibus tot per
 annos restiterat, Nolam, crudeliter populabantur. Nac-
 tique nonnullos quibus maxime infensi erant, eorum morti
 nefandum in modum illudebant, lacera corpora, sed adhuc
 spirantia, ne cito dolore defungerentur, omittentes. Alii
 in tecta jaciebant ignes: multique ex locis quæ occupata
 erant servi, quos ingenium socios dabat, abdita a¹ domi-
 nis, aut ipsos trahebant ex occulto. Neque sanctum aut
 nefandum quicquam fuit iræ barbarorum, et servilî inge-
 nio; nequeunte² prohibere Spartaco, quanquam multis
 precibus oraret.

Plut. 6. Igitur, ut alio consilio eos ab hac immanitate abdu-
 ceret, simulque adventus sui celeritate præverteret nun-
 tios; raptim in Lucaniam ductis copiis, Cossinium, qui
 datus prætori adjutor fuerat, cum magna militum manu
 apud Salinas agentem ita improvise impetu oppressit, ut
 nihil propius sit factum, quam ut lavantem comprehende-
 ret. Impedimenta certe ejus omnia diripuit, vestigiisque
 fugientium hærens multos occidit, et castra eorum cepit,
 ipso ibi Cossinio interfecto.^a Hinc Lucaniæ magnam
 Flor. partem, Thurinum maxime Metapontinumque agrum, in
 potestate fugitivi habuerunt, ipsis quoque urbibus eodem
 bello potiti.

Sallust. 7. At Varinius, dum hæc aguntur a fugitivis, ægra
 Fragm. parte militum autumnî gravitate, neque ex postrema fuga,
 cum severo edicto juberentur, ullis ad signa redeuntibus,
 et qui reliqui erant, per summa flagitia detrectantibus mi-
 litiam; quæstorem suum C. Thoranium, ex quo præsentem

¹ Aberat ab edd. præpos. a priusquam Crev. ex Sallust. præ-
 posuit.

² Nequiente edd. ante Crev.

^a Ipso ibi Cossinio interfecto] E verba, quæ inter ejus fragmenta
 regione horum verborum in mar-
 gine hæc in editione Doujatiana
 legitur notula: "Ibi in sylva (an
 Sila) fuerunt." Sallust. Incert.
 iv. 7.' Nimirum hæc Sallustii
 reperiantur, Incert. 8. 'In syl-
 va Sila fuerunt.' Videtur Frein-
 shemius referre voluisse ad hanc
 Spartaci victoriam. Crev.

vera facillime noscerentur, in Urbem miserat: et tamen interim cum volentibus in expeditionem prodiit. Auxiliis deinde contractis, cum quædam non improspere gessisset, contra morem fiducia augeri Romanis et promi lingua cepit. Quo Varinius contra spectatam rem incaute motus, novos incognitosque et aliorum casibus percussos milites ducit tamen ad castra fugitivorum presso gradu; silentes jam, neque tam magnifice sumentes prælium quam postulaverant.

8. At fugitivi certamine consilii inter se juxta seditio- nem erant, Crixo et gentis ejusdem Gallis atque Germanis obviam ire et ultro offerre pugnam cupientibus. Contra Spartaco dimittere quæ haberent e loco commoda, et, quam integro exercitu sperarent, cum periculo victoriam quærere non placebat. Quo deinde ordine ac loco res unaquæque gesta sit, amissis, quæ de hoc bello erant prodita, non habeo dicere. Illud certum utique habetur, multis præliis victum a Spartaco Varinium esse, et adeo ægre elapsus, ut equum illius lictoresque cum fascibus et insignibus magistratus ad Spartacum fugitivi detulerint, quibus etiam postea usus est.

Plut.
Appian.
Flor.

9. Eodem tempore cum forte præclusus a P. Varinio Spartacus fuisset, insigni astu elapsus est. Cum enim operibus hostium in arctum coacti essent fugitivi, consumtis jam alimentis, nec suppeditantibus ex propinquo, secunda vigilia cuncti egrediuntur, relicto buccinatore in castris, et ad vigiliarum speciem procul visenti cadaveribus, quæ crexerant fulta palis, per modica intervalla ante portam fixis. Ea veste atque armis adornata cum per tenebras, aut dubia adhuc luce satis tegerent fraudem, et per tota castra ignes collucerent, facile deceptus hostis est, ut eodem adhuc loco fugitivos esse crederet. Multa demum lux aperuit^b quid actum esset, missique sunt equi-

Frontin.
Strat. 1. 5.
22.

^b *Multa demum lux aperuit*] Hæc et quæ sequuntur usque ad finem capituli, itidemque parvula quædam ex ea narratione quæ præcessit de eluso Spartaci fraude Varinio, notanda sumserit Freinshemius, nulla dili-

gentia reperire potuimus; nec quicquam omnino de hoc Spartaci facto in Sallustianis Fragmentis extat, quæ tamen hic in editione Doujatiana ad marginem allegantur. *Crev.*

tes, qui vestigia Spartaci scrutarentur, et quantum possent damni ac moræ facerent. At ille, visis equitibus, priusquam cum reliquo exercitu adesset Varius, prope nactus idoneos ex callibus duces, Picentinis, deinde Eburinis jugis occultus ad Nares Lucanas, atque inde prima luce pervenit ad Populi Forum, ignaris cultoribus.

Sall. Hist. III. 22. 10. Ac statim fugitivi contra præceptum ducis rapere ad stuprum virgines, matres, et aliis sceleribus operam dare; multum obtestante Spartaco, cui præter humilitatem sortis, nihil ad eximii imperatoris tuendum nomen deerat. Neque sapientiæ egebat, qua futura prospiceret: victoque Varinio, cum majorem esse Romanam potentiam intelligeret, quam ut sperare interitum ejus posset, auctor ad Alpes eundi suis erat, ut iis superatis, diversi Thraeces Gallique suam quisque patriam repeterent. Sed illi multitudine confisi, et elati successu, spernebant salubre consilium, et devastanda Italia, suæ libidini avaritiæque indulgebant. Jam enim circa Consentiam et Metapontum Oros. v. 21. delectibus agendis ita creverant, ut tum quidem Spartacus triginta millia, Crixus decem sub signis habuisse tradatur. Nam tertius ducum CEnomaus superiore bello^c perierat.

11. Interea, dum Romana arma domi a servis contemnantur, in remotis provinciis contra potentissimum regem, imperatore Lucullo, magna cum gloria fulgebant. Omnem jam non commeatum modo Mithridates, sed etiam opes, copias, spem denique expugnandæ Cyzici consumserat. Igitur, Hermæo Varioque traditis peditibus, quorum numerus adhuc triginta millia superabat; ipse maritimo itinere in regnum cogitabat reverti.

Plut. Luc. Memnon. 12. Noctu, quo falleret obsessos, conscendi navigia jussit. Sed ea majoris trepidationis causa fuit. Dum, inter tenebras, metu reverentiam imperii vincente, certatim et promiscue ad naves ruitur, quædam³ cum his qui

³ Ante cum exhibetur in edd. priorr. Crev. vox *ita*.

//////
^c *Superiore bello*] Id est, su- solet Orosius, cui hæc debentur. Crev.

inscenderant, summersæ sunt ; aliæ turbatæ atque circum-
actæ plus adhuc moræ consternationisque fecerunt. Hoc modo ægre solutis anchoris Parium rex pervenit. Quod Appian. Mithrid. Memnon.
ubi postridie a Cyzicenis est cognitum, excurrentes in Pontica castra, reliquam adhuc ægrotam multitudinem conciderunt, ablatis quæ verti in prædam poterant.

13. Sub idem tempus Archelaus classis regię præfectus^d (Aristonicum Plutarchus appellat) in potestatem Plut. Luculli pervenit. Miserat eum Mithridates, ut negotium facesseret hosti, ne recedentem a Cyzico sequi posset : dederatque decem millia aureorum,^e ad Fimbrianas corrupendas legiones. Sed ille fidem a perfidis inepte sperare ausus, cum tanquam ad accipiendas copias destinato tempore venisset, occisis quos secum adduxerat, comprehenditur. Lucullus, audito pedestres Mithridatis Memnon. copias Lampsacum petere, continuo insecutus, ad Æsepum Appian. amnem deprehendit, qui tum anni tempore pluvioso plurimum creverat. Ibi Granicus et Æsepus amnes Flor. III. 5. eruentarunt undas ; regionumque partim aquis hausta, partim hostilibus concisa armis, ad millia viginti perierunt, Plut. magnus præterea captus est numerus : plusquam undecim Oros. VI. 2. millia Varianorum militum^f in prælio ceciderunt. Ceteros, cum se munimentis oppidi clausissent, Lucullus ob- Appian. sedit : donec a Mithridate missa classis, et illis et Lampsacenis omnibus exportatis, vacuum urbem victori reliquit.

14. Hic eventus obsidionis Cyzicenæ fuit ; qua periisse Plut. Oros. de regiis militum lixarumque ad trecenta millia putantur. Cyziceni, sua et Luculli virtute incolumes, quo grati erga Appian. benemeritum essent, ludos victoriæ solennes instituerunt, Lucullea vocantes : ipsumque, cum ingressus urbem esset, exquisitis honoribus acceperunt. Mithridates interea, cum quinquaginta naves, in quibus decem millia delecto-

^d Archelaus classis regię præfectus] Vid. supra XCIII. 19. Crev.

^e Decem millia aureorum] Marcas auri 312. uncias 4. Crev.

^f Plusquam undecim millia Varianorum militum] Dnas postremas voces ex Orosio adjecimus, nisi quod ille habet *Marianorum*,

quia nempe, quem Freinshemius, Appiano obsecutus, *Varium* appellat, is Orosio *Marius* est. Ceterum intelligendum est undecim hæc millia comprehendi in viginti illis millibus regionum, quos Plutarchus periisse memorat. Crev.

- rum virorum imposuerat, L. Vario, et Alexandro Paphlagoni, et Dionysio eunucho tradidisset, cum aliquanto Memnon. ampliore numero Perinthum navigavit: frustra que tentata oppidi capiundi spe, Nicomediam Bithyniæ petiit, postquam apud Parium ex utraque classe multas naves tempestate perdidisset.
- Sall. Hist. 1v. in Epist. Mithrid. Appian. Plut. 15. Neque Lucullo tempus per otium transigebatur, quin, ex omni Asia navibus ad Hellespontum contractis, classem compararet: tanta fiducia, ut senatui tria millia talentorum ^ε ad eos usus decernenti rescriberet, ' summam eam ærario se parcere: neque ideo minus auxilio socialium navium Asiam ab incursu regionum esse liberaturum.' Neque promissa ejus magnificentiora, quam facta, fuerunt. Appian. Classem ita distribuit, ut cum parte navium ad recipiendas Phrygiæ urbes Valerium Triarium; cum aliis Voconium Barbam ad distinendum Nicomediæ Mithridatem mitteret: ipse reliquis ad ea quæ occurrerent usus.
- Strabo xii. p. 577. 16. Ab omnibus feliciter res gesta. Triarius Apameam, quæ Cibotus cognominabatur, maximum post Id. ib. p. 579. Ephesinam urbem Asiæ emporium, obsedit. Erant magna beneficia regis penes Apamenos, quod terræ motibus quassatam urbem, centum talentis ^h publice dono datis, refecerat. Igitur acris aliquamdiu defensio, et post expugnationem, cædes eorum etiam qui in templa confugerant, fuit. Dum ad hunc modum Apamea vastatur, Memnon. Appian. Oros. Appian. Memnon. Prusa quæ sub Asiatico Olympo jacet, per Barbam capta ac directa est. Triarius etiam Prusiam maritimam urbem, quæ olim Cius fuerat, volentibus oppidanis cepit, qui præsidium regis expulerant, eo merito libertatem ab Romanis adepti. Ea res etiam Nicæam tradidit Romanis, disfligentibus noctu ad Mithridatem qui tuendæ fuerant impositi, quod animos Nicæensium ad Romanam amicitiam inclinare sensissent.
- Strabo xii. p. 561. Appian. Memnon. Plut. 17. At vero Lucullus, qui ab Hellesponto Troadem petierat, cum in fauo Veneris pernoctasset, vocari se a Dea ad oberrantem in proximo prædam somniavit. Sta-

^ε *Tria millia talentorum*] Marcis argenti 281250. *Crev.*

^h *Centum talentis*] Marcis argenti 9375. *Crev.*

timque jussis convocari amicis, Græcisque comitibus; ‘ Non potui differre,’ inquit, ‘ quin protinus exponam vobis, quod mihi visum obvenit in templo.’ Somnio deinde narrato, ‘ Talis, inquam, per quietem obversata mihi species est, sed ita expressa, et velut solidæ comprehensionis, ut ista videre ac audire totis sensibus, non autem per iuanes somni figuras imaginari crederem.

18. ‘ Sane jam olim sæpius, sed maxime, cum pro quæstore missus a Sylla ad Ptolemæum Alexandriæ agerem, de omnibus ejusmodi rebus diligenter audivi disserentes doctissimos viros. Erat enim tum etiam hic Antiochus, Cic. Acad. Quæst. iv. 2. et 4. mecum; et antea jam Heraclitus Tyrius agebat Alexandria, qui et Clitomachæ multis annis, et Philoni operam dederat. Sed ita mihi hæc intricata, et ab hominis certa cognitione remota videbantur, ut inter disputationes eruditum, id semper probabile videretur, quod a disserente defendebatur. Nam etiam qui decreta sua parum confirmarent plerumque sententiam adversariorum haud inepte refellebant. Igitur eo inclinabam, ut incertam omnium opinionem,¹ neque firmiter comprehendi posse quicquam arbitrarer.

19. ‘ Sed unum ubique occurrebat irrefragabilis veritatis argumentum, ut, si dubitandum esse de omnibus putarem, id tamen scire viderer, esse utique de rebus dubitationem, et me esse qui dubitarem. Ab hoc minime obscuro aut fallaci gradu statim eo ascendebam, ut sine ulla fluctuatione comprehenderem, esse aliquam humanam superiorem naturam, quando nec ipse me fecissem; et, quoniam essem, ab aliquo certe factus essem. Id autem, cujus potentia, et ego, et quicquid est, nec ab se ipso est, extitissimus, non aliud intelligere poteram, quam quod video Dei appellatione apud omnes censerem. Nam etiamsi plerasque apud gentes complures Dii coluntur; tamen sa-

¹ *Eo inclinabam, ut incertam omnium opinionem]* Hic facile agnoscitur Cartesianæ veritatis per dubitationem investigandæ ratio, ejusdemque mox stabilicndæ per primam cognitionem, quæ plane certa et indubitata

ceteris omnibus quasi fundamentum substrui possit. Hæc doctrina quam probabiliter Lullus hic tribuatur, alii viderint. At Freinshemius Cartesio familiariter usus est. *Creæ.*

pietissimus quisque Deorum omnium unum regem patremque credit, a quo descendat quicquid inferioris ordinis est, non potestate cum illo, non natura comparandum.

20. ' Ut igitur haud inepte dubitari queat, quantum quæ in hoc fano colitur, Venus valeat, quantaque sit hujus loci sanctimonia: sic etiam experientia constat, neque rationi refragatur, esse aliquam majorem humana potestatem, quæ de futuris, aut etiam præsentibus ita moveat hominum mentes, ut illo stimulo admonitæ, non inclinent modo ad credendum, sed etiam penitus ita se rem habere pro certo compertoque habeant. Mihi sane ita nunc affectus est animus, ut de veritate rerum, quæ mihi per quietem sunt ostensæ, minus etiam dubitare possim, quantumcumque inhibere assensum coner, quam de his quæ nunc videns vigilansque facio.'

Plut.

21. Hæc agenti cum amicis, dum adhuc loquebatur, supervenerunt ab Ilio nuntii, tredecim conspectas esse regis quinqueres, Lemnum, ubi præfecti classis ad anchoras stabant, petituras. Igitur prope evectus, inter Tenedum et Achæorum stationem prælio commisso, Isidorum qui navibus illis præerat interfecit, naves omnes cepit. Inde mari Ægeo Lemnum profectus ad ceteram classem expugnandam, in deserta insula, ubi Philoctetæ casum æneus serpens, arcusque, et fasciis illigatus thorax indicabat, præfectos regis deprehendit.

Memnon.
Plut.
Appian.

Plut.

22. Nec elici ad pugnam poterant: subductasque ad littora naves, tabulatis superstantes acriter defendebant. Multus ibi labor Romanis fuit, multaque vulnera accepta: quia inhaerentes littori naves, a fluctuantibus, tanquam firmata in stabili solo castella, levi et irrita conatu petebantur. Postremo circummissi alia parte milites exscensione facta a tergo circumvenerunt hostem: et, occisis nonnullis, alios propellere naves, et in aquas se recipere cœgerunt. Ibi inter duo maxima discrimina deprehensi, et utrum magis vitarent incerti, dum neque altum petere metu hostilium navium audent, et terra ab expositis prohibentur, ad oram oberrantes, utrimque vulnerabantur. Sic velut indagine deprehensi sunt omnes, nisi quos mors obita ferro eripuerat.

Appian.

23. Duces ejecto in terram navigio speluncam ingres- Oros. vi. 2.
 sos male texerunt latebræ. Postera die cum caperentur, Appian.
 Dionysius, epoto quod secum habebat veneno, statim
 exanimatus est. Alexandrum Lucullus ad triumphum
 servari voluit. L. Varius, quia senatorem Romanum in
 triumpho duci fas non erat, post contumelias et ludibria Plut.
 supplicio affectus est. Quod ne faciliori forte exitu au- Plut.
 teverteret, Lucullus suis, ut quem Iuseum occiderent Oros.
 (captus enim altero oculo erat Varius) præceperat.
 Multi et alii proscriptionum tunc interemti sunt. Duæ
 et triginta naves regiæ cum onerariis compluribus eo
 tempore demersæ aut captæ fuerunt.

24. Hæc a Lucullo ad senatum perscripta magnam Appian.
 in Urbe lætitiâ excitavit: maxime postquam est cog- Cic. pro
 nitum, classem hostium, quæ duplici prælio deleta aut Arch. c. 9.
 capta fuerat, sub acerrimis ducibus Italiam petere vo- pro Mur. c.
 luisse. 15. pro L.
Manil. c. 8.

25. His confectis, ad expellendum Bithynia regem Appian.
 properabat. Hunc enim credebat a Voconio attineri, Plut.
 legato suo, quem ea gratia imperator præmiserat. Sed
 ille, Samothracen profectus, dum superstitionibus dat
 operam, diesque cærimoniis et initiando terit, Mithri-
 dati præbuerat effugiendi copiam: qui si in tempore af-
 fuisset, clauso maris exitu, capi Mithridates Nicomediæ
 potuisset.

26. Nam a terra binis castris obsidebatur: quia M. Memnon.
 Cotta, ut acceptum ad Chalcedonem dedecus aboleret,
 satis impigre Nicomediam perrexerat, castris ad vicesi-
 mum fere lapidem ab oppido communitis, ne pugnare
 contra commodum cogeretur. Eodem et Triarius non in-
 vitatus occurrit. Et quia rex intra mœnia suos reducerat,
 ab utroque Romanorum exercitu cœpit obsideri. Quod
 interim mediocriter ferens, postquam gemina navali pugna
 classem amissam didicit, Lucullo superventuro se ratus
 imparem, Pontum petere classibus decrevit.

27. In hoc itinere denuo tam fœda tempestate conflic- Liv. Epit.
 tatus est, ut navalis prælii instar esset, duplicique hac Flor. iii. 5.
 clade Mithridates prius ad Parium, et nunc haud procul Sall. Hist.
 Heraclea, ad decem hominum millia, et rostratas sexa- iv. in Epist.
 Mithrid.

Appian.
Oros.
Sall. Plut.

Memnon.

Ptolem.
v. 1.

Memnon.

ginta, florem exercitus sui classisque, deperderet. Eam calamitatem ad iram Priapenæ Dianæ superstitiosi homines retulerunt, cujus a regiis spoliatum templum abrep-tumque simulacrum fuerat. Amissa magna parte classis, cum plerisque navibus in ostium fluminis Hypii, quod haud procul Heraclea abest, rex se recepit.

28. Is tum status Heracleæ erat, ut magis aliena a Romanis ob sublato publicanos, quam in potestate regis esset. Igitur dum necessario stationem in flumine, nondum sedato mari, habet, solicite inquisito, Lamachum in summo magistratu agere comperit: quo nuntio erectus, quod veteri amicitia cognitus illi Lamachus erat, missis idoneis hominibus, multa largiendo pollicendoque perfecit, ut operam suam Lamachus addiceret, quo rex in urbem reciperetur.

29. Dicta die solenne sacrificium Lamachus instituit, extra urbem vocato populo, ne portæ consueto tempore clauderentur. Ad regem interea myoparo Seleuci archi-piratæ mittitur, quem conscenderet, quia navis oneraria, qua erat vectus, ob violentiam tempestatum utilis esse desierat. Dehortabantur maximopere amici, ne corpus suum hominibus incognitæ fidei crederet. Quorum ille metum tali sermone castigavit:

Plut. Oros.
Appian.

30. 'Ego vero fidem vestram amoremque multis et magnis documentis experta novi, et æstimo: nihilque dici scio a vobis, quam ab optimo animo verissimoque affectu profectum. Sed interdum hæc ipsa quamlibet omnino sunt præstantissima, bonis consiliis obstrepunt, quoties aliquid in speciem periculosum suscipi res cogit, timor vetat: ideoque in præsentia, cum vestrum animum et probem, et, ut eum semper mihi custodiatis, enixe petam, a sententia tamen vestra dissideo.

31. 'Videtis ea nunc esse tempora mea, ut evadere pericula non aliter nisi periculo possim. Nemo, opinor, in hoc toto negotio mihi temeritatem imputabit. Paratissimus cum essem ad bellum, tamen iterum iterumque consideravi, restiti, distuli, donec apud omnes constaret, bellum opportunius sumi non potuisse. Tamen magnæ me calamitates et discrimina deprehenderunt; iis nempe viis quas cavere aut ocludere nemo mortalium queat.

32. ‘Ipsos mihi Deos adversatos esse scitis, cum Rhodios Isis, Cyzicenos Proserpina defenderent; cum Nепtunus classes meas tempestatibus persequeretur. Sed erit aliquis irarum modus, et, quod a pueritia sæpe mihi contigit, præsens vexatio majore aliquo præmio pensabitur. Nec enim frustranea semper erit hæc diligentia colendi Deos, qua nemini concedere soleo, perpetuo mecum habens sapientiæ sacrorumque magistros. Quod si decretum de me est, hæcque Superis sententia sedit, ut oppressum deletumque velint, at saltem dabitur ut impavidum obruant.

Supra
LXXVIII.
26. et XCIV.
14.

Oros. VI. 5.

33. ‘Sed absit omen! et bona potius spe votisque me prosequamini. Nam et mihi præseit animus, hoc mihi non ad securitatem modo iter, sed etiam ad augendas opes aditum fore. Seleuco satis confido; plus etiam Lamaccho: neque dispicio, quomodo sperare majora ab Romanis prodicti mei, quam a me servati præmia possint. Sed et populus Heracliensis ita est alienatus, ut quidlibet potius, quam Romanum imperium, laturus videatur.’

34. Ita metu suorum castigato, confidenter ingressus piraticam navem, prius Heracleam introivit, quam obruti vino homines adventum ejus persentiscerent. Postero demum die, cum essent ad concionem vocati, regem se habere didicerunt. Qui humaniter eos allocutus, et ad servandam sibi benevolentiam hortatus, quatuor millia militum præsidio cum præfecto Connacorige imposuit, quo ab Romanis, si forte signa eo vertissent, defenderentur. Divisa deinde populo, sed præcipue magistratibus pecunia, Sinopen et inde Amisum navigavit.

Memnon.

Appian

SUPPLEMENTUM

LIBRI XCVI.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

1. **H**ÆC eo anno gesta : et quia finestas per Italiam clades, senescens Sertorius, et Luculli res florentes relevabant, minore externorum cura, animi ad Spartaci opprimenda bella versi : tam validis jam fugitivorum opibus, ut ad septuaginta armatorum millia essent ; bini exercitus, totidemque duces Italiam pervagarentur. Igitur quam ambobus consulibus decretum id bellum cum duabus¹ legionibus^a esset, Q. Arrio² prætori etiam datæ copiæ sunt, imperiumque is seorsim a consulibus habere jussus. Consules tum erant L. Gellius Poplicola, Cn. Cornelius Lentulus Clodianus.*

Eutrop. vi.
Appian.
Civ. 1.
Plut. Crass.
Oros. v. 24.
Appian.
Liv. Epit.

Plut.

2. Forte Germanicæ cohortes duce Crixo per ferociam

¹ *Duobus* edd. ante Crev.

² *C. Arrio* legebatur ante Crev. qui ex Epit. et Cic. iv. in Verr. c. 20. correxit.



^a *Cum duabus legionibus*] Nempe consulibus legiones, non singulis binas, sed ambobus duas attributas vult Appianus. Hanc ejus mentem fuisse ex eo patet, quod paulo infra Crassum⁴ duas consulares legiones, τὰ τῶν ὑπάτων δύο τέλη, suis adjunxisse memorat. At id quidem nullo mo-

do verisimile est, eum etiam antequam socii in civitatem reciperentur, singulis consulibus dari solent duæ legiones cum pari sociorum peditum, duplici equitum numero : ut ex omni historia constat. Crev.

* A. U. C. 680. A. C. 72.

a Spartaco se abruperant, et circa Garganum montem Appian. cum triginta millibus armatorum prædas Crixus agebat. Plut. Oros. Idcirco L. Gellius consul cum prætore Arrio repente in Liv. Epit. cautos adorti, viginti hominum millia cum ipso duce, acer- Appian. rime quidem repugnante illo, prostraverunt.

3. Nec ideo minor adversus Spartacum moles supererat; qui cavendi pugnandique egregius artifex, occasiones et eventus omnes prorsus imperatorio consilio ad suum commodum trahebat. Sed illi per Apenninum ad Alpes tendenti, ut in Galliam evaderet, Lentulus consul se objecit: eundem a tergo L. Gellius conclusit. Ille vicissim cum ambobus conserta manu, utrumque magnis et pudentis cladibus affecit, cum duobus consulibus comparatus unus gladiator. Et priorem quidem Lentulum abegit, Oros. Plut. eumque castris et impedimentis omnibus exiit in Apenni- Flor. III. 20. no: deinde versus in Gellium, quanquam cum eo se Q. Liv. Epit. Arrius conjunxerat, utrumque collatis signis vicit. Post horum fugam, ut Romanis ostenderet, eidem ludibrio et ipsos obnoxios esse posse, per quod aliorum hominum sanguine tam immaniter abuterentur; per causam placandorum Criximanum, simul cujusdam matronæ nobilis, Appian. quæ a fugitivis per vim stuprata sibi manus intulerat, Flor. trecentos aut quadringentos ex captivis delectos circa rogam Oros. jussit armis depugnare. Ceteros ad unum omnes interfe- Appian. cit: impedimenta, præter necessaria pauca, subdito igne cremavit, quo esset ad destinata expeditior.

4. Nam ne quid indignitatis abesset, de ipsa Urbe Roma invadenda deliberabat. Neque leve discrimen erat, Flor. Appian. cum agmen centum viginti millium traheret; quanquam vulgo repudiare fugitivos solitus,^b quorum ad ipsum, si reciperentur, maximus numerus transibat. Idcirco duo Oros. consules, junctis copiis, in agro Piceno ei occurrerunt. Appian. Sed ille licet cas magna clade profligasset, ad Urbem du-

^b *Vulgo repudiare fugitivos solitus*] Fugitivusne et fugitivorum dux repudiabat fugitivos? Hoc quidem nullo modo verisimile videtur. Sed et paulo infra, ad finem hujusce ipsius capituli, disertis verbis dicitur Spartacus

‘corporibus tantum fugitivorum atque convenarum’ usus fuisse. Profecto nec Freinshemius, nec Appianus, quem hic Freinshemius auctorem sequitur, satis sese hoc loco præbuere diligentes. *Crev.*

cere non est ausus; quia nondum ei satis suæ vires placebant, nec exercitum adhuc ex sententia sua perarmaverat. Alii quoque apparatus deerant: cum nullius civitatis populivæ auxilio, sed tantum corporibus fugitivorum atque convenarum uteretur.

5. Ergo ut arma ceteraque bello opportuna compararet, Thurinos montes stativis locum cepit. Oppidum pro horreo rerum omnium habuit: vicina late populando, a mercatoribus injuriam omnem prohibuit, præcipue qui æs et ferrum vendituri venirent. Eas res care mercabatur: aurum argentumque importari, aut importatum emi a suis, severo edicto vetnerat.

6. Dum in Italia hunc ad modum certatur, Hispaniam Flor. III. 22. a Sertorio magis alienum scelus, quam Romanorum vis ac Oros. v. 23. robor vindicavit. Erat ille jam, ut diximus, infensus in- Appian. visusque plerisque, quod deprehensas aut creditas in se Plut. Sert. conspirationes atrociter puniverat. Igitur, alienatis semel animis, omnia ducis recte consulta ministrorum dolo atque contumacia in contrarium vertebant; Hispanique, propter tributa ac supplicia, quæ velut Sertorii jussu acerbe exigebantur, deficiebant a partibus. Ad hos revocandos qui mittebantur, de industria angebant iras, majoremque in modum irritatis barbaris revertebantur. Is dolor a pristinis moribus adeo deduxit Sertorium, ut sæviret in principum liberos, qui Oscæ educabantur, et parte interfecta, ceteros in servitutem venderet.

7. Dum hæc aguntur, Perperna præter ceteros conjuratos in societatem consilii Manlium quendam ex Sertorianis ducibus asciverat. Deperibat adolescentis cujusdam turpi amore Manlius: cumque ut magis sibi adjungeret, missos alios facere amatores hortatus est; unique, mox interfecto Sertorio, ad maximas opes perventuro, se dare. Eum sermonem Aufidio cuidam² adolescens exposuit, in quem erat benevolentia propensior. Ille non leviter ictus (nam et ipse erat inter conjuratos, sed et Manlium esse nesciebat) dissimulata tamen conscientia, negat verbis hominis ventosi et levis adhibendam fidem

² Quidam legitur in edd. ante Crev.

esse. At postquam adolescens Perpernam, Græcinum, aliosque participes secreti nominavit; non distulit pergere ad Perpernam, et admonere periculi, nisi mature præverterent. 'Eo rem deductam, ut celari diu nequeat. Occupandum Sertorium, aut pereundum insidiatoribus esse.'

8. Non dubitabat Perperna, quin vera prædicerentur. Et nuper quoque, summissis decem militibus, Sertorium in- Appian. terficere conatus, punitisque partim, partim fuga elapsis insidiatoribus, quanquam nondum erat proditus, ne proderetur metuebat. Idcirco conjurationis duces, convocatis ce- Plut. leriter præcipuis consciorum, nihil contandum rati, componunt e vestigio fraudis ordinem: subornatoque idoneo homine, confictas literas Sertorio tradendas curant, quibus de magna victoria perscriptum erat, quam Sertorii quidam legatus, ingenti hostium numero debellato, reportasset.

9. Lætum ob hæc et sacrificantem Sertorium cum amicis (erant autem ex conjuratorum numero) ad convivium invitat Perperna, multisque precibus vincit, ut ad gaudium ejus diei celebrandum condiceret. Igitur discutere. Sertorius inferior in medio lecto accubuerat; su- Sall. Hist. pra eum L. Fabius Hispaniensis senator ex proscriptis: 111. 15. in summo erat Antonius, et infra eum scriba Sertorii Verisius: in imo scriba alter Mæccenas, medius inter Tarquittium et dominum convivii Perpernam.

10. Erat ea cum Sertorii modestia, tum apud suos auc- Plut. toritas, ut, eo præsentem, verecunda et honesta omnia essent; nullæ turpes facetiæ, nulli clamores tumultusque audirentur. Sed eo tempore, ut initium rixarum conjurati facerent, inconditis sermonibus gestibusque, per simulationem ebrietatis, strepebant. Cum ad hæc ille, sive offensus hac licentia, sive mentem eorum divinans, velut animum non adverteret, in lecto jaceret supinus; Perperna merum poposcit, et inter bibendum dimisit e manibus phialam, qui sonus perpetrandæ cædis signum conjuratis erat. Ac statim Antonius, qui in summo lecto accubebat, destrieto pugione Sertorium sauciavit: deinde convertentis se ad ictum, et surgere conantis manum utram-

Appian. que continuit, dum a reliquis conficeretur. Custodes corporis ejus, quos semper circa se habebat, eodem momento a praepratis ad facinus occupati sunt.^c

Liv. Epit. 11. Ita Sertorius exiit vitam, octavum post annum
Eutrop. quam Hispanis se ducem praeberere coeperat; magnus dux,
Liv. Epit. et adversus duos imperatores, Pompeium et Metellum, saepe par, vel frequentius victor: ad ultimum desertus et proditus. Imperium partium ad M. Perpernam translatum est, quod homo vanus et ineptus olim concupiverat, nihil ei praestitutum, nisi ut, quantum ducem quanto inferior ipse sustulisset, intelligeretur.

Plut. 12. Nec tamen illud tam infelix praemium sine contentione retulerat. Exercitus post indignam Sertorii caedem, ira in commiserationem versa, tumultuabatur, virtutem occisi, et sua pericula reputando. 'Mille experimentis constitisse, quantumlibet egregium exercitum, amoto duce, velut pulchrum corpus, adempto spiritu, marcere. Unum his temporibus fuisse Q. Sertorium, qui sine opibus, sine pecunia, sola virtute subnixus, terribilem populi Romani potentiam per tot annos sustinisset. Pauperem, exulem, desolatum, ex omni tempore, ex omni regione, tanquam miraculo quodam productas de nihilo copias excitare potuisse.

Appian. 13. 'Huic tot duces Romanos, tot legiones procubuisse: coactumque senatum ut ipsa reipublicae firmamenta atque columina mitteret. Neque tamen aut veterem militiae gloriaeque Metellum, aut triumphalem Pompeii³ adolescentiam, quanquam junctis consiliis ac viribus, uni pares esse potuisse. Hoc defendente, absentiam a penatibus suis, a propinquis atque amicis, non exilium, sed militiam putavisse, bona spe fretos, aliquando fore ut patriae domesticisque cum laetitia gloriaque restituantur.

14. 'Nunc autem adeo spem illam omnem defluxisse, ut vix corpora sua libertatemque satis in tuto esse cre-

3 Desideratur in edd. ante Crev. verbum Pompeii.

//////////
^c Custodes corporis ejus ... a tis Appianus memorat. Plutar-
[praepratis ad facinus occupati sunt] chus de iis silet. Crev.
Eos iuebriatos fuisse a conjura-

dant. Quem enim alium se habere, cui salutem suam committant? aut cui satis firmos humeros fore, ut post Sertorium tantam rerum molem sustineant ferantque?

15. 'Sane non deesse qui præcipiti ambitione ad capesenda imperia ruant. Sed brevi apparituum, quanto majora viribus onera susceperint. Non enim majorum imaginibus, aut patrimonii magnitudine; sed solido robore animi, sapientibusque consiliis sustineri ac geri bella posse. Igitur, commutatis ducum artibus, fortunæ quoque similem mutationem haud injuria timeri. Egregiam scilicet spem in successore ostendi, si Sertorium Perperna excipiat, summum virum ducemque vulgaris.'

16. Hæc Romanæ copię fremebant, majoribus et pluribus apud exteras querelis. Lusitani ante omnes, quod eorum præcipua semper opera Sertorius uti consueverat, 'optimum imperatorem, fortissimum commilitonem, virtutis remuneratorem liberalissimum' requirebant. Ut vero, aperto Sertorii testamento, scriptum ab eo Perpernam hæredem fuisse innotuit, et detestatione tam ingrati facinoris magis exarserunt animi; nihil propius factum, quam ut pœnas ab homicida suis manibus sumerent: nisi discurrens per contubernia cum ducibus Perperna quosdam donis, alios promissis, nonnullos etiam minis pacasset, etiam uno et altero, ad terrorem ceterorum, ferro interemit. Deinde socios populos obeundo, quo illorum odia mitigaret, orsus ab Osca, ubi patrata cædes fuerat,^d con-

Vell. 11. 30.

ditiones ubique blandas habuit; apertis carceribus, qui Appian. erant ab Sertorio vincti dimisit; obsides civitatibus reddidit.

17. Sed earum multæ cum execratione nefarii hominis, Oros. Plut. missis ad Metellum Pompeiumve legatis, in fidem Romanorum venire: præsertim ubi sumto imperio Perperna Appian. statim crudelis apparuit, tribus illustribus viris, qui una ex

^d Orsus ab Osca, ubi patrata cædes fuerat] Velleius urbem in qua Sertorius occisus fuit, nominat *Etoscam*. Hanc multi doctissimi viri, quibus hic assentitur Freinsliemius, *Oscam* esse cre-

diderunt. At Petrus de Marca, teste Cellario, Geogr. Ant. l. 1. c. 2. existimat potius fuisse *Ileoscam*, quæ urbs memoratur Straboni, l. III. p. 161. ut diversa ab Osca. *Crev.*

Urbe profugerant, fratrisque filio, interfectis. Igitur Metellus, adversus talem hostem duobus exercitibus rem non indigere judicans, diversam Hispaniæ partem interim pacaturus, debellandum Pompeio reliquit.

18. Inter hos per aliquot dies levibus certaminibus cum tentatæ utrimque vires animique essent, decima die collatis signis dimicatum. Neutri enim diutius rem differri placebat, quod Perpernam Pompeius sperneret; Perperna, donec in officio milites essent, eorum utendum opera arbitraretur. Sed ea pugna, temere a Perperna commissa, dignum auctoris imprudentia exitum habuit. Namque Pompeius parte copiarum idoneis locis subsidere jussa, cum decem cohortibus processit; eamque velut escam ut objiceret hosti, sparsit per campum suos, et Perpernam spe hujus opprimendæ manus illexit. Ita contracto certamine, quasi resistere non posset, hostem deduxit ad locum insidiarum: ibi ab utroque latere prorumpentibus qui erant occultati, conversus Sertorianos ad internecionem cecidit.

Oros.
Plut. Sert.
Appian.

19. Perpernam, cum se non minus suorum quam hostium metu in sentibus abdidisset, quidam equites retraxerunt; probra dirasque cumulantibus qui eum videbant Sertorianis, 'quod homo nihili præstantissimum virum dolo, ceteros omnes imperitia et stoliditate perdidisset.' At ille nihil aliud, quam ut salvus ad imperatorem deduceretur, postulabat: 'habere enim se principum Romanorum literas, quibus Sertorius in Italiam acciretur.' Ibi prudentissime præsentibus usum esse Pompeium Roma judicavit, quod, priusquam in conspectum veniret Perperna, jussit hominem occidi: epistolas neque legit ipse, neque legendas concessit, sed continuo cremavit omnes; coque facto novarum rerum oppressis seminibus, terrore atque solitudine ingenti respublica liberata est. Neque tamen defuerunt qui carperent, 'quod hominem, Sicilia sine certamine tradenda bene meritum, indemnatum occidisset.' Sed adversus hanc criminationem, istud Pompeii factum, et suæ ætatis et sequentium judicia frequentibus suffragiis absolverunt. Sic Perperna pœnas occiso per fraudem Sertorio dedit.

Plut.
Pomp. et
Sert.
Appian.

Plut.

Plut. Pomp.

Supra
LXXXIX. 1.

Appian.

Plut. Sert.

20. Ceteros conjuratorum partim victor interemit, partim fuga tulit in Africam, ubi Maurorum jaculis confixi sunt. Neque præter Aufidium quisquam evasit; si modo evasisse dicendus est, qui contentus invisusque omnibus in vico quodam barbarico consenuit. Reliquus Pompeio labor recipiendi dedentem se Hispaniam fuit. Osca, Termes, Tutia, Valentia, victoris se permiserunt potestati. Duas, Uxamam et Calagurim, reliquæ partium validis præsiidiis occupatas retinebant: quæ deinde expugnatae.

Oros. Flor.

21. Hic finis ejus in Hispania belli fuit, quod a fuga Sertorii ortum, decimo ferme anno, cum ipso duce defecit:° gravius haud dubie diuturniusque futurum, si longior ei viro vita suppeditasset. De his rebus cum senatui Pompeius scripsisset, multosque se virtutis causa civitate Romana donavisse diceret; senatus mandavit consulibus, 'ad populum ferrent, uti cives Romani essent ii quibus Cn. Pompeius imperator de sententia consilii sigillatim civitatem dedisset.' Consules ad populum tulerunt, ea que lex accepta est.

Liv. Epit.

Appian.

Cic. pro
Balb. c. 8.

22. Ceterum Hispaniensis victoriæ gaudium, ne nimium fieret, Italica clade temperatum est. C. Cassius proconsul, Cn. Manlius prætor, male adversus Spartacum pugnarunt. Nec ultra de Cn. Manlio comperi. Cassius circumpadanæ Galliæ proconsul, contendenti ad Alpes Spartaco castra apud Mutinam opposuerat, decem militum millia ducens. Horum cum plerique cecidissent in acie, proconsul vix fuga evasisset, castra deleta sunt: et cum ingenti præda fugitivi ad præsidia sua recesserunt.

Liv. Epit.

Plut. Crass.

Flor. III. 20.

Oros. v. 24.
Plut.

4 Quos edd. ante Crev.

° Quod a fuga Sertorii ortum, decimo ferme anno cum ipso duce defecit] Epitome hujus libri Sertorium interfectum esse narrat octavo ducatus sui anno, receptas Hispanias decimo fere anno quam ceptum erat bellum. Horum verborum Sigonius Comment. in Fastos, ad annum 680. hunc esse putat sensum: Sertorium Cassio et Terentio Lucullo Coss. esse occisum, qui erat octavus Ser-

toriani imperii annus, si quis a consulatu Q. Metelli numeret: Gellio et Lentulo, Perpennam necatum: Aufidio et Lentulo, receptas esse Hispanias, decimo anno quam bellum ceptum fuerat. Nec aliter sensisse videtur ipse Freinshemius, qui in annum sequentem Uxamæ et Calaguris expugnationem, ac proinde belli finem contulit. Vid. infra, XCVII. 6. Crev.

23. Senatus, ob tot acceptas a contemptissimo hominum genere clades, pudore et metu sollicitus, et culpam in consules conferens, vetuit hos quicquam deinceps pro imperio agere. Nam, qui erat inter duos melior Gellius, tamen imperite gerebat rem, et exercitum in luxum ignaviamque labi patiebatur. Quare infensus ei militiæ Cato, cum propter fratrem Cæpionem, qui tribunus militum erat, nomen sponte delisset, honores et præmia quæ offerebat consul, accipere noluit: nihil iis dignum actum esse dictitans. Idcirco tantus ea tempestate terror Urbem occupavit, non levius jam Spartaci arma, quam olim sub Hannibale Punica timentis, ut prætoris comitiis candidati deessent. Ibi M. Licinius Crassus, nobilitate ac divitiis inter primos, cum ad præturam petendam prodivisset, summa hominum voluntate factus est.

24. Sub idem tempus L. Lucullus, post fugam Mithridatis Nicomediam profectus, cum M. Cotta ceterisque ducibus Romanis de ratione belli consilio habito, ita partitus erat vires, ut ipse per Cappadociam et mediterranea provinciarum, cum maxima virium parte, imperii Mithridatici arcem peteret: M. Cotta ad recipiendam Heracleam iret: cum reliqua classe Triarius Mithridaticis navibus ex Hispania et Creta redivisus insidiaretur. Neque defuerant qui interquiescendum arbitrarentur, reficiendosque ex nimio et continuo labore milites: sed Lucullus utiliore regi moram aversatus, per Bithyniam Galatiamque ad præsidia Mithridatis perrexit.

25. Neque regi tempus per ignaviam terebatur, quin ab Amiso legatos ad Scytharum regulos, Parthumque Arsacem, et generum Tigranem mitteret. Omnibus eadem mandata erant: 'Aliis regibus atque nationibus, compluribus de causis, pacem bellumque sæpe mutari: raro ad cuiusquam perniciem extendi odia; sed, ubi satisfactum injuriis suis victor censeat, arma poni solere. Populo Romano cum reliquo terrarum orbe unum idemque perpetuum bellum esse, quod nisi dominatione aut interitu illius poni nequeat.

26. 'Illum olim tantum astutia valuisse, ut, donec multis subjugatis gentibus in formidabilem potentiam exsur-

Plut. Cat.
Min.

Oros.

Appian.

Memnon.

Plut. Luc.

Appian.
Mithrid.
Memnon.

geret, semper alios ab aliis disjunxerit, ne invicem operenda, imminens omnibus jugum, unius periculo, communi commodo, averterent. Ita desertos destitutosque cepisse singulos, ut horum deinceps armis ac sanguine etiam longius dissitos aggredereetur.⁵ Sic Italiam primo redegit sub suas leges; mox variis coloribus insulas, deinde Africam. Postremo magnis auctibus Macedoniam, Achaïam, Asiam accessisse: remque eo deductam esse, ut multi reges, tanquam pro ingenti beneficio, quod non ante supremam diem exuti fuerint opibus suis, hærede populo Romano decesserint.

27. 'Tanta potentia auctos Romanos, non jam curare prætextum armorum, et decora nomina; sed satis habere, si quamlibet injuste egisse crediti, appetitis potiantur. Quid enim sibi posse imputari? cujus patientia maximas contumelias simul injuriasque pertulerit, quo insignitior hostium iniquitas fieret. Igitur pro se unumquemque, et, quanto quis sit potentior, tanto impensius niti oportere, ut hi communes omnium hostes, orbisque prædones opprimantur. Eoque animo esse debere pro se quemque, ut, quod ad hos retundendos auxiliorum suppeditaverit, non Mithridati magis, quam sibi ipsi primum, deinde publicæ generis humani libertati præstitum putet.'

28. Hæc ad alios precibus exponenda mandata dedit: Appian. at Macharem Bosporo imperantem, jure patris dominique excivit. Ceterum Parthus, procul a se periculum esse reputans, neque sapientis præter necessitatem arcessere Memnon. molestias, auxilia denegavit. Scythica moratus est Dio- Appian. cles, cui ea credita legatio fuerat: namque multo cum auro et præclaris muneribus, quæ ad regulos mittebantur, in castra Luculli transfugit. Tigranem diu tergiversantem filia Mithridatis expugnavit, ut societatem cum eo Memnon. novam pacisceretur.

29. Interea, quo Luculli impetum retardaret, præfectorum quosdam cum equitatu misit, qui negotium ei facerent. Sed nihil æque illum quam fames fatigabat, Plut. corruptis late, jussu regis, quæ in ejus manus perventura

5 Aggrederentur legitur in edd. ante Crev.

Sall. Hist. fuerant: et multi commeatus insidiis latronum interie-
 11. 5. rant. Igitur trigiuta millia Gallogræcorum, singulos
 Plut. frumenti modios humeris portantium, sequi exercitum
 jussit. Donec multis levibus certaminibus regios sum-
 movendo in regiones belli cladibus intactas penetravit.
 Appian. Tantaque mox rerum omnium copia affuit, ut bos denario,
 et Plut. mancipium denariis quatuor emeretur, ceteræque prædæ ea
 vilitas esset, ut, quia distrahi nequibat, a militibus cor-
 rumperetur.

Appian. 30. Interea Lucullus Amisum et Eupatoriam obsidere
 cœperat, simul parte exercitus ad oppugnandam Themis-
 scyram missa, quæ ad Thermodoontem fluvium Amazonis,
 a qua condita esset, habere nomen dicebatur. Hic operi-
 bus cuniculisque tentata omnia sunt, qui tam⁶ ampli
 fodiebantur, ut quandoque in eis velut subterraneæ pugnæ
 fierent. Eos obsessi superne aperiebant, immissisque
 ursis, et aliis bestiis, interdum et apum examinibus, eos
 qui in opere erant omni genere calamitatis vexabant.

Plut. 31. Circa Amisum segnior obsidio erat, et Mithridates,
 Sall. Hist. audito eam sine præliis assideri, recepto animo, Cabiris
 14. 1. substiterat, alium exercitum colligens. Id Lucullus non
 Appian. ægre patiebatur, reprehendentibusque dicebat consulto se
 Plut. id agere, ne, rebus desperatis, ad Tigranem confugiens
 hostis, majorem belli molem concitaret. Igitur Mithri-
 dates, contractis quadraginta ferme peditum, octo equi-
 tum millibus, Diophantum et Taxilem cum novis copiis
 ad priores præfectos misit; a quibus Amisum destinata
 subsidia, et frequentia equestria certamina, sed nullo ex-
 imio in alterutram partem momento, facta sunt.

32. Dum hæc a Mithridate et Lucullo geruntur, M.
 Cotta proconsul Prusiada Bithyniæ venit. Inde, Pontici
 maris oram legens, ad Heracleam accessit. Ibi, quia
 pacati nihil respondebatur, adducto ad mœnia exercitu,
 oppugnationem tentare non ausus, per partes Heracleam
 assultabat, paucos subinde Romanos milites, sed magnum
 Bithynorum numerum mœnibus admovens. Sed cum
 inani incepto nihil præter vulnera reportaret, testudine

6 Tum pro tam legebatur ante Crev.

effecta, adhibuit arietem, et turrim, quæ adversus vim non diu duratura videbatur, pulsare instituit. Sed, ubi semel iterumque percussa turris non modo præter opinionem restitit, sed etiam arietis perfractum caput est; Heracleotæ bono animo, proconsul iniquiore, esse cœperunt.

33. Igitur cum postridie denuo frustra turrim verberasset, machinas cremari, architectorum præcidi capita jussit; præsiidiisque juxta muros constitutis, cum majore parte copiarum in campo Lycæo consedit, loco fertili, ad alendum militem copioso. Unde cum Heracleoticum agrum omnem evastasset, obsessi penuria fatigati, denuo ad Chersonesi incolas, et Theodosianos, et qui Bosporum accolebant regulos, societatem et annonam petitum miserunt.

34. Et legatio quidem satis fuit felix. Ceterum oppidanos et hostes foris, et intra viscera crudelius præsiidiarii milites angebant: qui, eodem, quo vulgus agebat victu minime contenti, lautiores cibos ab egenis et famelicis hominibus vi ac verberibus extorquebant. Neque Connaxorix præfectus ista cohibebat: quin ille deterrimus omnium gaudebat hac violentia, licentiæque suorum impunitatem addiderat. Hæc ferme his consulibus bello gesta sunt.

35. Res urbanas non tam parvitas earum, quam scriptorum penuria tradi vetat. Ceterum inopia Romæ laboratum, piratis maria pejus omni tempestate præcludentibus. Et judicia legesque novæ civitatem inquietam habuerunt. Clodius quidam tribunus plebis sacerdotes virginesque Vestales, tanquam parum caste sacra facerent, ad populum criminabatur, et ad turbas haud exiguas res spectabat. Catilina quoque reus incesti, quod cum Fabia commisisset, accusabatur. Sed Clodium M. Cato, cum ingenium ejus propositumque multis verbis acriter coarguisset, desinere actiones suas coëgit. Catilina favore Catuli, et quia Terentia Ciceronis, soror erat Fabiæ, absolutus est.

36. At consul Cn. Lentulus, perincertum stolidior an vanior, legem de pecunia, quam Sylla emtoribus miserat, exigenda promulgavit. Verbum quoque in se-

Flor. 111. 6.

Plut. Cat. Min. c. 26.

Sall. Cat. c. 15. Oros. vi. 3. Plut.

Oros. Asc. in Tog. Candid.

Sall. Hist. 1v. 1.

- Cic. in Ver. II. 39. natu Cn. Lentulus, L. Gellius consules fecerunt, placere statui, si patribus conscriptis videretur, ne absentes homines in provinciis rei fierent. Id Sthenii Thermitani causa factum, de quo supra meminimus. Sed impediente Verre patre, negotium omisum est. Eodem anno cum perpetua magnarum urbium pestis, ignota et flagitiosa colluvies Romam inundaret, tribunorum plebis collegium edixit non licere quenquam Romæ esse, qui rei capitalis condemnatus esset.
- Supra, LXXXIX. 6. Cic. Verre patre, negotium omisum est. Eodem anno cum perpetua magnarum urbium pestis, ignota et flagitiosa colluvies Romam inundaret, tribunorum plebis collegium edixit non licere quenquam Romæ esse, qui rei capitalis condemnatus esset.
- Id. ib. 41. Verre patre, negotium omisum est. Eodem anno cum perpetua magnarum urbium pestis, ignota et flagitiosa colluvies Romam inundaret, tribunorum plebis collegium edixit non licere quenquam Romæ esse, qui rei capitalis condemnatus esset.
- Asc. in Div. 37. De tribunitia quoque restituenda potestate acriter actum: eamque rem M. Lollius Palicanus,⁷ humili loco actum: eamque rem M. Lollius Palicanus,⁷ humili loco
- Sall. In- cert. 9. Cic. Brut. Picens, loquax magis quam facundus, sed imperitorum c. 62. auronibus aptus, magnis clamoribus, et ad extremum felicitas urisit, ut suo loco memorabimus.
- Plut. Cic. c. 22. Suræ a causa minime honesta accesserat; quia Syllanis temporibus quæstor magnam pecuniæ publicæ summam prodegerat: postulante deinde rationes Sylla, perfricta fronte dixerat, eas se non posse reddere, sed præbere suram, qua parte corporis pueri, si forte, dum pila se exercent, peccavissent, ex lege ludi verbera perferebant.
- Liv. Epit. Non igitur quærendum est, cur, hoc consule, prætori M. Crasso servile demandarit bellum senatus: at collegam ejus Cn. Aufidium quæ causa removerit, difficilius sit dicere. Credo prælatum illi Crassum ob peritiam rei militaris fuisse, cujus jam ante haud contemnenda documenta dederat. Et erat iis temporibus permagna Crassi auctoritas, proficiscentemque multi nobiles in bellum sponte secuti sunt.
- Plut. Crass. auctoritas, proficiscentemque multi nobiles in bellum sponte secuti sunt.
- Appian. Civ. 1. Oros. v. 24. Plut. 39. Legiones in universum habebat octo: ^f quippe priorum consulum exercitum novi delectus auxerant. Igitur quia venturus in Picenum Spartacus erat, ut cum præver-

7 *Pedicanus* edd. ante *Crev.*

* A. U. C. 681. A. C. 71. ms dnas iis consulares legiones
^f *Legiones . . . habebat octo]* adjunxit. Sed vid. not. ad c. 1.
 Nempe, auctore Appiano, Cras- Injus libri. *Crev.*
 sus cum sex legionibus profec-

teret, festinanter copiis ductis, legatum suum Mummium cum viginti cohortibus, ad circumveniendum a tergo hostem, diverso itinere misit, cum mandatis, ut, cum perventum esset quo voluisset, Spartacum sequi contentus, a pugnando abstineret.

40. At ille, simul aliqua spes bene gerendæ rei cupienti animo allucere visa, spreto imperio, contulit signa, vietusque multos amisit milites: plures, abjectis armis, ad Crassum refugerunt. Ille, Mummio acriter increpito, militibus alia dedit arma, sponsoresque exegit, ea non omissuros. Deinde quingentos, a quibus initium ortum fugæ fuerat, sorte ductos, more majorum fusti percussit. Hoc propius fidem est, quam quod alii, totum exercitum, legiones octo decimatas, aiunt, militumque ad millia quatuor eo supplicio periisse.

Polyb. vi.
35.
Appian.

41. Nec alio tempore clarioribus documentis apparuit, quam salutaris sit severitas, ubi leniora remediuntur. Nam post hanc animadversionem, ducis majore, quam hostis, metu apud suos excitato, decem millia fugitivorum seorsim stativa habentium aggressus, sex millia eorum interfecit, cepitque nongentos. Reliqui cum ad duces refugissent, Crassus in ipsum quoque intulit signa, prosperumque prælium fecit.

Oros.
Appian.

42. Tum Spartacus per Lucaniam ad fretum contendit, in Siciliam transiturus: quæ insula ex bellorum servilium incendio, quo sæpe et nuper erat agitata, multas adhuc scintillas velut sub cineribus alebat, exituras in flammam, si medioeri motu tanquam flabellis excitarentur. Igitur cum forte prædatoria navigia venissent ad fretum, egit cum Cilicibus, ut certa mercede partem suorum, duo millia erat missurus, in insula exponerent. Sed deceptus a Cilicibus, proposito excidit: quod illi post accepta munera, solutis navigiis, taciti abscesserant. Spartacus, (postquam ad trajiciendum rates ex cratibus fieri jussit,

Flor.iii.20.

§ Quingentos... sorte ductos... fusti percussit] Immo e quingentis decimum quemque necavit. Sic narrat disertis verbis Plutarchus. Fusti percussos esse

eos colligitur ex Polybio, qui hanc pœnam in eos qui loco cessissent decerni solitam esse testatur. *Crev.*

Dclph. et Var. Clas.

Livius.

11 G

Plut. et dolia virgultis connecti, sed in rapidissimo freto fragile machinamentum cito dissolutum est,) relicto littore, rediit copias, et in Rheginorum peninsula consedit.

43. Neque Crassus constanter insecutus, ubi locorum consideravit ingenium, maximò operi admolitus est manum, fossaque pedes quindecim alta, latitudine pari, a mari ad mare per cervicem ducta, murum insuper excelsum firmissimumque astruxit. Ingentem laborem (quippe circa Bruttium angulum nullibus quinque et triginta^b Italia patet) brevi tamen tempore severitas et industria ducis perfecit. Eos conatus a principio Spartacus deriserat. Sed ubi consumpta proximorum locorum præda, ne aliunde petere comæatum posset interclusum se obsessumque conspexit, bis conatus erumpere, ut Samnium peteret, magna cum clade est repulsus. Sub primam lucem sex amisit millia, totidem fere noctis initio; cum adeo facilis esset Romanis loco adjunctis pugna, ut septem tantum gemino eo prælio vulnerati, tres interempti tradantur. Nam virtute par, aut forte superior Spartaci miles fuerat, adeo nullius, quam pugnae, memor, ut e duodecim millibus trecentis caesorum,ⁱ negent plusquam in duobus aversa reperiri vulnera potuisse.

Appian. 44. Idcirco non ausus ultra vim universam experiri, diversis partibus eruptionem minitendo subitis et continuis velitationibus vexabat Romanos, fascibusque in fossam injectis immittebat ignem, quo difficilior munientibus labor fieret. Deinde ut suorum animos metu supplicii ad pervicaciam firmaret, e captivis Romanis unum medio inter duo castra spatio affixit cruci, e^c ejusmodi supplicium

^b *Millibus quinque et triginta*] Duodecim circiter leucis nostratibus. *Crer.*

ⁱ *Ut e duodecim millibus trecentis caesorum*] Appianus duodecim tantum millia caesa esse memorat, ut supra dictum est. Præterea quæ narrat post Plutarchum Freinshemius, ea a scriptore Graeco de alia quadam pugna dicta sunt, non de his fugitivorum erumpere tentantium cladibus. Sed nec satis sibi

constat ipse Plutarchus: remque ita narrat in Pompeio, ut duodecim hæc millia trecenti in ultimo cum Spartaco ipso congressu perisse videantur; in Crasso, ut in pugna adversus Spartaci legatos commissa. Freinshemius historiam suam ex variis scriptoribus concinnans, in eorum pugna, quod sibi magis verisimile videbatur, secutus est. *Crer.*

neminem vitaturum esse' prædicans, ' nisi qui e præsentis periculo virtute se explicassent.' Tandem omnibus tentatis, noctem nivosam ventisque streperam nactus, partem fossæ cæsis captivorum pecorumque corporibus, materia- que injecta, et terra superaggesta complevit: partemque fere tertiam exercitus statim, deinde hujus præsidio reli- quas copias transduxit.

Plut. Cras.

Frontin.

Strat. 1. 5.

20.

Plut. Cras.

Appian.

SUPPLEMENTUM

LIBRI XCVII.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

Appian.
Civ. 1.

Plut. Cras.

Appian.
et Cic. pro
L. Manil.
c. 11.
Plut.
Liv. Epit.
Oros. v. 24.
Plut.

1. **ERUPTIONE** Spartaci recruduit in urbe consternatio, quam M. Crassi res prosperæ, et præclusi muro fossaque fugitivi, paulisper consopiverant. Et quoniam ipse quoque Crassus, ne Romam properaret hostis, metuebat, et ‘ad hoc incendium extinguendum, Cn. Pompeium ex Hispania, M. Lucillum ex Thracia evocari oportere,’ senatui scripserat; minime dubitatum est, quin utrumque cum imperatorem publicis literis acciri oporteret. Interim M. Crassus discordia fugitivorum confirmatus, quod Gallicæ Germanicæque copiæ, ne Crixī quidem interitu colere Spartacum doctæ, ab ipso discesserant; subito has adortus fudit fugavitque a lacu quodam, ubi locum castris ceperant. Is lacus, alternante natura, quandoque salsas, aliis temporibus potabiles habere aquas dicitur. Sed superveniens summa contentione Spartacus, turbatum exercitum, ne magna aliqua strage plecteretur, vincenti Crasso eripuit.

Liv. Epit.
Frontin.
11. 4. 7. et
5. 34.
Plut.

2. In summa tamen potior ad pereundum ferocia dissentientium, quam ad servandum diligentia Spartaci fuit. Ne recenti quidem beneficio moti, castra seorsim habere perseverant, Spartacum contemunt, Granico et Casto ducibus confidunt. Igitur Crassus, abruptas a duce copias

deleri posse facile ratus, his insidiabatur. Spartacus, quanquam suorum contumacia doleret, tamen ob commune periculum ita agebat, ut quando eodem vallo eos continere non poterat, haud longius inde quam locorum commoditas ferret, castra metaretur. Igitur, illis in agro Crotoniensi castra habentibus, ipse haud magno inde intervallo consedit.

3. Crassus, divisis et ipse copiis, castris hostium bina castra opposuerat, ita partitus, ut majorem numerum contra Spartacum haberet; contra Castum et Granicum multitudine ac virtute inferiores collocaret. Sed ubi tempus opportum venisse putavit, quo minores illi duces opprimi possent, noctu commutavit copias, relicto tamen in majoribus castris praetorio, ut ibi esse imperatorem cum validiore parte exercitus Spartacus crederet. C. deinde Pomptinum et C. Marcium Rufum legatos, cum cohortibus quingenariis duodecim, post montem circummittit. L. Quintium cum parte equitatus ludificare Spartacum jubet; cum alia parte Gallos Germanosque ad pugnam elicere: mox cedendo ad radices montis ducere, ubi ipse cum legionibus instructis erat opperiturus.

4. Rectum ducis consilium industria legatorum et temeritas hostium propositi compos fecit. Refugientes ex composito equites, incomposito agmine sequentem hostem cum ad dictum locum pertraxissent, in latera discesserunt, sublatoque clamore Romana acies excepit barbaros. Neque potuisset opportunius res cadere, magno in periculo futuris qui cum Pomptino Ruffoque erant, si mutiari adventus eorum nondum occupatis hostibus potuisset. Namque in eo eum summa spei consistere videretur, ut euntes quo mittebantur, deinde prorumpentes fallerent hostem, eaque de causa galeas frondibus contexissent; forte conspecti a duabus Gallieis muliereulis erant, quae lumine etiam tum incerto, conventum vitantes ad menstrua pro exercitus salute vota solvenda montem ascenderunt. Sed pugna jam cepta in tempore decurrentes, tantum fugitivorum exercitui terroris intulerunt, ut caedes inde potius, quam pugna esset. Triginta quinque millia armatorum cum ipsis ducibus eo praelio interfecta; receptae

Frontin.
II. 5. 34.

Plut.Fron-
tin. II. 4. 7.

Frontin.
II. 5. 34.

Plut.

Sall. Hist.
IV. 11.

Frontin.
II. 4. 7.

Liv. Epit.
Oros.

Frontin. quinque aquilæ Romanæ, signa sex et viginti, multa
11. 5. 34. præterea spolia, inter quæ quinque fasces cum securibus.

5. Cum per se magna victoria esset, viam patefecit ad
Liv. Epit. majorem, neque diu post cum Spartaco debellatum. Cras-
Plut. sus enim pœnitens consilii, quod alios advocari duces jus-
Pomp.c.32. sisset, post tantas hostium copias deletas, plenus alacrita-
tis ac spei, summa vi instabat reliquis, ut, priusquam
Pompeius venisset, cetera belli conficerentur.

6. Res enim Hispaniæ interim in eum statum venerant,
ut, omnibus ferme compositis, paucissimæ hostium reli-
quæ essent. Duæ præsertim urbes, Uxama et Calaguri
Oros. v. 23. resistebant. Sed Uxamam Pompeius evertit. Calagu-
Jul. Exu- ritani diu ab Afranio circumsessi, non ante capi potue-
per. Oros. runt, quam ad extremam necessariorum inopiam compel-
Flor. 111. 22. lerentur. Nam eo feritatis redegit fames, ut nullo jam
Val. Max. alio in urbe animali reliquo, uxorum liberorumque corpo-
111. 6. ribus vescerentur; et, parte consumta, reliqua cadaverum
Sall. Hist. ad diuturnitatem usus sallerent. Hæc scelera nihilomi-
111. 1. et nus perituri patrare, quam victoris experiri clementiam
IV. 1. maluerunt. Idcirco, tandem expugnata urbe, interfecti
Oros. Jul. omnes, oppidum ipsum incensum atque deletum.
Exuperant.

7. Interim, deducto reliquo exercitu, Pompeius, cum
ad montes Pyrenæos pervenisset, oppidum de suo nomine
condidit (Pompelonem obtinuit vocari,^a hodie Pamplona
Biblioth. est, regni Navarrae caput) et tropæa excitavit, quibus
Hisp. Andr. Schot. I. 4. Plin. VII. 26. ‘oppida octingenta septuaginta sex,^b ab Alpibus ad fines
ulterioris Hispaniæ, in ditionem redegitse’ inscripsit:
Sertorii nomine dissimulato, quod de Romano tropæum
erigi incivile judicabat, quanquam in eo victo plus gloriæ,
quam in tot receptis oppidis esset.

Plut. Pomp. 8. Transgressus in Italiam Pompeius, summa populi
lætitia exceptus est, non ob illustrem modo victoriam,

^a *Oppidum de suo nomine condidit. Pompelonem obtinuit vocari* Res non caret controversia. Vide momenta in utramque partem expensa a Cellario, l. 11. Geogr. Ant. c. 1. Ceterum hic in ora libri citabatur testis Isidor. IX. 2. Sed ejus verba ad Lugdunum

Convenatum, non ad Pompelonem pertinent. *Crev.*

^b *Oppida octingenta septuaginta sex*] Hæc in majus aucta esse nemo sane dubitaverit, et in illis oppidis multos esse viculos, turres, castella. *Crev.*

bellumque civile, quod omnia externa conciebat, penitus sublatus; sed quia tribunitiæ potestatis, quam restitui flagrantissime cupiebant, futurus auctor existimabatur: eaque res jam olim dilata in adventum ejus fuerat. Quo majore studio populus, ut dignitatem ejus augetet, proficisci eum in expeditionem adversus Spartacum jussit. Strepebant quotidianis concionibus tribuni plebis, 'huic unum optimum imperatorem, quocumque se vertisset, certam victoriam trahere: simulatque conspectus a fugitivis esset, debellatum fore.'

Sall. Hist.
III. in Orat.
Macri.

Appian.
Civ. I.
Plut. Cras.
c. 20.

9. Eo diligentior Crassus instare Spartaco, festinare, ne penes alium confecti belli gloria foret. Neque minus apud fugitivos properabatur. Forte Spartacus post sociorum cladem, eum ad Petellinos montes se reciperet, insecutos L. Quintium et Tremellium Scrofam Crassi quæstorem fuderat. Ab hac victoria spiritus adeo creverunt fugitivorum, ut progressum in Calabriam ducem^c convertere agmen, et incedenti per Lucaniam Crasso occurrere cogerent. Neque prorsus carebat ratione consilium, quia instante jam Pompeio, contantibus nulla spes effugii, pugnae quoque sors durior ostendebatur. Sed Spartacus, conditionibus tentatis, et aspernante Crasso, Brundisium petebat: cum suorum clamoribus victus, in Lucaniam referri signa jussit, et ad caput Silari amnis castra metatus est. Nam ad Brundisium contendentem fama appulsi e Thracia Luculli^d perculerat.

Appian.

Oros. v. 21.
Appian.

10. Idecirco Crassus, cognito hostis adventu, nihil moratus, castra castris contulit, et, quo magis ad pugnam irritaret feroces animos, circumvallare hostem orsus est. Ita prohibentibus opus fugitivis, cum inter paucos orto certamine, vicissitudo victoriæ plures subinde alliceret; Spartacus, universo exercitu educto, et equitatu, qui nu-

Plut.

^c *Progressum in Calabriam ducem*] Hoc colligitur ex Appiano, quo teste Spartacum a Brundisio avertit fama Luculli adventantis. *Crev.*

^d *Appulsi e Thracia Luculli*] Hic corrigit Freinshemius Appianum, qui Lucullum e Mithri-

atico bello redeuntem Spartaco terrore fuisse scribit: quod omnino absorum est ab veritate atque ab historiae fide. Atque hoc eo annotamus, ut intelligatur quam non in omnibus facile credendum sit Appiano, scriptori haud sane diligenti. *Crev.*

per ad eum accesserat, in cornibus locato, ipse inter pedites stetit: acieque structa, equum admotum sua manu confodit, ' si quidem victus esset, non amplius usurum eo ' dicens; ' victorem multos habiturum et bonos.'

11. Pugna fuit vehementer anceps, donec Spartacus superfuit, qua forte Romanum imperatorem agere conspexerat, viam ferro muniens. Sed postea quam, duobus centurionibus, qui pro Crasso propugnabant, impigre cæsis, penetrare ad illum nequivit, sauciumque femur summisso genu fulciens, concursu hostium est interfectus; fugitivorum turbatis metu ordinibus, nihil postea nisi cædes fuit. Quadraginta millia eo prælio cæsa sunt. Victores circiter mille ceciderunt. Pro his tria civium Romanorum millia, qui in vinculis apud Spartacum fuerant, recepta. Cadaver Spartaci non potuit reperiri.

12. At qui supererant prælio fugitivi, diversa, uti solet rebus perditis, capessunt. Namque alii, fiducia gnaritatis locorum, occultam fugam sparsi, alii globis eruptionem tentavere. Sic agmina ferme quadraginta facta. Quos Crassus¹ aliique duces veluti feras in montibus et sylvis indagando, plerosque omnes aut interemerunt, aut abriperunt vinctos. Unus in agro Lucano constiterat, gnarus loci, nomine Publipor. Ad hunc magna manus fugitivorum se aggregaverat, ut quinque circiter hominum millia essent. Sed hos Pompeius obtrivit, forte cum exercitu superveniens, scripsitque senatui, ' fusos a Crasso fugitivos, a se radices excisas esse belli.' Ita tandem illud formidabile belli servilis incendium, multo utrinque sanguine restinctum est. Sexaginta millia fugitivorum cum Spartaco, et post illum cæsa sunt: capta sex millia, quos victores tota via, quæ Romam a Capua ducit, dispositis crucibus affixerunt.

13. Crassus, sextum intra mensem Italia tantis cladibus metuque liberata, jam se non imparem Pompeii gloriæ ferebat, ex prætura, sicuti per legem Corneliam licebat, consulatum petiturus, competitore Pompeio: quamquam hic nullum ante magistratum gesserat, neque legiti-

¹ Et ante Crassus legebatur priusquam correxit Crev.

nam aetatem habebat; sed magnitudine rerum gestarum,^e et favore populi, ob hoc quoque flagrantiore, quod haud obscure se auctorem restituendæ tribunitiæ potestatis profitebatur. Nec ille civium expectationi defuit, quin statim eo de negotio verba faceret, cum primam concionem ad urbem consul designatus habuit. Sed huic destinationi complures, interque eos homo sapientissimus atque amplissimus Q. Catulus, adversabantur.

Cic. Act.
1. in Verr.
c. 15. et ibi
Ascon.

14. Inter hæc de M. Antonio tristes nuntii venerunt, qui post Siciliam Græcosque Asiaticos, studio donandi rapiendique, in utroque immodicus, despoliatus, Cretensibus bellum intulerat. Favisse Mithridati videbantur, permissio ut bellum Romanis facienti juvenus sua militaret. Piratas etiam, Mithridaticarum partium genus, cum persequeretur eos Antonius, aperte defenderant, dimissis cum superbo responso legatis, quos ea de re questum Antonius miserat. Is Antonius, filius M. Antonii oratoris erat, clarissimi viri; sed neququam patri similis: cumque fratres etiam duos haudquaquam probatæ vitæ haberet, ipse omnium erat corruptissimus, ut perdendæ pecuniæ genitus videretur. Idem vacuus curis, nisi instantibus, tam contentim adortus Cretam fuerat, ut plures in navibus catenas, quam arma portaret. Quam vecordiam celerrima pœna consecuta est. Pleræque enim naves a Cretensibus captæ sunt, remuloque in portus tractæ, cum, velut imitatione quadam triumphi, captiva corpora, velis et funibus suspensa, eminus visentibus spectaculo essent.

Liv. Epit.
Cic. in
Verr. 11. 3.
et ibi Asc.
Sall. Incert.
29. Plut.
Anton. c. 1.
Flor. 111. 7.
Appian. ap.
Fulv. Ursin.

Plut.
Sall. In-
cert. 29.
Sall. Hist.
111. 15.
Flor.

15. Infelix prælium, et pudor mox injussu senatus populi que factæ pacis, ægritudine animi ad corporis quoque subruendam valetudinem Antonio causam præbuit: hominemque multa contra sociorum salutem, et contra provinciarum utilitatem, et facientem, et cogitantem, in mediis ejus injuriis et cupiditatibus mors oppressit. Tamen Cretici cognomentum ab hac expeditione retulit, non victoriæ argumentum, sed belli temere suscepti.

Diod. ap.
Fulv. Ursin.
Ascon. in
Divin.

Cic. in
Verr. 111.
91.

Liv. Epit.
Plut.
Appian.

16. At a duobus Lucullis honestius laudabiliusque

^e Sed magnitudine rerum gestarum] Hic profecto deest aliquid, quale foret, nitebatur, confidebat, ad amplissima quæque speranda erigebatur. Cret.

- Cic. in Verr. II. 8. Oros. VI. 3. gesta respublica est; quorum Marcus Macedoniam provinciam, Lucius Mithridaticum bellum, obtinebant. M. Lucullus, qui Curioni successerat, majoribus per Thraciam rebus quam ullus ante eum imperator gesserat, justissimum triumphum meruit. Quippe Getis, qui et Mysi vocabantur, superatis, Bessos, nationem ferocissimam, primus Romanorum ducum bello petiit, eosque in Hæmo monte ingenti prælio fregit. Sic, receptis in deditionem Hæmimontanis, Eumolpiadem, quæ postea Philippopolis dicta est; ^f mox Uscudamam, quæ Hadrianopolis est appellata, ^g eodem quo aggressus erat die expugnavit.
- Sall. Incert. 29. Appian. II. Iyr. Sex. Ruf. c. 9. Eutrop. Marcel. xxvii. 8. Sex. Ruf. et Marcel. Strabo VII. P. 320. Flor. III. 4. Eutrop. et Sex. Ruf. Appian. Civ. 1. Eutrop. Euseb. Chron. Strabo VII. P. 319. Plin. xxxiv. 7. 17. Progressus deinde Calyben, quam Philippus Amyntæ filius, pessimis ibi collocatis hominibus, Poncropolin vocaverat, illa quoque capta, usque ad terminum gentium Thracicarum Tanaim, paludemque Mæotin penetravit. Inde multas supra Pontum positas civitates ² in jus ditionemque populi Romani redegit. Calatim, Phthinopolim, Parthenopolim, Tomos, Istrum, Buziam omnem ^h cepit: evertit Apolloniam: arma Romana Scythis monstravit: belloque confecto ⁱ sub tempus victi a Crasso Spartaci Romam regressus, de Bessis triumphavit, et præter alia ornamenta, colossum Apollinis, quem ex Apolloniatarum insula transvexerat, in Capitolio posuit.
18. Sed L. Luculli, qui frater hujus fuit, nescio an ma-

1 Ex Sex. Ruf. et Eutrop. correxit Crev. cum in edd. priorr. legeretur *insulas*.

^f Eumolpiadem, quæ postea Philippopolis dicta est] Immo Philippopolim, quæ antea Eumolpias dicebatur. Philippopolis enim ab Philippo Amyntæ filio nomen accepit, atque hoc nomine memoratur a Livio, xxxix. 53. et a Polybio, Legat. XLVIII. Ceterum circa vetus Philippopoleos nomen variant scriptores. Sequitur hic Sextum Rufum et Ammianum Freinshemius. Vid. Cellar. Geogr. Antiq. l. II. c. 15. Crev.

^g Uscudamam, quæ Hadriano-polis est appellata] De hujus quoque urbis priore nomine non consentiunt scriptores. Vid.

Cellar. ibidem. Crev.

^h Buziam omnem] Pro his duabus vocibus Entropius, in edit. Oxoniensi anni 1703. habet *Burziæonem*, quæ potest esse Bizone Straboni memorata, l. VII. p. 319. Crev.

ⁱ Belloque confecto] Miramur prætermissa esse a Freinshemio ea quæ Florus de hac victoria scribit: non aliter cruentissimos hostium quam suis moribus domitos. Quippe in captivos igne ferroque sævitum esse: abscissas captivis manus esse, ut superstites pœnæ suæ viverent. Crev.

jores eodem tempore, clariores certe, scriptorumque beneficio notiores res fuerunt: de quibus deinceps dicemus. Vere ejus anni quo Cn. Orestes, P. Lentulus consules fuerunt, Lucullus, Murena cum duabus legionibus ad obsidionem Amisi relicto, cum tribus aliis per montana versus Cabira movit, ubi Mithridates hyberna habuerat, et tum quoque iisdem in locis erat, eo consilio ut Romanis advenientibus resisteret. Stationes tamen disposuerat in montibus, quæ et opponerent sese transitum molientibus, et, ignibus excitatis, adventum hostium significarent. His Phœnicem quendam regii generis virum præfecerat. Qui signum quidem factis ignibus Mithridati dedit, sed ipse cum iis, quas secum habebat, copiis transfugit ad hostem.

Appian.
Mithrid.
Plut. Luc.
c. 28.
Phlegon
ap. Phot.

Plut.
Appian.

19. Mithridates impigre motus, amne Lyco superato, in campis patentibus pugnandi copiam fecit. Commisso equestri prælio, superiores regii fuerunt, rejectusque Lucullus retro se ad montes recepit. Præfectus ejus equitum Pomponius, cum ad Mithridatem saucius adduceretur, roganti regi, 'ecquid amicus ipsi futurus esset, si eum conservasset?' 'Amicus,' inquit, 'si quidem amicus populo Romano fueris; sin vero, hostis.' Volentibus eum post hanc vocem interficere barbaris, laudabili voce Mithridates occurrit, 'in virtutem a fortuna destitutam sæviendum' negans.

Plut.
Memnon.
Appian.

Plut.
Appian.

20. Post hæc per continuos aliquot dies instructam aciem Mithridates ostentare; Romanus retinere suos, et equitatu inferior, campis nolle credere: donec ancipiti malo circumventum (quia per patentia non audebat ducere, circumitus per montes longus ac tædii plenus erat) forte reperti venatores recrearunt, calle ostenso, per quem copias suas supra caput regis in locum ita comparatum duxit, ut pugnare volenti spatium non deesset, prælium detrectans cogi nequiret.

Plut.
Appian.
Plut.

21. Cum neuter alterum adoriri decrevisset, casu contractum certamen est, quia persequentibus forte cervum regis Romani quidam occurrerant; pluribus deinde, ut fit, hinc inde aggregatis, loco pulsi Romani sunt. Hæc ignominia ex superiore loco conspecta iram movit militi-

bus, signumque pugnae continuo poposcerunt. Lucullus quiescere jussis, ut doceret quantum in praesentia boni imperatoris esset, cum paucis descendit, primisque fugientium ut consisterent occlamavit. Cum illi paruissent, et proximi quique ad idem imperium exemplumque firmarent pedem, globo facto disjecit hostes, victorque ad suos rediit. Deinde pro concione increpitos qui fugerant, in conspectu totius exercitus fossam duodecim pedum distinctos fodere coegit.

22. Sed longe majus occultiusque periculum, sub eodem dies, quod virtute amoveri nequibat, casu idem Lucullus effugit. Olthacus quidam, ex Dardariorum Maethica gente, cum apud Mithridatem de gloria et praemiis virtutis saepe cum aliis regulis disceptasset, ut se omnibus ostenderet superiorem, Luculli capite regi promisso, specie transfugae in Romana castra pervenerat. Is deinde, cum frequentibus excursionibus promptam enixamque operam exhibuisset, postremo quoque equestri praelio servasset multos, in propiorem admissionem receptus, mensae consiliisque admoveri coeperat.

Frontin.
II. 5. 30.
Appian.

Frontin.
Plut.

23. Igitur, observato tempore, quo, missis principiis vacuum magis incustoditumque pratorium erat, brevi pugione accinctus ex more ad Lucillum introibat. Sed illum forte fatigatum longis vigiliis corpus meridiari coegerat: et Menedemus cubicularius, ad ostium stans, negabat intronitti quenquam mortalium posse. Ille 'subitum esse ac necessarium quod afferret' dictitans, nihilominus conabatur irrumperere; cum accensus ira Menedemus, 'nihil salute imperatoris magis esse necessarium' regegens, ambabus manibus repulit hominem.

Frontin.
Plut.
Appian.

24. Quare, ne suspectus haberetur, veritus Scythia, equis, quos ante portam castrorum paratos stare jusserat, ad Mithridatem refugit, aliumque Scytham, nomine Sobadacum, transfugere ad Lucillum couari detulit, qui statim jussu regis comprehensus est.

Memnon.

25. Dum his aliisque rebus bellum trahitur, longe lateque omnibus circum evastatis, inopia utrumque exercitum incessit. Idecirco Lucullus, quo re annonaria commodiore uteretur, in planum degressus, quia patentibus locis equi-

Sall. Hist.
IV. in Epist.
Mithrid.
Appian.

tatum regis timebat, ita metatus est castra, ut munimenti vicem uliginosum paludibus solum hosti objiceret; et regnum Ariobarzanis, intactum bello, a tergo haberet, unde Sall. comعات subveherentur. Crebra inter hæc equestria Appian. prælia fiebant. Semel etiam cum suos fugientes obviam egressus e castris Mithridates acerbe corripuisset, iis animis in pugnam redierunt, ut Romani fusi fugatique, etiam reversis a persequendo hostibus, suum quisque contubernalem pro victore metuentes, vix aliquando facerent fugæ finem: tantus eos pavor occupaverat.

26. Hanc victoriam, missis ad vicinos reges nationesque nuntiis, magnificentius quam verius Mithridates extollebat, promptumque Romani exercitus exitium augurabatur. Sed eventus contra dedit. Cum enim haudquaquam reprehendendo consilio hoc ageret, ut Lucullum comعاتibus exclusum ad eas redigeret angustias, in quibus ipse ad Cyzicum fuisset; negotium equitibus suis dedit, ut frumentatores e Cappadocia redeuntes (nec enim aliunde Romanus alebatur) exciperent.

27. Neque desidia regionum res corrumpebat: sed nimius pugnandi ardor non sinebat a suis locis aliena discernere. Igitur primo Sornatius cum una legione ex Cap- Plut. padocia redux, præfectum regis Menandrum alacritate majori quam consilio congressum, cum magna hostium cæde, in fugam egit.

28. Fabius deinde Adrianus cum ex eadem Cappado- Philegon. cia magnum annonæ modum adveheret, a Menemacho et Memnon. Myrone, quos Taxiles et Diophantus, cum quatuor peditem, duobus equitum millibus immiserunt, lacessitus est. Et si, donec in æqua loca descensum esset, expectare regii potuissent, fortassis in periculo et cohortes Romanæ, et quam adducebant annona fuerat. In ipsis adhuc angustis invadente hoste, et suum sibi equitatum efficiente Appian. inutilem, haud ægre restiterunt, donec auxilium Lucullus Memnon. submitteret. Tum vero effusa fuga Mithridaticorum versus eum locum, ubi Taxiles et Diophantus tendebant, eodem etiam victorem deduxit. Et post acre, sed minime obstinatum certamen, dissipata barbarorum acies diversa Appian. fuga disparuit: pauci cum ipsis ducibus ad Mithridatem

pervenerunt. Magna eo die cædes regionum fuit, et a quinque Romanorum millibus triginta millia, totius exercitus regii robor, fusa referuntur.

29. Mithridates, hac accepta clade, veritus ne destitutum equitatu quamprimum Lucullus circumveniret, statim convocatis amicis aperuit, ‘sibi in animo esse discedere, priusquam itinera ab hoste clauderentur.’ Illi suarum rerum anxii, non expectata luce, pecunias suas suppellectilemque emittebant e castris: et cum hoc a multis et divitibus fieret, brevi angustiae circa portam erant, et rixæ agasonum, uno quolibet ante alios exire properante, audiebantur.

30. Exercitus, re cognita, visisque ducum sarcinis, metu et indignatione commotus, prodique se vociferans, vallo proroto, qua cuique proximum erat, sine duce, sine imperio evadebat. Inter eum tumultum direptæ multorum præfectorum sarcinæ sunt, custodibus interentis: Dorylaus quoque magni nominis ductor, nihil præter purpuram qua erat amictus habens, propter illam interfectus est. Hermæus haruspex, qui et ipse exercitum duxerat, in porta castrorum, pedibus hominum jumentorumque obtritus.

31. Rex ipse extremis proximus, inter turbam pedes profugit: (nec enim quisquam ministrorum apud eum remanserat:) donec impulsu turbæ humi stratum Ptolemæus eunuchus conspexit, equumque, desiliens ipse, præbuit. Ne sic quidem expedita fuga erat, Gallogræcis equitibus, qui Lucullo militabant, terga prementibus. Sed forte, an consilio Mithridatis obiectus mulus, ex iis qui aurum et argentum regionum portabant, avaritiam persequentium prædæ dulcedine distinuit, tempusque evadendi dedit. Ceteri plerique cæsi sunt. Nam Lucullus, cognita suorum victoria, e vestigio equitatum ad persequendos hostes miserat, legiones circumdederat castris, ut ibi fugientes, hic resistentes interneccione delerentur. Amplius sexaginta Ponticorum millia his cladibus extincta creduntur.

32. Præter ereptum triumpho Mithridatis corpus confectique belli gloriam extortam, aliud quoque non leve

Eutrop.

Appian.

Plut.

Appian.

Plut.

Strabo l.
x. p. 477.
Plut.Memnon,
c. 42.
Plut.Memnon.
Plut.Cic. pro
Lege Manil.
c. 9.
Appian.

Liv. Epit.

Plut.

incommodum Lucullo militum avaritia attulit. Callistratum, qui regi a secretis fuerat, comprehensum in castra ducere jussi, cum aureis quingentis^k succinctum sensissent, interemerunt. Castra tamen regis diripi, prædamque militis esse passus est, quo insolentiam illorum molli-
Eutrop.
Plut.

33. Dum hæc diversissimis locis aguntur, Romæ haud exiguum metum Pompeius atque Crassus faciebant exercitus retinendo. Nam ille se Metellum expectare dictitabat ad triumphum venientem: Crassus æquum esse dicebat priorem Pompeii exercitum dimitti. Sed Pompeius eam quidem dubitationem sustulit, statim a triumpho missos facturum milites pollicitus.
Appian.
Civ. l. 1.
Plut. Pomp.

34. Igitur cum ex Hispania Metellus advenisset, multi sub finem anni hujus triumphum fuerunt. Sub idem enim tempus et ex Macedonia C. Curio, et ex Isauria P. Servilius, et ex Macedonia M. Lucullus triumpharunt: ¹ ex Hispania Q. Metellus et Cn. Pompeius, hoc nomine quoque gloriosius, quod iterum eques Romanus triumphabat. Crassus de fugitivis triumphum petere pudore prohibitus, ovans inivit urbem, hoc novo honore magna ambitione impetrato, ut pro myrtea corona, qualem ovantes sumere consueverant, laurea uteretur.
Eutrop.
vi. 4.
Cic. in
Pis. capp.
19. et 24.
Vell. ii. 30.
Plut.
Crass. 22.
Cic. in
Pis. c. 24.
A. Gell.
v. 6. Plin.
xv. 29.

35. Consules deinde M. Crassus, Cn. Pompeius Magnus facti.* Eo tempore Pompeius, quod per militiæ tem-

^k *Aureis quingentis*] Aurei quingenti æquiparantur aureis nostratibus 15. unciis 5. *Crev.*

¹ *Sub idem ... tempus et ex Macedonia C. Curio, et ex Isauria P. Servilius, et ex Macedonia M. Lucullus triumpharunt*] Longe verisimilius videtur Sigonius, C.

Curionis triumphum in annum præcedentem; P. Servilii, in quartum ante hunc annum contulisse. Vid. Commentar. ejus in Fastos, ad annos 681. et 679. *Crev.*

* A. U. C. 682. A. C. 70.

A. Gell. xiv. 7. pora senatus habendi consulendique rationem ignorabat, M. Varronem familiarem suum rogavit, uti commentarium faceret Isagogicum, ex quo disceret quid facere dicereque deberet, cum senatum consuleret. Consul enim fiebat ex equite Romano, priusquam quaesturam gessisset. Tanta hujus adolescentis gratia et virtus erat, ut quibuslibet legibus facile solveretur. Latum ex senatusconsulto ad populum est, 'ut Cn. Pompeium consulem fieri liceret, cum curulem magistratum nullum per leges capere potuisset.'

Liv. Epit. Plut. Pomp. Vell. ii. 30. Cic. pro Leg. Manil. c. 21.

Plut. Pomp. et Crasso.

36. Nec illud tamen plus adijcere magnitudini videbatur, quam quod M. Crassus, contemtor omnium, et divitiis facundiaque inter primores excellens, non erat ausus consulatum petere, priusquam Pompeium rogavisset; et Pompeius olim cupidus demerendi hominem potentissimum, adeo enixe gratiam suam interposuerat, ut non pro Crasso minus quam pro semetipso laborare testaretur. Discors tamen magistratus fuit: nec quicquam magnopere ab iis domi forisve memorabile gestum est, nisi quod Crassus Herculi decimas solvens, decem mensarum millibus epulum populo praebuit, ac frumentum gratuitum in trimestre dimensus est.

Plut. Cras.

Plut. Pomp. et Apoph. Rom. c. 35.

37. Pompeium illa dies magno honore illustravit, qua militiae vacationem a censoribus postulavit; quod, expletis stipendiis, equites Romani facere consueverant. Sedebant pro tribunali L. Gellius, Cn. Lentulus censores. Ad hos Pompeius descendit in forum, equum manu dicens, ceterum insignibus nitens magistratus sui. Ubi stitit equum ad tribunal, major natu censor, 'Quaero ex te,' inquit, 'Pompei Magne, cequid omnia stipendia expleveris?' Cui Pompeius alta voce, 'Explevi,' inquit, 'et quidem me imperatore.'

Plut. Pomp.

Aecon. in Div. Sall. Cat. c. 38. Liv. Epit. Cic. de Leg. iii. 9.

Tum vero mixtus letitia et admiratione clamor populi ortus, vix sedari potuit, donec surgentes de tribunali censores, ut populo applaudenti gratulantique gratum facerent, Pompeium consulem domum deduxerunt. Magnus enim ejus apud populum favor erat, cum plus in senatu Crassus polleret. Et erat in invidia Pompeius, quod plebi potius quam senatui gratificatus, tribuntiam potestatem restituerat: assentiente quidem Crasso, quia prohibere nequibat: sed Pompeius solus

pertenderat, nec sibi glorioso, nec in rempublicam utili facinore, quæ iterum ab eo principio tribunitiis seditionibus periculose vexata est, donec hæc quoque non ultima impellente causa concideret.

38. Tribunitia potestas restituta traxit et judiciorum ordinem, quod eorum levitas flagitandæ potestatis ejus permagnum desiderium fecerat. Igitur L. Aurelius Cotta prætor, favente et annitente Pompeio, judicia ad equites transtulit, non ut penitus excluderentur senatores, sed ut major esset equitum potentia, communicatis inter tres ordines judiciis, senatum, equites, et tribunos ærarios, qui ferme erant ex equitibus. Iisdem consulibus P. Virgilius Maro natus perhibetur Idibus Octobris; ut publicorum actuum monumentis natalis ejus insereretur, ingenii operumque præstantia meritis.

39. Interea Lucullus Cabirorum castellum, cum aliis multis, custodias thesaurorum victorumque, in deditio- nem accepit, passim ad victorem præfectis regis deficientibus: quorum ex numero, Strabonis, ejus qui geographiæ pulcherrimum opus edidit, avus maternus, quindecim castella, fide accepta, tradiderat. Magnæ in iis opes, tetri quoque carceres reperti, quibus Græci barbarique multi olim, desperata salute, attinebantur. Inter hos et Nysa liberata est, soror regis, eademque ob Nicomedem, cui nupta fuerat, hostis. Hanc igitur nihil nisi extrema expectantem, inopinata salus respexit. At alias mulieres regias, cum procul omni metu abesse viderentur, triste fatum comprehendit. Mithridates enim, desperatione rerum suarum Ponto profugus, cum venisset in Armeniam, nec admitti se in conspectum Tigranis videret; immani tristitia et mœrore percussus, Bacchidem eunuchum misit, ut sorores uxoresque et concubinas regias tolleret, quæ Pharnaciæ servabantur, quod oppidum haud procul Trapezunte aberat.

40. Multæ erant, sed præ ceteris insignes Roxane et Statira, quæ circiter annos quadraginta in virginitate exegerant, conjugesque duæ, Ionici ambæ generis, Berenice Chia, et Monime Milesia, cujus præcipua inter Græcos fama erat. Hanc, ubi Bacchides arbitrium mortis dedis-

Cic. Div. c. 3. et in Verr. v. 69.

Liv. Epit. Plut. Pomp. Cic. pro Cluent. 47. Ascon. in Div. et in Corn. et in Pis. Ant. Aug. de Leg. Phlegon ap. Phot. Euseb. Chron. Plut. Luc. Memnon. Sall. Hist. iv. 1. Appian. Mithrid. Strab. xii. p. 557. Plut.

Memnon. Plut. Liv. Epit. Appian.

Steph. Strab. xii. p. 548. Plut.

Plut.

set, detractum capiti diadema obvolvisse collo ferunt, ut inde suspenderet corpus; abruptoque, exclamasse, 'O execrabilis fascia, ne ad hoc quidem usui eris!' Consputum deinde abjecisse, jugulumque præbuisse percussori. Berenice, veneno temperato, partem præsentis rogantique matri dederat. Ergo remissior et divisa vis potionis, cum in senili corpore viam leti haud difficulter invenisset, juvenulam diu cum anima luctantem Bacchides strangulavit.

41. Sororum regis longe dispar ut animus, ita sermo extremus fuisse traditur. Roxane, cum venenum miscuisset, 'Hoc igitur,' inquit, 'extremum a fratre munus teneo, invisum certe, nisi esset odiosior, qui misit. Hoc igitur erat, cur me felicem prædicarent homines, tantis majoribus, in hac fortuna genitam, sororem magni Mithridatis! Ergo igitur, si quolibet de vulgo parentes, quemlibet fratrem sors delisset, viverem. Quia regibus orta sum, et hunc consanguineum habeo, moriendum est. At illum tanta ut aiebant potentia, tanta virtute præditum, tutelam omnium, etiam minimorum, fore credideram; nedum ut sororum suarum proditor, sororum interfector esset.

42. 'Sanc jam tum satis esset miser, si ex tanta fiducia tantum in metum venisset. Sed fac metuere: quam procul adhuc absunt Romani? Cur non servamur in spem melioris fortunæ, nunquam defuturo veneno, si sequius consuli necessum sit? Cur non in Bosphorum aut Colchos mittimur, quo populi Romani non modo arma, sed etiam nomen vix penetravit? Cur hostis et carnificis officium ipse occupat? Quid facerent Romani crudelius? Sed aliud nimirum expectare sorores non oportuit, ab isto quidem, qui matrem venenum coëgit bibere? Sed age age, bibamus, soror, si nihil aliud, hoc certe consecuturæ, ut postea nihil in nos tali tyranno liceat. At tu, pessime omnium et perfidiosissime parricida, in hoc per annos quadraginta virgines asservasti, ut, ubi tu summam rerum ad desperationem adduxisses, veneno moreremur! Tibi vero scelerum ultores Dii candem aliquando necessitatem moriendi imponant, facultatem negent!'

43. Hæc dicentem Statira consolabatur, fratrem simul excusans. ‘ Summæ fortunæ, sicuti singularem honorem, potentiam, gloriam, ita nec vulgares molestias adjacere. Deorum imperium in reges, quemadmodum in ceteros homines potestatem regum, esse. Nullum tanta sapientia aut prudentia unquam exiitisse, ut destinatum sibi a potentiore exitum vitare quiverit.

44. ‘ Idcirco minime imputandum Mithridati, sive quod vinci debuerit, omnibus frustra tentatis; sive quod victus ultima cura providerit, ut quod suorum servari non posset, honeste saltem et in libertate moreretur. Sibi quoque minime lætam mortem esse. Veruntamen hanc malle, quam quæ timenda essent in potestatem hostium venientibus. In bello nemini parci. Multos adeo intervenire casus, quibus vilissimum quidem calonem coërcere ne suus quidem imperator possit. Sæpe et alias, et hoc bello audivisse, quanta in captis urbibus esse licentia militis, quanta cum crudelitate libido soleat. Sibi quidem vel millies mori satius esse, quam ut hanc, non dicere sortem, sed vel periculum subeat.

45. ‘ Non igitur maledicendum esse fratri, qui sanguinem suum, per longissimam temporum seriem deductum a regibus, contaminari aut servire nolit. Sed gratias potius agendas curanti, ut, quatenus omnibus molestiis liberari nequirent, maximis certe et gravissimis eriperentur. Magnum in eo fraterni amoris curæque specimen inesse, sed et vere regii animi, quod inter suos casus laboresque, de sororum periculo, deque domus suæ dignitate cogitasset. Neque dubium esse, quin aliud nihil viderit pro his melius. Nam eadem mandata dedisse ad uxores, quas utique non odisset.’ Post hæc et talia verba, sumto veneno, exanimatæ sunt.

46. Hæc audita mœrore affecerunt Lucillum, clemen- Plut.
tem virum, et plurimæ humanitatis; præfectos autem
Mithridatis, velut signo dato, ad tradenda quibus præ- Appian.
erant præsidia, paucis exceptis, incitaverunt,³ ultimæ Strab. xii,
necessitatis id facinus esse reputantes. Lucillus Mithri- p. 557.
Plut.

³ Incitavit edd. aute Crev.

datem usque ad Talauro (castelli nomen est) insecutus, ubi quatrinduo ante illum in regnum Tigranis perfugisse intellexit, Chaldæis, qui et Chalybes vocantur, Tibarenisque subactis, receptaque minore Armenia, quæ in ditione Mithridatis fuerat, ad obsidionem Amisi reversus est. Amisenis condiciones respicientibus, Callimachus enim præerat, machinarum mirus artifex, consilioque et audacia promptus, ad Eupatoriam se contulit; quam haud procul Amiso regiam Mithridates struxerat, et ex suo cognomento voluerat appellari.

Eutrop.
Plut.

Memnon.

Appian.
et Plin. VI.
2.

Memnon.

47. Cum et hic impigre resisteretur, Lucullus per aliquot dies languidiori oppugnatione usus, propugnatorum negligentiam felici consilio aluit. Cum enim stata quasi diei hora soleret abducere ab oppugnatione suos, ubi opportunum visum est, eodem tempore corripere scalas et in mœnia eniti iussit. Infrequentes defensores aderant, plerisque jam de more per hospitia dilapsis. Statim igitur capta Eupatoria, statimque deleta est. Neque multo post Amisus, eodem ferme modo, in potestatem venit, parique fato incensa est, Callimacho injiciente ignem, ut interea facilius abnavigare posset, an quia prædam Romanis invidebat.

Plut.

48. Nec eripere oppidum, licet summa ope anniteretur, Lucullus poterat; jussique ignem restinguere milites, minaci cum clamore arma quatiebant: donec exercitui se prædam concedere edixit, modo ab incendio ædificia protegerentur. Sed intentus rapinis miles auxit magis, quam extinxit, ignem, cum multi quoslibet angulos cum facibus perscrutando ultro succenderent aedes, ingentemque in urbe paulo ante frequentissima vastitatem facerent. Idecirco postridie ingressus urbem Lucullus non tenuit lacrymas, dixitque amicis, 'sape sibi fortunam Syllæ admirabilem visam, eo maxime quod Athenas servare cum vellet potuerit. Se parem gloriam magno studio expectentem, ad L. Mummi sortem detrudi, ut eversor potius magnarum urbium, quam servator prædicetur.' Bona tamen pars urbis erepta flammis est pluviae miseratione, quæ opportune velut ex machina prorupit. Et Lucullus, priusquam inde discederet, operam dedit, ut pleraque

Memnon.

corrupta restituerentur : edictoque collegit Amisenos, qui Plat. e patria profugerant, novisque colonis Græcis, quibus ibi habitare placebat, auctos, agro quindecim millium passuum urbi adjecto locupletavit : Alexandrum imitari studens, qui eandem urbem, cum Persicis regibus parentem Appian. invenisset, liberaverat.

49. Amisum Athenienses condiderant, quo tempore Meurs. de classibus validi, non proxima tantum, sed et jam longius fort. Athen. c. 6. sita maria pervagabantur. Eoque nuper multi, ut tyrannidem Aristionis fugerent,⁴ velut in aliam patriam, concesserant : ignari eodem quoque quam metuebant belli perventuram tempestatem esse. Sed illos Lucullus honeste vestitos, ducentis distributis denariis, in patriam remisit. Plut.

50. Tunc etiam inter captivos Tyrannio fuit, celeberrimi nominis grammaticus. Eum Lucullus gentili suo Suid. in Murenæ, præcipuo legatorum, rogatus concessit. Ille Tupavvlwv. Strab. XII. p. 548. magnanimi doctissimique et ob hoc doctorum studiosi Plut. imperatoris munere perquam illiberaliter usus, manumisit hominem, ut ab eo commoda quæ patronis liberti præstant adipisceretur. Alia quoque similia multa idem Murena designavit, bello non spernendus, vita moribusque multum ab imperatoris sui nobilitate discrepans. Rebus Amisi ex præsentī copia constitutis, Lucullus in Asiam hybernatum abiit, ut civitatibus illis, sub æris alieni pondere gravissime anhelantibus, succurreret. Interea misit ad Memnon. Tigranem, Mithridatem sibi dedi postulans. Eam legationem Plut. App. Claudius obiit, qui uxori imperatoris frater, Sall. Hist. v. 1. et 1. et liberis ejus avunculus erat. 20.

⁴ Fugerant legitur in edd. ante Crev.

SUPPLEMENTUM

LIBRI XCVIII.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

OPPRESSAM aere alieno Asiam, et, quo recreata est, Luculli consilium traditurus, cohibere animum nequeo, quin praesentibus temporibus ingemiscat, Germaniam intuens nullo miserante deterius propemodum ab hac peste, quam sub tricennalis belli nefandis cladibus pereuntem. Cum enim ad omnes prorsus homines quibus aliquantum rei est, aut fuit, malum istud pertineat, a plurimis annis, sine cura, sine lege, ut cuique potentia aut debilitas aderat, extorquebantur a debitoribus nummi, aut negabantur. Ita dum alii partem sortis offerendo, tamdiu usurpatae pecuniae alienae mercedem postulant, alii, quanquam praeter suam culpam fortunis cruti, etiam usuras representare coguntur; justitia et concordia, quae in medio esse debuerant, miserandum in modum lacerabantur: donec prorsus Alexandrino more nodum hunc secari placuit: utinam durabili ad pacem remedio! Sed his quoque calamitatibus nostris finem aliquem viderit Deus!

2. Asiae acerba ob impotentiam feneratorum conditio erat: quod imperatam a Sylla pecuniam, viginti millia talentorum,^a civitates a publicanis maxime sub gravibus

Plut. Luc.
Appian.
Mithrid.
Plut.

^a Viginti millia talentorum] Marcus argenti nostrates 1875000.
Crev.

usuris acceperant. Erat illa potentissima factio, et plerumque magistratus Romanos opibus et gratia sic habebant obnoxios, ut illorum auctoritate ad quodvis desiderium suum abuti possent. Ergo servilem in modum vexati provinciales, quo exedentem omnia voraginem interdum placarent, privatim liberos suos, virgines, puerosque formosos; publice, quicquid ornamentorum in civitatibus erat, vendere cogebantur. Quæ omnia cum insatiabile fœnus hausisset, nec ideo expungi debita possent, ad extremum ipsi creditoribus in servitutem addicebantur.

3. Adversus hæc, Lucullus primo constituit, ne majores centesimis usuræ^b ducerentur. Deinde usuras quæ sortem excesserant amputavit, non ad invidiosum illud et inverecundum alterius tanti commentum, quo¹ nuper ex Orco revocato, et interpretatione aucto, perfidiosissimi sæculi turpitudine ad extinguendas fidei et justitiæ tennes reliquias erudiri gaudet. Sed quia rem suam creditoribus salvam præstabat, jamque providerat ut expensam pecuniam brevi recuperarent, tam gravibus usuris ulterius aggravari provinciam non patiebatur. Quippe, quod longe utilissimum apparuit, creditorem in bona obæratu hactenus misit, ut quartam reddituum partem perciperet. Ita neque debitor egebat, et fœnerator haud longo tempore, quod erat ab ipso profectum, cum usuris ad præscriptum a Lucullo modum recuperabat. Quod si quis usuras applicuisset sorti, et sortem et usuras amittebat. Hac æquitate rem paulo ante desperatissimam confecit, ut intra quadriennium omni debito liberaretur Asia, et possessiones obligatione solutæ ad eos, qui antea tenerant, reverterentur.

4. Hoc pacto duplum ejus, quod dederant, paucis annis assecuti fœneratores, non ideo quiescebant. Nam, ut ipsi subduxerant calculum, non quadraginta ipsis, sed centum viginti talentorum millia^c debebantur. Ceterum in pro-

1 Quod legitur in edd. ante Crev.

^b *Majores centesimis usuræ*] Usuræ centesimæ sunt eæ quibus ex centum assibus unus singulis mensibus fœnoris nomine penditur, duodecim in annum.

Crev.

^c *Quadraginta . . . talentorum millia*] Marcæ argenti 3750000. *Centum viginti talentorum millia.* Marcæ 11250000. Crev.

vincia novare nihil poterant. Romam scripserunt ad suos, tribunosque plebis commodum pristinam omnia turbandi licentiam adeptos mercati sunt, ut actis desiderijsque Luculli obstreperent. At ille, magna, non² apud suam modo provinciam, sed universos gloria, (justos enim magistratus rebus ipsis cogentibus unaqueque civitas laudat,) Ephesi residens, Asiam constituebat legibus, cumulabat fidæ pacis^d bonis, spectaculis etiam ludisque triumphalibus Appian. seque et illam recreabat. Vicissim in honorem ejus Asi- Plut.atici instituerunt Lucullea, celebraruntque.

5. Dedit deinde Ap. Claudio operam de legatione sua referenti. Eum regii viarum duces, longo circumitu et sinuosis itinerum amfractibus detinuerant, donec a servo doctus, quem natione Syrum secum habebat, illis valere jussis, paucis diebus ad Euphratem, et, amne superato, Antiochiam pervenit.

6. Aberat Tigranes, et Ptolemaide capta, cui se regina Joseph. Syriae Cleopatra incluserat, reliquas Phœnices urbes ob- XIII. 24.ibat. Idcirco Appius, dum illum opperitur, nonnullos Plut.regulorum haudquaquam æquo animo Tigranis opes intueri cernens, illorum animos Romanis conciliabat. Quorum et Zarbienus fuit, Gordyenorum rex, quam gentem Strab. xvi. Gordys condidisse traditur, Triptolemi filius. Civitates p. 747. etiam multas nuper a Tigrane domitas, cum ad ipsum Plut.clam misissent legatos, in præsentia quiescere jussit, ut adveniendi Lucullo se reservarent. Græcarum enim urbium spiritus Armenium jugum haudquaquam animo æquo patiebantur. Et super omnia invisa erat intolerabilis superbia Tigranis, qui fortuna inflatus, neque cupiditatis suæ finem, neque magnitudinis modum reperiebat.

7. Nam, a mediocribus initiis profectus, annis viginti Eutrop. quinque multas gentes domuerat. Mesopotamiam, Sy- Plut.riam, Phœnicen occupaverat. Parthos gravius quam quis-

2 Solum add. edd. ante Crev.

^d Cumulabat fidæ pacis] Id est, veræ solidæque pacis. Nam antea sub obtentu hujus nominis bellum acerrimum adversus

Asiam gerebant publicani. Hoc eo annotamus, quia priores editiones hoc loco habent *fidæ*. Crev.



quam ante eum alius vexaverat: infinita prope millia Græcorum e Cilicia Cappadociaque abactorum in Mesopotamia collocarat, Scenitis etiam Arabum transferre sedes in loca sibi placentia coactis. His rebus ita erat elatus, ut multos in quotidiano ministerio reges haberet: quorum quatuor, si equo veheretur, juxta incedebant pedites; si responsa legatis gentium redderet, consertis pectinatim manibus astabant taciti.

8. Nihil hac scena perturbatus Appius, cum ad edenda mandata in conspectum venisset, 'L. Lucullus,' inquit, 'populi Romani imperator, Mithridatem ob multas et graves injurias justo pioque bello petito regno suo expulit, rex Tigranes. Quem igitur nobis hostem sua improbitas, servum victoria et virtus nostra fecit, eum, quoquo fuga se proripuit, jure gentium repossimus. Non arbitramur te, ut hominem, donec opibus et fortuna floruit, omnibus iniquum, gravem, tuearis, cum victo et exule communia habere fata velle. Nec enim ignoras, eandem causam esse eorum qui fugiunt heros, et qui fugitivos recipiunt.'

9. 'Etiam si te præ multis regibus potentia valere scio, non tamen opinor tam levi de causa facturum esse quicquam, quo de illa dimicare cogaris. Quanto plura possides, tanto gravius periclitabere. Quid arma Romana valeant, si Magnus nuper Antiochus, et Magna Carthago parum grandia aut recentia documenta sunt; Mithridates docere potuit, qui et ipse vulgo jam cœperat Magnus usurpari. Et tamen ille in ea tempora incidit, quibus arma civilia, aut socialia, aut servilia denique, vires imperii nostri divisas atque districtas tenebant. Nunc intestina bella penitus quieverunt. Nullus usquam Sertorius est, nullus Spartacus, qui afferre impedimentum queant, ne, quod senatui populoque Romano visum fuerit, paribus animis viribusque exequamur.'

10. Notarunt, qui astiterant, hac juvenis audacia tactum hominem, qui tot ab annis liberam vocem nullam audiverat, non tenuisse vultus, quem induerat, æqualitatem; sed, quanquam serenum placidumque fingeret, commotionem animi prodidisse. Respondit 'sibi quoque

non ignotam Mithridatis pravitatem esse: sed necessitudinem revereri, et commune apud omnes homines opprobrium, si socerum suum ad exitium dedidisset.' In eandem sententiam et literas ad Lucullum dedit; in quibus, imperatoris omissa appellatione, hanc causam homo vecors attulit, quod se quoque regem regum appellare Romanus neglexisset. Misit tamen multa et splendida dona Appio; et, illo recusante, plura etiam et pulchriora adjecit. E quibus Appius, ne quasi professis odiis superbum et potentem regem irritaret, una phiala accepta, cetera remisit, celerique cursu ad imperatorem suum est reventus.

Memnon.
Appian.
Plut.

11. Toto illo tempore cum Heracleotis negotium M. Memnon, Cottæ fuerat. Isque, iterum tentata improspere oppugnatione, Triarium advocavit, ad prohibendos comœatus, qui obsessis mari subvehebantur. Triarius cum suis tribus et viginti triremibus, viginti Rhodiis, cum Cottæ nuntiandum curavisset, qua die esset affuturus, in idem tempus suum exercitum paravit Cottæ: acciditque, ut simul terra Romani, simul navibus ad Heracleam accederent.

12. Heracleotæ, re inexpectata perterriti, tamen triginta naves semiplenas deducunt: ceteri ad pellendum mœnibus hostem accinguntur. In agmine Romano primæ Rhodiæ naves ibant; in quas illati Heracleotæ statim depresserunt tres hostiles; ipsi vicissim quinque perdidērunt. Superveniente deinde Triario, cum aliquamdiu restitissent, in majorem portum coacti sunt refugere, navibus amissis quatuordecim.

13. Ideirco licet irritus tum quoque conatus Cottæ fuisset, inopia tamen rerum necessariorum, quod Triarius quotidie cum triremibus oberrans subvectionem comœatum impediēbat, brevi in maximas calamitates obsessi inciderunt: donec chœnix^e frumenti octoginta drachmis Atticis veniret. Tandem, ut solet, ex fame pestilentia accessit; quæ et Lamachum, omnium malorum patriæ auctorem, præ ceteris longius et acerbius exeruciatum absumpsit; et in præsidiarios præcipue sæviens, de tribu

^e *Chœnix*] Mensura Græca, Una argenti marca, uncis 2. decimæ fere parti modii nostratis æqualis. *Octoginta drachmis.* Crev.

millibus, qui tum adhuc superfuera, trientem demessuit. At Romani, quibus aura liberior et annona sufficiens erat, intacti ab his suppliciis manserunt.

14. Inde Connacorigi tempus visum de deditioe agendi, quo suæ salutis vel per interitum Heracleæ consuleret. Igitur, assumpto in societatem consilii Damophele, qui partium Lamachi cum fuisset, etiam in præfecturam ejus successerat, Cottæ ingenium, ut ferox et infidum, aversati, cum Triario agere cœperunt. Ea re per epistolam quandam interceptam^f prodita, magno cum tumultu in theatrum populus concurrat, cunctisque metu trepidantibus, Brithagoras e primoribus civium oravit Connacoriga, ‘ siquidem deditio cordi esset, at saltem ne ignaris oppidanis res tanta agigaretur:’ seque in illud negotium legatum offerebat; cum negaret Connacorig^g ‘ deditioem sibi placere; esse meliorem salutis viam, sibi que ex literis amicorum compertum, a Tigraue Mithridatem exceptum honestissime, neque diu emansura auxilia.’ Sic decepto populo, Connacorig intempesta nocte milites suos cum sarcinis (id enim Triarius permittebat) imposuit treremibus, simulque cum iis abnavigavit.

Appian.
Memnon.

15. Sub idem tempus Damopheles, apertis portis, Triarium accepit: nonnulli milites, sive tædio moræ, sive quo vi capta civitas videretur, per muros transcendere maluerunt. Sic occupata Heraclea, crudeliter in oppidanos sævitum. Romanique memores, quæ longam inter obsidionem fastidia, quos labores tolerassent, vel ab aris et simulacris abstractos jugulabant. Quo metu magna pars, per mœnia desiliens, per universam regionem, ut quisque latebras speraverat, dissipata est, aut ad Cottæ castra perfugit. Ille, haecenus ignarus rei, cum captam urbem direptamque ex his didicisset, ira fremens excivit exercitum, protinusque contendit ad urbem, pœnam sumpturus a Triario, a quo esset et Heracleæ capiendæ gloria, et ma-

^f Per epistolam quandam inter-
ceptam] Photii editio Rothoma-
gensis præfert ἐξ ἐπιτολῆς, pa-
rum claro sensu. Freinshemius
nempe legendum putavit, ἐξ ἐπι-
στολῆς. Crev.

^g Cum negaret Connacorig] Ad-
misimus Clerici emendationem,
licet haud prorsus certam et exp-
editam. Antea cum negare.
Crev.

nubiarum utilitate spoliatus: concursumque civilibus armis foret, nisi Triarius, Cotta exercituque multis lenibusque verbis placato, prædam communem omnibus fore spondisset. Sic redintegrata amicitia, cum Tion et Amastri ab Connacorige teneri didicissent, Triarius in istam expeditionem profectus, utrumque oppidum, pacto securum abitum Connacorige, nullo negotio recepit.

16. Inter hæc Cotta captivos Heraeleotarum, et quorum ad se perferant, retinens, crudeliter et avare presentibus utebatur, omnibus abreptis templorum donariis, simulacrisque numinum, ut nec Herculi parceretur, cui sacram urbem suam, et in illius honorem oraculi jussu conditam Heraelienses ferebant. Ejus effigiem antiquitas talem posuerant, ut nihil ad summam magnificentiam pretiumque ac pulchritudinem reliquum videretur. Clavam addiderant auro obrizo solidam: et ex eo metallo leoninam ingentem finxerant, plenamque sagittis pharetram. Hæc et alia cum ad naves deportasset, injici tectis ignem jussit; quo pleræque urbis regiones conflagraverunt. Hic fuit Heraeliensis obsidionis exitus, alterum in annum protractæ.

Justin.
xvi. 3.

Memnon.

17. Cotta, missis ad Lucillum, qui iterum in Pontum movebat, cohortibus aliisque³ Romanis, permissoque sociis, ut suam quisque in patriam reverterentur, cum classe Romam instituit iter. Sed pars navium onere gravata, cum haud procul littore processisset, subsedit: alias flantes forte aquilones in breviam compulerunt, ut facere jacturam cogerebantur.

18. Cum ita quotidie in deterius res Mithridatis ruerent, motus iterum ex Asia Lucillus, validius eas impulit, ira quoque instigante, ob superbas Tigranis literas. Idcirco, postquam iterum in Pontum irrupisset, Sinopen obsedit, clarissimam Ponticarum urbium, quam caput regni Mithridates, natus in ea et educatus, effecerat. Leucippus et Cleochares spado urbi præerant; eratque Seleucus, a quo vectus Heraeleam rex fuerat, pari auctoritate additus. Horum Leucippum, die ad populum dic-

Plut. Luc.
Appian.
Strab. xii.
p. 545.
Memnon.
Oros. vi. 3.
Memnon.

ta, proditionis collegæ reum egerant, et, cum nihil accusando profecissent, noctu interfecerant per insidias. Hinc, irritatis magnopere Sinopensibus, unam effugiendæ vindictæ viam creditam, tyrannidem invaserunt.

Plut.
Memnon.

19. Cum in eo res essent, annonam a Bosporo ad castra Luculli vehentes onerariæ naves⁴ apparuerunt: quas cum triremibus quindecim præfectus classis Censorinus deducebat. Igitur Seleucus cum Cilicibus suis et Sinopensium navibus longis provectus, superatis Romanis, onerarias aliquot abstraxit. Hæc fortuna magis adhuc inflavit, asperioresque fecit tyrannorum animos, multique ab iis oppidanorum indicta plerumque causa jugulati. Sed et inter ipsos parum conveniebat, Cleochare resistendum Romanis contendente; Seleuco, trucidandos Sinopenses, acceptisque ingentibus præmiis tradendam Lucullo urbem. Cum neuter cederet, re in medio relicta, opes suas onerariis navibus impositas ad Macharem miserunt, Mithridatis filium, qui tum apud Colchos agebat.

20. Circum hæc occupatis Lucullus supervenit, castrisque ad Sinopen positis, obsidionem cæpit. Venerunt mox a Machare legati, societatem et amicitiam petentes. Quos ille comiter receptos omnia sperare a se et populo Romano jussit, dum ne comiteatu rex eorum Sinopenses, aut ulla re alia juvaret. Machares, responso Luculli cognito, fecisse imperata non contentus, ut se bene et suaviter destinasse probaret amicitiam Romanam colere, quicquid in usum Mithridaticarum partium paraverat, ultro in castra Luculli misit.

Appian.
Memnon.
Plin. VI, 4.
Appian.
Memnon.
Plut.
Memnon.

21. Ea res non solum obsessoribus fecit animos, sed et tyrannos penitus adegit ad desperationem. Igitur nocte quadam per milites urbe jussa diripi, levioribusque navigiis delectis, cum magnis divitiis ad interiora Ponti, ubi Sanni Lazique accolunt, profugerunt, ignibus antea reliquas in naves injectis. Lucillum ortus in urbe clamor (multam enim cædem inter diripiendum Cilices ediderant) simul flamma visa admonuit, ut ad urbem duceret, cujus

⁴ Tà onerariæ naves omittebant edd. ante Crev.

jam etiam partes aliquas ignis comprehenderat. Scalis Oros. Plut.
admotis, facile transcensum: et Cilices, quos præda tar- Memnon.
daverat, passim occisi. Ne oppidanis quidem parci inter
tumultum potuit, donec octo ferme hominum interfectis Plut.
millibus, cædibus abstineri imperator jussit. Memnon.

22. Deinde consolatus Sinopenses, privatim sua cuique Plut.
reddidit, publice dedit libertatem: præter ingenium bene- Appian.
ficum ac mite, somnio quoque motus. Proxima ante ca- Plut.
piendam urbem quiete, videre visus est habitus ignotioris
hominem, paulisper jubentem progredi, ut Autolyco oc-
curreret. Id somnium inter tantarum rerum occupationes
cum effluxisset animo, forte dum Cilicas ad mare fugien-
tes persequitur, obvolutam pannis statuam vidit. Hanc
ubi solvi exinique jussit, statim agnovit speciem, quæ
obversata noctu fuerat: simul præsentium aliquis Auto-
lycum esse, Sthenidis opus, confirmavit. Heroem Au-
tolycum Sinopenses colebant, quod sive Jasonis in expedi- Strabo.
tione Colchica, sive Herculis adversus Amazonas profecti Plut.
socius, cum forte naufragium iis locis fecisset, Sinopen Appian.
cum suis pervenerat, eamque urbem prioribus incolis, a
Syro (quem Apolline et Asopi filia Sinope genitum fere- Plut.
bant) ibi collocatis, ademptam obtinuerat.

23. Ea res admonuit Lucullum commentariorum, quos
ei Sylla inscripserat, inserueratque monitum, ' ut per qui-
etem oblata præcipuæ firmitudinis existimare meminisset.'
Quæ fatua et puerilis hominum credulitas, quid aliud
quam theatrum est, in quo fabulas suas deceptores genii
pro lubitu instruant, erroresque omnes, in quos demergere
miseram mortalitatem student, nullo negotio stabiliant?
Hanc igitur statuam Lucullus abstulit, una cum Billari Strabo.
Sphæra:^b ceteris ornamentis oppidi abstinuit injuriam.
Sinope recepta, nihil jam iis regionibus hostile præter Memnon.
Amasiam supererat. Sed ipsa quoque paulo post in diti-
onem populi Romani concessit. Appian.
Plut.

24. Hæc agenti Lucullo legati a rege Bosporano ad-
venerunt, coronam auream dono afferentes. Quibus ille Liv. Epit.
benigne exceptis, Macharem illorum regem socium ami-
cumque populi Romani appellavit.

^b Billari Sphæra] Casaubonus ad Strab. ingenue profitetur se
de hoc nihil reperisse. Crev.

Plut. 25. His rebus patratís, cum finem imposuisse Pontico bello videretur, rege fugato, nemine præterea morante victorem; Sornatium cum sex millibus militum præsidio reliquit provinciæ. Ipse cum reliquis duodecim millibus peditum, equitum haud totis tribus millibus, Tigrani bellum illaturus, castra movit. Tigranes enim, postquam Memnon. per annum integrum, octoque præterea menses, in regno Appian. suo versari Mithridatem passus non admisisset in conspectum, sed custodia corporis attributa, in remotissimis locis Plut. magis captivi, quam regis, modo habuisset; sive misericordia ductus, sive metu Romanorum, et legatione irritatus Appii, perquam honorifice acciverat.

Memnon. 26. Triduum inter se arcanis sermonibus transdixerunt, Plut. conciliataque plenissime gratia, quod ex factis deprehendi potuit, priorum offensiuncularum causas in amicos rejecerunt. Ex quibus statim interfectus est a Mithridate Metrodorus Scepsius, vir facundia et eruditione clarus, quem in eum amicitiae gradum Mithridates receperat, ut regis patrem appellari pateretur. Sed Tigranes exposuerat Mithridati, quemadmodum ad se missus ille, cum mandata regis sui de belli adversus Romanos societate edidisset, interrogatus a Tigrane, quid igitur ipse suaderet, in hæc verba responderit: ' Ut legatus, suadeo; ut consilium rogatus, alia omnia.' Nec oderat Metrodorum Tigranes. Idcirco, suam per culpam interfectum dolens, magnifico extulit funere, et suprema ei magnis sumptibus Memnon. persolvit. Splendidis dein epulis omnique comitate socerum cum excepisset, attributis decem millibus equitum dimisit, in Ponto res novaturum.

Plut. 27. Hæc, ut solet, in majus distulerat fama, regesque junctis viribus janjam in Lycaoniam Ciliciamque irrupturi ferebantur: cum miratus Armenium Lucullus, quod non stantem potius Mithridatem sustinuisset, quam ut erecturus prostratum idem ipse discrimen adiret; occupare ejus adventum proposuit, et ultro in Armeniam procedere. Gravabantur milites, alioqui plus æquo turbulenti, in regionem hostilem, gentesque bellicosas et innumerabili equitatu instructas, terramque vastis annibus et nivosis montibus septam, sequi. Romæ quoque a tribunis plebis consilium imperatoris carpebatur, ' hominem imperii et

opum cupidum bella serere ex bellis, ut publico periculo privatis libidinibus satisfaceret,' invidiose querentibus. Sed ille, placatis utcumque militibus, in Cappadociam duxit, ut ibi Ariobarzanis opibus amicitiaque apparandis Memnon. quæ usus belli posecebant instructor, ubi primum tempus anni pateretur, Euphratem transcenderet.

28. Hoc anno tristem in urbe censuram L. Gellius Liv. Epit. Poplicola, Cn. Cornelius Lentulus Clodianus egerunt, quatuor et sexaginta senatu motis. In his et C. Antonius Asc. in Tog. Cand. fuit, Marci oratoris filius. Cui causas subscripserunt censores, 'quod socios diripuerit; quod iudicium, apud M. Lucillum prætorem accusatus, recusarit, turpi allegatione, Plut. Cæs. c. 5. Ascon. se cum Græcis hominibus in Urbe non posse æquo jure contendere; quod propter æris alieni magnitudinem prædia manciparit, bonaque sua in potestate non haberet.' Plut. Cic. c. 22. Dio, 1. Etiam P. Lentulus Sura, qui nuper consul fuerat, senatu xxxvii. Ascon. in Tog. Cand. Sall. Cat. c. 23. motus est, et Q. Curius, notissimus aleator, ceterique mox ad Catilinariæ conjurationis scelus non tam hac censoria nota, quam causis aliis impulsus. Lustrum deinde conditum est. Civium amplior, quam ante, numerus, receptis Liv. Epit. Lips. Admir. 1. 7. et Elect. 1. 27. Dio, xxxvi. in idem jus sociorum populis, fuit. Capita nongenta quinquaginta millia censa. Principem senatus Q. Lutatium Liv. Epit. Catulum legerunt.

29. Per idem tempus L. Metellus Siciliae prætor rem adversus piratas prospere gessit. Nam inter fœdissimam Oros. vi. 3. C. Verris præturam Pyrganio archipirata Syracusanum portum, pulsa classe Romana, obtinuerat, insulamque inde cædibus rapinisque misere vexabat.¹ Hunc igitur Metellus terrestri navalique prælio victum profugere ex Sicilia coëgit, pacemque provinciae reddidit.

30. Finem hujus anni lætum Urbi, reditu suo in gratiam, duo potentissimi viri Pompeius Crassusque consules fecere. Illi hactenus retinuerant exercitus suos, neque Plut. Pomp. et Crass.

¹ *Pyrganio archipirata Syracusanum portum ... obtinuerat, insulamque inde ... vexabat*] Ille archipirata Syracusanum portum intraverat, et in eo pervagatus fuerat, sed post paulo exierat, teste Cicer. l. v. in Verr.

Delph. et Var. Clas.

n. 93-99. Si eum obtinisset stabili per aliquantum temporis possessione, id Cicero objicere Verri non omisisset. Nimis secure hic exseribit Orosium Freinshemius.

Livius.

- Appian. Civ. l. 1. populum, extrema quæque inter discordes et prævalidos metuentem, cum eos rogaret ut reconciliari paterentur, audiverant. Sed, postquam, alio tempore sedentibus pro tribunali, Caius quidam Aurelius, equestri loco natus, sed qui vitam procul negotiis egerat, ad eos ascendit, 'Jovemque sibi per quietem imperasse' dixit, 'moneret consules uti in gratiam redirent,' populusque gemebundus et simplex eadem precari cœpit; Pompeius restitit tacens: at Crassus prior porrigens dextram, 'Nihil,' inquit, 'me indignum aut vile facere reor, si huic Pompeio aliquid defero, quem vos imberbem adhuc appellare Magnum sustinuisistis; quem bis⁵ triumphare jussistis, priusquam in senatum legeretur.' Tunc et Pompeius occurrit Crasso, junctisque dextris fecerunt redintegratæ gratiæ fidem. Ergo populus in lætas acclamationes votaue et preces effusus, non ante destitit, quam dies ab utroque mittendis exercitibus diceretur. Id ubi est factum, magistratu consules abiverunt.
- Plut. Appian. Plut. Pompeius. Liv. Epit. Dion. Halic. iv. 69. Cassiod. Chrou. Cic. in Verr. iv. 31. Plin. vii. 43. Tac. Hist. iii. 72. Plut. Poplic. c. 23. Plin. xix. 1. Val. Max. ii. 4. Plut. Luc. Sall. Hist. iv. 9.
31. Q. deinde Hortensio, Q. Cæcilio Metello, qui postea Creticus appellatus est, consulibus, templum Jovis in Capitolio, quod ex Syllanorum temporum injuria super iisdem fundamentis reffectum erat, a Q. Catulo dedicatum est: * quem solum honorem felicitati suæ defuisse confessum questumque L. Syllam ferunt. In ea dedicatione, cum vehemens æstus esset, Q. Catulus velis expansis unbram fieri populo jussit, quod deinceps in theatris est frequentatum.
32. His consulibus Romanæ copię imperatore Lucullo, maximis itineribus per regnum Ariobarzanis contenderunt ad Euphratem, qua in parte Cappadocia ab Armenia disjungitur: et, quanquam ad id naves codicariæ occulto per hyemem fabrefactæ aderant, tamen hybernis aquis tumidus annis transeundi metum faciebat. Sed mira felicitate circa vesperam ejus diei subsidere flumen cœpit, et fluctus intra alveum coërcere. Igitur accolæ, cum reddita

5 Tò bis in edd. ante Crev. desideratum, ex Plut. add. Crev.

hæc non inflatior solito Euphrates parvas in mediis aquis insulas ostenderet, adoraverunt Lucillum, amicum Deo imperatorem rati, cujus honoris causa præter solitum tam cito annis detumuisset.

33. Alia deinde haud minus insolita res oblata trans- Plut.
gresso, opinionem hominum firmavit. Pasebat in ea regione Persicæ Dianæ sacrum armentum, peculiari nota insigne, et humanis usibus exemptum. Ex eo, ubi tempus sacrificii venisset, plerumque non sine magno labore victima capiebatur. Sed tum ultro ad petram, quæ sacra Deæ habetur, insigni specie bos concedens, eo loco constitit, demissoque capite, tanquam reste traheretur, hostiam se præbuit Lucullo. Ille et hoc peragit sacrum, et propter facilem transitum taurum immolavit Euphrati. His eodem die perfectis, postero sequentibusque per Sophenen iter fecit, pacato agmine, quod incolas pacificis animis imperata facientes nulla re violari voluerat. Appian. Mithrid. Plut. Sed et militibus castellum quoddam, ubi magnos esse thesauros audierant, capere volentibus, ostenso procul monte Tauro, ‘Istud potius,’ inquit, ‘excindendum nobis præsidium est. Nam hæc quidem victoribus servantur.’ Magnis deinde itineribus ad Tigrin, et hoc quoque superato, in Armeniam processit.

34. Nec quisquam ibat obviam, ignaro omnium Tigra- Appian.
ne, cui nuntiare Luculli adventum audebat nemo, quod qui primus id fecerat, tanquam civitatibus turbandis nuntium fingeret, capitali supplicio erat affectus. Et adula- Plut.
tores blanditiis et laudibus vanos spiritus inflabant, ‘egregium fore ducem Lucillum’ dietitantes, ‘si vel Ephesi expectet regis regum impetum, nec ad primum conspectum innumerabilium copiarum diffugiat.’ Tandem unus amicorum Mithrobarzanes verum indicare ausus, e vestigio Appian. et Plut.
assumptis tribus equitum millibus, et ingenti peditum numero, Romanos obterere jussus est, solum ducem vivum adducere.

35. Forte castra metari primum suorum agmen Lucullus jusserat, donec reliqua pars exercitus, quæ adhuc erat in itinere, successisset; cum adesse illi hostes nuntiatum. Idcirco ne distractas copias Armenii opprimerent, ipse ad

castra permunienda substitit. Sextilium legatum cum mille sexcentis equitibus, militumque et velitum haud multo majore numero præmisit; mandato, 'ut, cum appropinquasset hostis, citra pugnae periculum distineret eum, donec munita esse castra didicisset.' Imperium ducis cum servare Sextilius vellet, impetu ferociter invehentium se hostium dimicare est coactus. Pugna prospera Romanis fuit. Mithrobarzanes in prælio cecidit: barbari plerique fugientes cæsi: pauci ad regem redierunt incolumes. Is, hoc nuntio territus, neque minus nunc ad timorem præceps, quam paulo ante superbia tumidus fuerat, Tigranocerta Mancaei fidei committit. Ipse ad Taurum montem se confert, omnes imperii vires eo contracturus, Mithridate quoque revocato.

Appian.
Plut.

Memnon.
Appian.

36. Lucullus interea urbem, in qua concubinas regis asservari audiverat, obsidebat, Sextilio ad Tigranocerta claudenda, aliis quoque ducibus circum insigniora castella dimissis. Mancaeus Sextilium arcere instituerat. Sed repulsus intra mœnia, suburbanam regiam diripi, seque et urbem circumvallari, adduci machinas, effodi cuniculos tulit. Interea sex equitum millia jussu Tigranis ad concubinas eripiendas profecta, per medias Romanorum copias, cum imbre sagittarum clausissent iis exitum, eduxerunt mulieres, præmiseruntque per noctem. Sed orta luce, Romanisque et Thracum auxiliis acerrime præliantibus, magna multitudo Armeniorum cæsa captaque: præmissum tamen agmen, quia jam aliquantum viæ præceperat, in loca tuta pervenit.

Memnon.

Plut.

Xiphilin.
Plut.

37. At Lucullus ne spatium regi per otium contrahendarum virium concederet, Murenam ad carpandos qui ad illum accelerabant misit. Ipse cum ad Tigranocerta⁶ venisset, Sextilium occurrere Arabum exercitui jussit, qui conjungere se Tigrani cupiebat. Et horum plerique oppressi sunt a Sextilio, cum forte castra ponentibus supervenisset. Murena in arcta quadam et confragosa valle Tigranem nactus, loco audaciam dante, conseruit manûs: neque spernenda victoria potitus, impedimentis omnibus regem exiit.

Cic. pro
Mur. c. 9.
Plut.

⁶ *Tigranocerta* Cler. sine præpositione. Reliquæ edd. ante Crev. habent *a Tigranocerta*.

38. Sed Lucullus, ut ad pugnam eum eliceret, acriter Tigranocerta premebat, non sine periculo militum; in quos obsessi præter solita defendendis urbibus, ignes omnia comburentes, nec restingui faciles, ejaculabantur. Xiphilin. Sall. Hist. iv. 13. Plin. II. 105. Plut. Alex. c. 51. Plin. II. 104. Naphtam vocant bituminis genus, adeo cognatum ignibus, ut eminus rapiat flammam, et momento vel in longa spatia diffusum inardescat. Similis natura malthæ, cujus in Commagenes urbe Samosatis stagnum est: qua etiam, oppugnante Lucullo, muros defendisse oppidani⁷ traduntur.

39. Urgebat tamen inceptum Lucullus, haud dubitans, succursurum ei urbi Tigranem, quam tantæ curæ semper habuisset, totque ac tantis nobilitasset ornamentis. Namque Tigranes, ut hanc omnium efficeret opulentissimam, proceribus suis ut ibi haberent domicilia præceperat, muleta quoque imposita, ut quicquid pretiosarum rerum in eam urbem non transtulissent publicaretur. Huc coactis Græcorum, Adiabenorum, Assyriorum, Gordyenorum, eque Cappadocia et Cilicia multis millibus, quorum patrias non aliam ferme ob causam exciderat, murum curaverat exædificandum cubitorum quinquaginta altitudine, in cujus ambitu stabula equorum erant disposita. Regiam quoque hortosque in suburbiis, ferarumque et piscium vivaria, itemque arcem validam juxta struxerat. Plut. Luc. Appian.

40. Neque Mithridates aliud quam quod in expectatione Lucullo⁸ erat, metuebat. Crebris ergo nuntiis literisque monebat Tigranem, 'ne in discrimen res daret: tantum intercipere commeatum niteretur: unam hanc victoriæ viam. Collatis signis insuperabilem vim⁹ Romanam esse.' Eadem Taxiles dux Mithridatis, qui tum Tigrani aderat, præcipere non desinebat. Plut. Appian. Plut.

41. Tigranes ab initio præbebat aures. Sed, postquam Armeniorum Gordyenorumque coacta multitudo affuit, exercitusque numerosos Medorum Adiabenorumque reges adduxerunt, præterea a Babylonio mari Arabum, a Caspio Albanorum et Iberorum magnus numerus advenit,

⁷ *Oppidum* edd. ante Crev.

⁸ *Luculli* edd. ante Crev.

⁹ *Rem* in edd. ante Crev. exhibetur.

Cic pro
Leg. Manil.
c. 9.
Plut.

accidentibus quoque liberarum gentium auxiliis, quæ ab Araxe fluvio, partim donis aut gratia motæ miserant, partim ea opinione, quod ad diripiendum nobilissimum iis oris fanum Romani existimabantur venisse; omnia apud barbaros audacia minisque personare cœperunt: neque in conviviiis regis, neque in consilio, aliis erat sermonibus locus. Taxiles, quia tum quoque pugnam oblique dissuadebat, in periculum vitæ adductus est: Mithridates pro æmulo tractus, qui tantam gloriam socero invideret. Igitur non expectato illo, ne veniret in victoriæ societatem, Tigranes toto cum exercitu movit, nihil æque apud amicos, ut ferebatur, questus, quam ‘quod cum uno tantum Lucullo, ac non simul omnibus Romani populi ducibus dimicatio instaret.’

Sall. Hist.
IV. 9.
Plut.

42. Et erant eæ vires, quæ modestiorem etiam animum efferre potuissent. Funditores et sagittarii viginti millia expleverant; equites, millia quinque et quinquaginta: quorum (ut ad senatum scripsit Lucullus) septemdecim millia cataphracti erant, ferrea omni specie. His gravis armaturæ milites centum quinquaginta millia accesserant. Calonum quoque, et munitorum ad pontes sternendos, eadendamque materiem, et similes usus, triginta quinque millia sequebantur. Hoc tantum agmen ubi primum, superato Tauro, conspici a Tigranocertis potuit, obsessi, ex metu in audaciam versi, Romanos respicere minitabundi jubebant.

43. At in principiis Romanis diversæ sententiæ dicebantur: quibusdam occurrendum regi, aliis non esse descendendam obsidionem affirmantibus. Lucullus utrosque recte censuisse dicens, et neutros, divisit copias, Murenaque cum sex peditum millibus in castris relicto, quatuor et viginti cohortes, in quibus haud erant amplius decem armatorum millia, cum omni equitatu, et funditorum sagittariorumque mille ducit in Armenios.

Appian.
Memnon.
Xiphilin.
Plut.

44. Illi, patente in campo juxta flumen castra metantem conspicati, contenta paucitate, ludum jocumque faciebant. Neque quisquam erat regum ducumve, quin, adito Tigra-ne, sibi seorsim pugnam posceret: ‘neque enim attingere, tantum exercitum tam levi operæ pretio fatigari.’ Etiam Tigranes facetus esse voluit, et, ‘Siqui-

dem hi pro legatis,' inquit, 'adsunt, oppido multi sunt; sin vero pro bellatoribus, oppido pauci.'

45. Longe alia æstimatione suas Tigranisque vires Lucullus pensabat: inlabilem hostium multitudinem sua mole perituram ratus, si, priusquam ordinari posset, turbaretur. Idcirco simul cum luce copias armatas instructasque castris educit, annem transiturus. Erat in aversa ab hostibus parte commodum transgressuro vadum. Id dum petit, speciem fugientis præbuit Tigrani: isque, præ voluptate gestiens, Taxilem compellabat, 'Ecce autem invicti tui Romani fugiunt,' inquit. Rursus ille, 'Utinam ita sit, o rex! at vero comitis illos signis armisque fulgentibus incedere video. Hoc ad pugnam euntes faciunt, in itinere coriaceis tegumentis arma condere soliti.' Vix finierat, cum prima aquila flectentis agmen Luculli versus Tigranem ire visa est, manipulatimque cohortes sequi. Tum vero, tanquam ex profunda ebrietate reversus ad se Tigraes, bis terve exclamato, 'Itane in nos illi?' prope suos iustru jubet.

46. Mediam aciem regendam sibi sumit: lævum cornu Adiabeno regi permittit; dextrum, ubi plerique cataphracti primis in ordinibus stabant, Medo. Hoc in cornu primum invectus Lucullus, reperit victoriæ viam. Tumulum enim quendam, sub quo cataphracti collocati erant, conspicatus, hoc situ, ut in vertice planus et patens, aditu haud valde aspero passuum non ferme quingentorum ascendi posset, Thracum Gallogræcorumque alas ex obliquo in cataphractorum ordines incurrere jubet, ensibusque contos, in quibus omnis illorum vis est, detorquere. Interim ipse, conspicuis armis indutus, exserto gladio ante prima signa in tumulum enititur; locoque capto, 'Vicimus,' exclamat, 'vicimus, milites!' Simul ruit in cataphractos, omissis pilis enses stringi, petique crura et femora, quæ sola patebant vulneribus, præcipiens. Sed hostes non expectato congressu, fœdam prorsus fugam præcipitant: ipsique et equi armis graves intolerabili pondere incumbunt suorum ordinibus.

47. Omnia statim tumultu et terrore complentur, alios aliis turbantibus. Neque fugæ locus est: conferta con-

Front. 11.

1. 14.
Plut.

Memnon.

Appian.

Front. 11.

2. 4.
Plut.

Plut.

Apoph.

Rou.

Appian.

Plut. Luc.

Memnon.

Appian.

Plut.

Appian. stipataque acies a paucis impune cæditur. Multum ibi sanguinis fusum est, quia Lucullus spoliari corpora, nisi post consummatam victoriam, severo proposito edicto vetuerat. Igitur per quindecim millia passuum, armillas torquesque aureos calcando insecuti hostem sunt: sub noctem demum reversi, Lucullo jam permittente, legerunt spolia. Peditum ad millia centum interfecta traduntur, equites valde pauci effugisse; cum victores omnino quinque cecidissent, centum essent vulnerati: ut ipsos propemodum puderet victoriæ suæ, qui cum talibus mancipiis, quasi cum viris, signa contulissent. Tam levi momento dejectus conculeatusque potentissimi regis, ejusdemque superbissimi, fastus fuit.

Oros. vi. 5. 48. Atque ipse inter primos fugiens, vix centum quin-
Memnon. quaginta equitibus comitatus, cum filium in eadem fortuna
Plut. conspiceret, diadema capiti detractum porrexit lacrymans, jussitque alia qua videretur via salutem quærere. Adolescens, imponere sibi tiaram non ausus, servandum uni ex fidissimis dedit. Atque, eo capto, diadema quoque cum dependentibus vittis pervenit in potestatem victoris.

Xiphilin. 49. Pugnatum est pridie Nonas Octobres, quamvis
Plut. illa dies, ob cladem Cæpionis Cimbricam, inter atras ha-
Apoph. beretur. Sed Lucullus id summonenti cuiquam, 'ex atra
Rom. et in facturum' respondit 'candidam;' idque cum ingenti sua
Lucull. gloria præstitit. Nunquam tanto inferiores numero Romani pugnaverant. Nec enim vicesimam hostium partem Luculli exercitus adæquabat. Sed apud peritos belli hoc summi ducis argumentum habebatur, quod duabus diversissimis artibus, celeberrimos duos ætatis ejus reges, Mithridatem fregisset mora, Tigranem celeritate obtrevisset.

50. Atque res tam improvisa etiam Mithridatem fefellerat, qui, Lucillum priore belli gerendi ratione usurum ratus, non maturaverat ad Tigranem accedere. Tendenti ad illum occurrerunt in itinere pauci primum, deinde plures profugorum ex prælio. Unde, cognito Tigranis casu, requisivit eum diligenter: neque reddidit contumelias, sed, ex equo desiliens, vestem ei regiam, haud inferiorem quam gestare erat solitus, siveque comitatus par-

tem dedit; bonoque animo esse jussum, ad parandas Memnon. alias copias bellumque resumendum confirmavit.

51. Inter hæc, reverso ad Tigranocerta Lucullo, Man- Plut.
cæus Græcis militibus mercenariis, quod suspectos habe- Appian.
ret, arma ademit. Unde illi acerbiora veriti, dies noctes-
que congregati permanebant, fustibus armorum loco ar-
reptis. Idecirco Mancæus cum armatis in eos impetum
fecit, eventu prorsus inopinato. Namque, brachia veste
obvoluta clypeorum vicem objicientes, fustibus haud im-
pigre se defenderunt; occisorumque barbarorum armis
celeriter inter se divisis, mœniorum partem occuparunt. Dio, xxxv.
Cum iis magna quoque pars Græcorum urbem incolentium
sentiebat. Ea discordia Romanis urbem aperuit, thesau- Memnon.
rosque regis, et aliorum amplissimas opes tradidit. Octo Plut.
millia talentum^k signatæ pecuniæ inventa sunt. Urbs
diripienda militibus data, et insuper distributi in singulos
denarii octingenti.^l Multi scenici artifices capti erant,
quos ad dedicandum theatrum Tigranes contraxerat. Iis
Lucullus ad ludos victoriæ suæ usus est. Convenas
deinde variarum gentium, quibus Tigranes urbem suam Strab. xi.
frequentaverat, in suam quosque patriam dimisit, Græcis p. 532.
etiam viatico dato. Ita, cujus urbis incrementum mul- Plut.
tarum aliarum ruina fuerat, ejusdem interitus vicissim
illas magna ex parte recreavit.

52. Interea reges magna cura nationes obeundo novum Appian.
exercitum colligebant, summam rerum, permissu Tigranis, Memnon.
in se recipiente Mithridate, quod animo ac prudentia
præstare, et belli contra Romanos gerendi per adversa ac
prospera peritior habebatur.

53. Misit etiam Tigranes ad Phraatem, qui Deus cog- Dio.
nominatus nuper Sinatrucci successerat.^m ‘Cum patre Phlegon
ap. Phot.
Appian.
Dio.

^k Octo millia talentum] Marcæ
argenti 750000. Crev.

^l Denarii octingenti] Marcæ
argenti 12. uncia 4. Crev.

^m Ad Phraatem, qui . . . nuper
Sinatrucci successerat] Usserius in
Annal. ad annum mundi 3935.
Sinatruccem hoc etiamnum anno
regnasse, et ad eum hanc lega-
tionem missam esse existimat.
Id probat tum auctoritate Ap-

piani et Dionis, tum ex episto-
la Mithridatis ad Arsacem, (Ar-
saces commune omnium Par-
thorum regum nomen erat,) quæ
testatur eum, ad quem missa est,
eundem esse qui ante sexen-
nium, cum Mithridates tertium
adversus Romanos bellum ince-
perat, regnum Parthorum ten-
nerit. ‘Te remoto procul, om-
nibus aliis obnoxiiis, bellum ta-

Memnon.
Strab. xi.
p. 532.
Sall. Hist.
iv.

ejus¹⁰ quas gessisset inimicitias, ipsius morte expirasse. Adversus novum regem integra sibi omnia; quoque magis fida inter utrumque sit amicitia, et adversus communes regum hostes Romanos societas, Mesopotamia se, et Adiabene, et regione quam Convalles Magnas vocant, cedere.⁷

54. Mithridates quoque literas addidit, quarum sententia in Sallustii Crispi fragmentis ita est exposita: ‘Omnes qui secundis rebus suis ad belli societatem orantur, considerare debent, liceatne tum pacem agere: dein quod quaeritur, satisne pium, tutum, gloriosum, an indecorum sit. Tibi perpetua pace frui liceret, nisi hostes opportuni,ⁿ et scelestissimi. Egregia fama, si Romanos oppresseris, futura est. Neque petere audeam societatem: et frustra mala mea cum tuis bonis misceri sperem. Atqui ea, quæ te morari posse videntur, ira in Tigranem recentis belli, et meæ res parum prosperæ, si vera æstimare voles, maxime hortabuntur. Ille enim obnoxius qualem tu voles societatem accipiet: mihi fortuna, multis rebus ereptis, usum dedit bene suadendi; et, quod florentibus optabile est, ego non validissimus præbeo exemplum quo rectius tua componas.

55. ‘Namque Romanis cum nationibus, populis, regibus cunctis una et ea vetus causa bellandi est, cupido profunda imperii et divitiarum: qua primum cum rege Macedonum Philippo bellum sumsero, dum a Carthaginiensibus premebantur, amicitiam simulantes. Ei subvenientem Antiochum concessione Asiæ per dolum avertere: ac mox a Philippo, Antiochus omni cis Taurum agro, et

10 *Patre suo* edd. ante Crev.

men rursus cepi.’ Quod si ita est, jam nihil ad rem attinent ea quæ mox apud Freinshemium sequuntur,⁴ cum patre ejus quas gessisset inimicitias, ipsius morte expirasse. Adversus novum regem integra sibi omnia.’ Ac revera Dio, qui in margine allegatur, irarum Tigranem inter et hunc Arsacem, non ejus patrem,

meminit. Crev.

ⁿ *Hostes opportuni*] Hand facile vox *opportuni* reperietur tali sensu, ut significet hostes opportunam belli inferendi occasionem habentes. Forsan legi possit *importuni*. Sed et cetera hujus loci laborare videntur aliquo vitio. Crev.

quindecim millibus talentorum^o spoliatus est. Persen deinde Philippi filium, post multa et varia certamina, apud Samothracas Deos acceptum in fidem, callidi et re-
 pectores perfidiae, quia pacto vitam dederant, in somniis occidere. Eumenum, cujus amicitiam gloriose ostentant, initio prodidere Antiocho, pacis mercedem. Post, Attalum custodem agri captivi suntibus et contumeliis ex rege miserimum servorum effecere: simulatoque impio testamento, filium Eumemis Arstonicum, quia patrium regnum petiverat, hostium more per triumphum duxere: Asia ab ipsis obsessa est. Postremo totam Bithyniam, Nicomede mortuo, diripuere; cum filius Nusae,^p quam reginam appellaverant, genitus haud dubie esset.

56. ‘ Nam quid ego me appellem? Quem disjunctum undique regnis et tetrarchiis ab imperio eorum, quia fama erat divitem neque servitutum esse, per Nicomedem bello laccessiverunt, scelere eorum haud ignarum, et ea quae accidere testatum antea Cretenses, solos omnium liberos ea tempestate, et regem Ptolemæum?^q Atque ego ultus injurias, Nicomedem Bithynia expuli; Asiamque spoliolum regis Antiochi recepi; et Graeciae demsi grave servitium. Incepta mea postremus servorum Archelaus, exercitu prodito, impedivit: illique quos ignavia, aut prava calliditas, uti meis laboribus tuti essent, armis abstulit, acerbissimas poenas solvunt: Ptolemæus pretio in dies bellum prolatans; Cretenses impugnati semel jam, neque finem, nisi excidio, habituri.

57. ‘ Equidem cum mihi ob ipsorum interna mala dilata praelia magis, quam pacem datam, intelligerem; abnuente Tigraue, qui mea dicta sero probat, te remoto procul, omnibus aliis obnoxii, rursus tamen bellum cepi:

^o Quindecim millibus talentorum] Marciis argenti 1106250. Ceterum Sallustiana fragmenta habebant decem millibus. Correxerit Freinshemius ex Livio et Appiano. *Crev.*

^p Cum filius Nusae] Valde incerta est hujus loci scriptura: et tota res, monumentis historicis deficientibus, pro obscura. *Crev.*

^q Et ea quae accidere testatum antea Cretenses, solos omnium liberos ea tempestate, et regem Ptolemæum] Variant editi, sed hæc proculdubio vera est lectio. Dicit Mithridates sese ea quae post accidere, prædixisse jam tum Cretensibus et regi Ptolemæo. *Crev.*

Marcumque Cottam Romanum ducem apud Chalcedona terra fudi, mari exui classe pulcherrima. Apud Cyzicum magno cum exercitu in obsidione moranti frumentum defuit, nullo circum annitente: simul hyems mari prohibebat. Ita sine vi hostium regredi coactus in patrium regnum, naufragiis apud Parium et Heracleam, militum optimos cum classibus amisi. Restituto deinde apud Cabira exercitu, et variis inter me atque Lucullum præliis, inopia rursus ambos incessit. Illi suberat regnum Ariobarzanis bello intactum: ego vastatis circum omnibus locis, in Armeniam concessi: secutique Romani, non me, sed morem suum omnia regna subvertendi, quia multitudinem artis locis pugna prohibere, imprudentiam Tigranis pro victoria ostentant.

58. ‘Nunc quæso considera, nobis oppressis utrum firmiorem te ad resistendum, an finem belli futurum putes? Scio equidem tibi magnas opes virorum, armorum, et auri esse; et ea re a nobis ad societatem, ab illis ad prædam peteris. Ceterum consilium est,^r Tigranis regno integro, meis militibus belli prudentibus, procul ab domo, parvo labore per nostra corpora bellum conficere: quando neque vinceres, neque vinci sine tuo periculo possumus.

59. ‘An ignoras Romanos, postquam ad occidentem pergentibus finem oceanus fecit, arma huc convertisse? Neque quicquam a principio nisi raptum habere, domum, conjuges, agros, imperium? Convenas olim sine patria, sine parentibus, peste conditos orbis terrarum? Quibus non humana ulla, neque divina obstant, quin socios amicos, procul juxta sitos, inopes potentesque trahant excendantque; omniaque non serva, et maxime regna, hostilia ducant. Namque pauci libertatem, pars magna justos dominos volunt: nos suspecti sumus, amuli, et in tempore vindices affuturi. Tu vero, cui Seleucia maxima

^r *Ceterum consilium est*] Aliquid mendii fortasse latet in voce *ceterum*: licet Chaisius, l. II. eam agnoscat, atque etiam interpretari conetur, dubitans utrum sumi debeat pro *alioquin*, an pro *reliquum*. Placeret tamen magis ejus loco legere *certum*,

hoc sensu: certa tibi via consilii hæc est, ut parvo labore et modicis adjunctis ad nostras vires auxiliis per corpora nostra procul ab domo bellum conficias, dum Tigranis regnum adhuc integrum est, dum ego militibus instructus sum belli peritis.

orbium regnumque Persidis inclytis divitiis est, quid ab illis, nisi dolum in præsens, et postea bellum, expectas? Romani in omnes arma habent: acerrima in eos, quibus victis spolia maxima sunt.

60. ‘Audendo, et fallendo, et bella ex bellis serendo magni facti, per hunc morem extinguunt omnia, aut occidunt. Quod difficile non est, si tu Mesopotamia, nos Armenia circumgredimur exercitum sine frumento, sine auxiliis, fortuna, aut nostris vitiis adhuc incolumem. Teque illa fama sequetur, auxilio profectum magnis regibus latrones gentium oppressisse. Quod uti facias moneo hortorque, neu malis pernicie nostra unum imperium prolatare, quam societate victor fieri.’

61. Romæ, his rebus auditis, haudquaquam pro merito Dio. Luculli gratia fuit. Quin elapsum Tigranem imputabant, et imperii certe dulcedine hoc agi, ut perpetua iis locis bella essent. Igitur tum quidem ‘prætores sortiri’ jusserunt ‘Asian;’ deinde decreverunt, ‘ut alter sequentis anni consulum succederet:’ quanquam sine ulla ærarii molestia, bello semet alente, tot amplissimæ provinciæ Plut. Luc. populo Romano quærebantur. Sed invidia, quæ plerumque bonum publicum vincit, tum quidem potior ad minuendam summi imperatoris dignitatem, quam ad augendam virtus fuit.

62. Alienis quoque vitiis miscbatur; ‘Ponticos imperatores sibi prospicere posse, rempublicam post privata commoda ducere,’ clamantibus multis; quod M. Cotta Memnon. nuper cum invidiosis opibus redierat. Et quanquam minuendi rumoris causa, magnam pecuniam in ærarium intulerat, manebat opinio, de multis eum pauca populo Romano dedisse. Neque aliam veriorem causam fuisse volebant, cur quæstorem a se P. Oppium dimisisset. At- Dio, qui Oppius cum ob pecunias male captas, et cibaria militum fraudata, a proconsule ablegaretur, etiam insidiatus illi fuerat, deprehensusque, dum tectum veste pugionem conatur expedire. Sed apud iratos etiam quæ sublevare hominem debuerant, ultro in crimen vocabantur. XXXVI.

63. Idcirco propter illius offensam Heracleotis æquiores, dimitti captivos illorum, libertatique restitui jusse- Memnon.

Val. Max. v. 4. 4. Memnon. runt. Quorum Thrasymedes, cum ei concionem inimicus Cottæ Carbo præbuisset, Heracliensium defleta calamitate, innocentiam illorum, sævitiamque et aviditatem Cottæ exposuit. Simul captivorum multitudo, promiscuus sexus ætasque, protensis supplicum ramis, velut publica comploratione populum movebant. Cotta deinde pauca pro se locuto, et ad populi jussum vocante, surgens Carbo, 'Capi,' inquit, 'Heracleam, non excindi jussimus.' Aliis quoque Cottam incusantibus, præcipuo Carbonis studio damnatus est. Exilio tamen remisso, senatoriis insignibus caruit: Heracleotis ager portusque, et quod in mari juris habuerant redditum: civitasque libera esse et suis uti legibus jussa est.

Plut. 64. At Lucullus imperator rebus gerendis intentus, non armis modo, sed justitiæ et humanitatis blandissima vi barbaros subigebat. Tigranocertis multas nobiles fœminas captas honestissime habuerat. Per has mariti earum adducti sunt in fidem; quos inter Antiochus Commagenæ rex fuit, et regulus Arabum Alchaudonius. Armeniæ quoque multæ partes se dediderunt, Sophenorum tota natio, et regis sui casum acerbè ferentes Gordyeni.

Plut. 65. Zarbienus is fuerat, jam, ut prædiximus, per Ap. Claudium adjunctus Lucullo, et hoc crimine, postquam res prodita est, ab Tigraue interemptus.¹¹ Huic insignes exequias Lucullus fecit, 'amicum sociumque populi Romani' appellans, monumentumque locavit splendidissimum. Nam in thesauris ejus auri argenti que magnam vim repererat; præterea conditi in horreis frumenti medimnorum tricies centena millia.^a

Memnon. 66. Cognitis deinde regum ad Phraatem¹ legationibus, ipse quoque sociorum nonnullos ad eum misit, ut amicitiam ei Romanam utiliorem bello fore ostenderent. Parthus utrisque spe societatis clam facta, legatos dimisit. Deinde cum missus a Lucullo Sextilius venisset, virum mi-

¹¹ Postquam res prodita, ab Tigraue interemptus est edd. ante Crev.

^a Medimnorum tricies centena millia] Modios nostrates 1387500. ¹ Ad Phraatem] Vid. not. ad c. 53. supra. Crev.

litarem ad speculandum regionis viriumque habitum accessisse suspicatus, neque promissa Romanis auxilia, neque contra eos regibus misit: quod illis inter sese bellantibus, Plut. sibi certissimum cum securitate emolumentum pollicebatur. Neque impunita ei astutia maneret, ni Luculli animum ignavia et seditio militaris destituisset. Cum enim ille Eutrop. Plut. ad Sornatium ceterosque legatos ac tribunos suos scripsisset, adduci iubens quas reliquerat in Ponto copias, quod per Gordyenen in Parthos irrumperere cogitabat, dilatis interim Tigrane et Mithridate regibus; milites neque ad Lucillum ituros responderunt, neque diutius futuros in praesidiis.

67. Quod ubi in castris Luculli est cognitum, eadem contumacia in praesentem exercitum pervasit. Omnes mirari ac laudare Ponticorum militum animos: 'hos vere liberos, hos viros' dicere: 'at se, tanquam vilia mancipia, quocumque inquieti domini cupiditates jussissent, sub alium paene solem, ignotas in terras trahi, etiamsi impervia ferro membra haberent, senio et itinerum labore defecturos.' Ita Lucullo quiescendum aliquamdiu contra animi sententiam fuit. Interea Romae iisdem consulibus M. Cic. in Pis. c. 26. et ibi Ascon. Pupius Piso ex Hispania triumphavit, non admodum magnis gestis rebus. Sequens annus unum tantummodo consulem habuit, Q. Marcium Regem, quia L. Metellus Dio. collega ejus principio anni obiverat, et post eum alius, qui fuerat in locum Metelli subrogatus; eaque ex re postmodum suffici quenquam religio inceserat.*

68. Interea Mithridates, armorum officinis per oppida Appian. institutis, omnique fere Armeniorum juventute contracta, delectus agebat: unde retentis, quorum alacritas et robor eminebat, septuaginta millibus peditum, triginta quinque equitum, ceteram multitudinem dimisit. Eas copias in cohortes alasque proxime Romanum morem tributas, per Phlegon ap. Phot. Appian. Plut. homines Ponticos, gnaros ejus militiae, exercebat. Spatium ei dabant Romanorum militum vitia, jam velut precario parentium. Haec verior causa dilatae expeditionis Lucullo fuit, quam frigora, quae obtendebantur. Dio. Plut.

* A. U. C. 654. A. C. 68.

69. Igitur non ante mediam æstatem motis castris, cum persequendi Tigranis causa Taurum transcendisset, licet opinione sua falsus, in plana deduxit exercitum. Quam enim ille messem ob anni tempus jam maturam adepturum existimaverat, adhuc in herba erat, propter cæli asperitatem tardius ibi canescente segete. Quapropter ut ad prælium eliceret hostem, vastare partem regionis cœpit: et nihilominus contantibus Armeniis, ad illorum castra contendit. Erant illa in colle quodam sita, ubi peditatum omnem cum parte equitatus Mithridates continebat: cum reliquis equitibus Tigranes frumentatoribus insidiatus, bis terve repulsus a Romanis est, levi cum jactura hominum, quia Romano superior barbarus equitatus, simul accedere pedites senserat, vertebat terga, fugamque inibat hostibus damnosiores, emittendis a tergo sagittis, multosque aut interficiebant statim, aut gravissimis afficiebant vulneribus. Duplices enim aculeos illorum sagittæ habebant, sic aptatos, ut, si arundinem velleres, una tantum ferri particula sequeretur; altera, quod prehendi trahique non posset, cæca peste corpus ad perniciem ureret.

Appian.

Plut.

Dio.

70. Neque pœnitet, quo clarius intelligatur ejus ingenii ratio, rem ex usu remotam, præterea perquam obscure traditam, pluribus verbis et manifestioribus exposuisse. Præfixum arundini ferrum non erat solidum, sed duabus ex laminis ita compositum, ut altera fibulam haberet qua ligno annecteretur, altera huic sic jungeretur, ut coiret in unius aculei speciem, ceterum leviter tantum esset alligata, quo emitti quidem arcu posset, et simul penetraret in vulnus; sed tracta evulsaque sagitta, hamulis suis retenta¹² facile se vinculo educeret.

Plut.

71. Ceterum illæ, quanquam modicæ, victoriæ summovebant tamen hostem, vicosque liberius populandi copiam Lucullo faciebant. Atque ille, intercepto qui regibus apportabatur comæatu, quam timuerat inopiam, in eam hostes redegit. Reges tamen nulla re ad universum certamen eliciebantur, cum nihil intentatum Lucullus reliquisset; etiam castra circumvallare orsus. Igitur annona

¹² Retentum in edd. ante Crev. legitur.

jam deficiente, cum præterea milites, qui inter levia cer- Dio,
tamina sagittis vulnerabantur, aut inter curandum more-
rentur, aut mutilarentur membris; Artaxata versus in- Plut.,
stituit iter, ubi regia Tigranis, et cum parvis liberis uxores
erant.

72. Igitur, quod quæsitum a Lucullo fuerat, Tigranes
obviam progressus, quarto die ad Arsaniam fluvium os-
tendit se Romanis, qui transeundus erat Artaxata peten-
tibus. Cum prælium instaret, Lucullus egregie litato,
tanquam certus de victoria, duodecim cohortes in fronte
statuit: reliquos, ne circumveniretur a multitudine hos-
tium, collocavit in subsidiis. Nam multum lectumque
equitatum in adversa acie conspiciebat: sagittarii erant
equites Mardi, et hastati Iberi, cujus generis auxiliis
Tigranes plurimum confidebat. Nullam tamen insignem
ediderunt pugnam: sed cum equitatu Romano paulisper
velitati, simul succedere peditem viderunt, in fugam dis-
sipati sunt.

73. Ostenderunt se deinde Armenii, proprius Tigranis
miles, egregia specie armorum virorumque. Idcirco Lu-
cullus jussis acciri equitibus, qui primo prælio pulsos in-
sequebantur; ipse, adjuncto promptissimo quoque, oppo-
sitos sibi Atropatenos invasit, eo terrore, ut, priusquam
ad manus veniretur, hostes solutis ordinibus fugerent. De
tribus régibus, qui ei pugnae affuerant, turpissime fugit
Ponticus Mithridates, (nam et Medo Mithridatis erat Dio.
nomen) cum ne clamorem quidem hostium sustinisset. Plut.
Reliqua parte diei, totaque deinceps nocte, cæsi captique
fugientes sunt; maximaque relata spolia, donec fatigatus
persequendo miles conquievit. Plures priore prælio hos-
tes, hoc insigniores, morte aut captivitate desiderati sunt.
Præter ignobile vulgus, de robore exercitus quinque Phlegon
millia ceciderunt; capti aliquanto plures sunt. ap. Phot.

74. Attamen victoriæ fructum Lucullo, cum speraret Plut.
amplissimum, tempus anni et natura locorum inviderunt.
Sub æquinoctium frequentes nives gelu jam astringebant
flumina. Ea præcipue equis infesta res erat, quibus et
insalubris rigore potus fiebat, et inter transeundum rupta
glacie crura convulnerabantur. Neque exercitui faciles

aut dies iter facienti erant, aut noctes in humenti solo sylvosisque locis stativa habenti.

75. Aliquot tamen dies militum patientia tenuit : inde per tribunos imperatorem deprecati, cum nihil proficerent, tumultuosius egerunt ; frustra obtestante Lucullo, ‘ hunc saltem extremum laborem sumerent, donec infensissimi hostis monumentum, velut alteram Carthaginem, evertissent.’ Nam Artaxata condendi auctor Hannibal Pœnus fuerat, cum ad Artaxiam Armeniorum regem profugus patria se contulisset.

Oros. vi. 3.
Plut. Dio. 76. Igitur per alia juga quam venerat reducto cis Taurum exercitu, imminente hyeme Mygdoniam intravit, fertili amœnitate, Nisibique urbe (Antiochiam Mygdoniæ Græci vocant) nobilem. Eam Parthis cum ademisset Tigranes, thesaurorum suorum, aliarumque rerum quas diligenter asservari oportebat, custodiam fecerat, Gura fratre præposito. Eodem nuper Callimachus venerat, diu defenza contra Lucillum Amiso notior.

Plut. 77. Oppugnabat urbem acriter Lucullus : sed munita duplici muro lateritio non vulgari crassitie, fossaque altissima, quæ et machinarum vim omnem, et cuniculorum dolos a muro defenderet, expugnari nequibat. Donec, quæ rerum humanarum est fragilitas, hyems superveniens exploratam prope spem salutis in pestem et exitium Nisibenorū vertit.

Dio. 78. Obsessi enim, nihil credentes certius, quam propter anni tempus paulo post abituros Romanos esse, negligentius agebant excubias : cum Lucullus, observata nocte illuni, quam insuper pluvie et tonitrua exsurdaverant, ad murum suggestus est. Oppidani quilibet potius præstolati, paucis admodum in exteriori muro et ad fossam quæ post illum erat relictis, in urbem concesserant. Igitur per aggeres quos ante murum jecerat, deinde scalis adhibitis in mœnia enisus, custodibus facile oppressis, fossæ partem (pontes enim barbari removerant) ingesta terra compleri jubet. Quod ubi majori cum labore quam periculo perfectum est, quia neque sagittas neque ignes jacere barbari pluvia utrumque impediendo potuerant ; alter quoque murus, qui priori haudquaquam firmitudine comparandus erat, superatus est.

79. Urbe sic capta, Guras, qui in arcem confugerat, cum ceteris, fide accepta, in potestatem venit, comiterque est ab imperatore habitus. Diversa Callimachi sors fuit, quem, licet maximos thesauros absconditos indicaturum promitteret, compedibus vinciri jussit, pœnas daturum, quod desperata Amisi defensione fugiens oppidum incendisset. Tanta felicitate capta Nisibis, non solum magnis opibus ditavit imperatorem, sed etiam fatigatis labore et frigore copiis abundantissima hyberna præbuit.

Entrop.
Oros.
Dio. Plat.

Dio.

80. Dum in Armenia L. Lucullus Mithridatem, et Tigranem, et immensas utriusque regis copias pluribus præliis fundit; Q. Cæcilius Metellus proconsul cum tribus legionibus in Cretam est proventus. Cretenses, victo Antonio, legatos Romam miserant, magna spe fore, ut non antiquis modo legibus amicitia redintegrari posset, sed etiam ultro aliquod beneficium adjiceretur, ob servatum comiter quæstorem militesque Romanos, qui in potestatem illorum pervenerant. Atqui apud Romanos plus irarum erat, quod Cretenses non essent dediti, quam gratiæ, quod deditis pepercissent.

Liv. Epit.
Phlegon.
Euseb.
Chron.
Diod. et
Appian. et
Dio ap.
Fulv. Ursin.

81. Nihilo tamen secius legati (triginta ex senioribus missi principes erant) obeundo sigillatim senatorum domos, blandisque sermonibus utendo, partem patrum in sententiam suam traxerunt. In Curiam deinceps introducti, cum apte refutatis criminibus, quam enixe omnibus bellis populi Romani imperatores adjuvissent, exponerent; motus est senatus, ut 'populi Romani socios amicosque Cretenses appellandos esse' censeret.

82. Ei senatusconsulto P. Lentulus Spinther intercessit, annitentibusque aliis inclementius senatusconsultum factum est: captivi omnes transfugæque repetiti: pecuniæ talenta quatuor millia,^u et trecenti insuper obsides postulati: naviumque majorum usque ad quatuor scalmos, Lasthenisque et Panaris imperata deditio. Nec expectatum donec suorum sententiam legati exquirent, alterique consulum ea decreta provincia est, ut jussa recusantes vi ad obsequium cogeret. Simul quia non obscurum erat,

Dio ib.

^u Pecuniæ talenta quatuor millia] Marcæ argenti nostrates 375000. Crev.

- legatos operam dāturos, ut intercessores pretio pararent, senatusconsultum factum est, ‘ ne quis Cretensibus pecuniam crederet.’
- Ascon. in Corn.
Appian. ib.
Diod. ib.
83. His tam duris imperiis in insulam perlatis, anxia erat et sollicita deliberatio. Seniores vim Romanam veriti, quam ne maximi quidem reges potuissent sustinere, omnia quam bellum malebant. Lasthenes ejusque factio, quibus præcipue auctoribus, bellatum cum Antonio fuerat, timentes ne dederentur, populum commovebant; ‘ ab omni memoria retentam libertatem prodi’ vociferantes. ‘ Præterea absurdum indignumque esse, si, quod rebus integris nunquam facturi fuissent, id bello superiores post insignem victoriam facere sustinerent.’ Facile persuaso vulgo, delectus habiti, et ad viginti quatuor millia coacta egregiæ juventutis, et tam pernecitate corporum, quam laborum patientia, sagittarumque usu, præstantissimæ.
- Vell. II. 34.
84. Ita conflatum bellum Creticum fuit, culpa haud minima Q. Hortensii, qui tum designatus provinciam eam sibi destinabat. Sed idem postea consul, cum sortitus Cretam esset, amore urbis et judiciorum, in quibus regnabat, Metello exercitum provinciamque transdidit. Metellus cum fecisset excensionem, occurrentem sibi¹³ cum copiis in Cydoniatarum agro Lasthenem primo adventu fudit: et ex eo prælio imperator appellatus, incolas intra Cydoniæ¹⁴ mœnia compulsos obsidione clausit. Ei tum oppido Panares præerat, quod elapsus fuga Lasthenes Gnossum petivisset.
- Cic. in Verr. II. 31.
Xiphilin.
Cic. Div. in Cæcil. c. 7.
Phlegon ap. Phot.
Cic. pro Mur. c. 35.
Phlegon.
Appian. ap. Fulv. Ursin. et Liv. Epit.
85. Inter hæc Lucullo ad Nisibin, neque magis in vincendis hostibus, quam continendis suis, occupato, magna pars Armeniæ Pontique a regibus abstracta est. Etenim Tigranes, quod munimentis Nisibis confideret, in alia verterat impetum, pulsumque L. Fannium, receptis quæ ille tenuerat plerisque, in munito quodam loco circumседit. Sed ille quidem Luculli auxilio exemtus est. Mithridates cum quatuor millibus suorum militum, totidemque summissis a Tigrane, minorem Armeniam vicinasque ei regiones obiens, multos Romanorum, necopinantibus su-
- Dio XXXV.
Appian. Mithrid.
Dio.

¹³ *Accurrentem sibi* edd. ante Crev.

¹⁴ *Cydonia* edd. ante Crev.

perveniens, interficiebat; permultis oppidis castellisque magna celeritate recuperatis. Nam hominum animos ei non assuetudo tantum parendi, et morum originisque communio conciliabat, sed etiam hostium vitia. Quippe re-
Eutrop.
 lieti a Lucullo ut victas provincias et jam Romanas tue-
 rentur, negligenter et avare se gerebant.

86. Perniciosum id M. Fabio Adriano fuit, locis illis Dio.
 præsidii causa cum parte copiarum relicto. Ille specula-
 tum præmiserat Thracas, qui prius apud Mithridatem
 meruerant stipendia, atque iterum in partes illius inclina-
 bant. Igitur cum nihil sani renuntiassent, Fabium cum
 militibus longius progressum Mithridates ex improvise est
 adortus, et Thraces, inter prælium mutata fide, Roma-
 nam aciem exterruerunt: amissisque circiter quingentis
 militibus, Fabius in castra sua se recepit.

87. Postridie data servis, quotquot aderant, libertate, Appian.
 denuo eduxit copias, totumque fere diem dubio Marte
 certavit: donec servi ad regis partes, qui et ipse promit-
Dio.
 tebat libertatem, transeundo, extremum in periculum ad-
 duxerunt rem. Deletæque Romanæ copiæ forent, nisi
 Mithridates, dum inter primos pugnat, licet septuagenario
Appian.
 major, lapide in genu, sagitta sub oculo saucius, curam
 suis injecisset. Idcirco, his inter trepidationem cessan-
Dio.
 tibus, Fabius cum reliquis militum evasit, neque prius
 desiit fugere, quam munimenta Cabirorum attigisset.
 Mithridates ob sua suorumque vulnera multis diebus
Appian.
 quiete transmissis, donec ab Agaris, Scythica gente, qui
 serpentum virus curationi vulnerum adhibent, persanare-
 tur; adducto ad Cabira exercitu M. Fabium cœpit obsi-
Dio.
 dere. Sed illum improvisa sors ita servavit, ut vicissim
 depulsis ab hoc calamitatibus implicaret servatorem.

88. C. Triarius ex Asia, postquam¹⁵ direptam ab
 Athenodoro Delon muro cinxerat, ad Lucillum proficis-
Phlegon
ap. Phot.
Dio.
 cebatur. Is audito Fabium obsideri, contractis undique
 quantas potuerat copiis ad eum obsidione liberandum
 properans, terruit Mithridatem, ut priusquam veniret in
 conspectum, (justum enim exercitum Romanum adduci
 putabat) omnia obsidione, discederet.

15 Legitur in edd. ante Crev. *ex Asia, ubi nuper.*

39. Neque pulso contentus rege Triarius, recedentem longius in Commagenos usque^x persecutus, acie vicit. Cum enim, ut fessis ex itinere hostibus occurreret, flumine quod in medio erat cum parte copiarum transito, ceteris, ut per alium pontem subsidio sibi venirent, Mithridates præcepisset; pugna commissa dubioque eventu tracta, expectatum regi subsidium procella, quantam vix vidisse quisquam meminerat, interceptit. Per hanc in utrisque castris disjecta sunt tentoria, jumenta in transversum acta, militum etiam quidam rapti præcipitatieque. Eadem pontem sub mole transeuntis exercitus laborantem abruptit, exterritumque regem excedere prælio coëgit. Sed eadem tempestas quæ fugæ causa fuerat, prohibitis sequi Romanis, tutum regi abitum præstitit. Jam hyems aderat. Igitur nulla præterea re tentata, in hyberna discessum est.

90. Vere demum reddito, cum M^p. Acilius Glabrio, C. Calpurnius Piso consulatum gererent,* Mithridates ad Gaziura, veterem Ponti regiam, castris Triario oppositis, Romanos pugnam detrectantes, tum aliis rebus, tum in conspectu eorum exercendo suos, provocabat: quo, priusquam Lucullus adventaret, his, uti sperabat, superatis, recipere regnum atque constituere posset.

91. Quietis ad hæc Romanis, partem copiarum ad oppugnanda Dadasa misit, quo in castello impedimenta exercitus sciebat asservari. Hæc ei ratio processit, invitumque ducem coëgerunt milites exire,¹⁵ 'ni faceret, injussu ejus ad sua defendenda ituros' minati. Alii, quo ante Lucillum cum rege confingeret, gloriamque reportaret victoriæ, festinasse Triarium tradiderunt. Quo tamen falleret hostem, per tenebras profectus, jamque castello appropinquans, in excubias regis incidit, paulo longius millibus passuum tribus ab oppido Ziela, quod

15 *Expedire* edd. ante Crev.

^x *In Commagenos usque*] Vel potius *Comana usque* in Cappadocia, de quibus in sequentibus mentionem facit Dio. Sic vi-

sum Usserio in *Annal.* ad annum mundi 3937. *Crev.*

* A. U. C. 685. A. C. 67.

antiquitus Persicorum Deorum cultu celebre, ab illa clade Triarii magnam deinceps in illis partibus nobilitatem habuit.

92. Cum his contractum ante lucem certamen cum Dio. totam Mithridaticarum virium molem attraxisset; multitudine barbarorum, et initium victoriae faciente rege, circumventa Romanorum acies est, multique in loco interfecti: multos, cum in campos se recepissent, ignari fluminis Strab. XII, p. 556. et Plin. VI. 3, compulso in cœnosam fossam, quia repugnare lapsantibus Appian. et Dio. vestigiis nequibant, impune cecidit hostis.

93. Nec effugisset quisquam, nisi persequentem equites Mithridatem centurio Romanus atroci vulnere in femur adacto stitisset. Transfugæ Romani apud regem multi erant. Ex eo genere hunc etiam esse juxta equum suum diu currentem conspicatus crediderat: deinde se præbuerat tanquam dicere aliquid cupienti. Percussor e vestigio concisus est a proximis. Regem in extremum Appian. agmen amici receperunt, signumque dederunt receptui. Milites subita re perturbati, postquam vulneratum esse regem audierunt, interfectum rati, statim in campo circumdederunt lecticam. Igitur ut spirantem cognoscerent, Timotheus medicus, jam cohibito sanguine, refocillatum de superiore loco ostendit. Rex simul ad se rediit, signum receptui datum tulit graviter, eademque adhuc die ad castra Romana duxit. Sed illa quoque fuga jam deserta erant. Cum spoliarentur mortui, tribunorum quatuor Plut. et Appian. et viginti, centurionum centum quinquaginta dicuntur agnita cadavera; militum quoque Romanorum plus septem millia cecidisse.

94. At Mithridates, percurato vulnere, plures hoc ge- Dio. nus insidiatores in castris suis agere suspicatus, convocatos milites subito in contubernia jussit discedere. Quod cum esset factum, et Romani quo se recipere non haberent, deprehensi, supplicioque affecti sunt. Inde regressus in Appian. minorem Armeniam, quo adventanti Lucullo inopiam commeatum faceret, asportata quanta poterat annona, quod erat reliquum corrumpebat. Tum detectæ sunt aliæ adversus regem insidiæ, ab Attilio paratæ, Romano

senatore ex proscriptis. Eum rex pristinae dignitatis reverentia torqueri non passus, simplici morte; ceteros qui cum eo conspiraverant, excruciatos necavit: libertos hominis¹⁶ dimisit illaesos, debuisse illos patrono morem gerere praefatus.

Dio. 95. Castris deinde circa Talaura,¹⁷ aspero et montuoso situ, positus, Lucillum expectabat. Neque defuit ille accedere, castra conjungere castris, modisque omnibus ad pugnam barbaros elicere. Contra Mithridates suos intra munimenta continebat, Tigranem opperiens. Et per eodem dies alius Mithridates Mediae rex palantibus forte Romanis ex improvise superfusus, multos interemit.

Appian. Erant jam ab initio male erga Lucillum affecti milites, quod per duas continuas hyemes, ad Cyzicum prius, deinde ad Amisum, sub pellibus eos attinuerat. Sed et ceteram militiam sic exegerant, ut aut inter hostes esset hybernandum, aut sub dio tendendum apud socios. Nam in oppidum Graecum et pacatum nunquam hyemandi causa intulerant pedem. Ad haec ipsius Luculli inter maximas viri virtutes desiderabatur comitas, adeo non parata vulgo, ut nec pari quidem dignitate viris exhiberetur, quos despiciebat praese atque contemnebat. Nec erat omnino ab imperii et pecuniae cupiditate immunis.

Plut. 97. Haec etiam in Urbe a tribunis plebis, et L. Quintio praetore, qui et ipse in tribunatu adversatus Lucullo fuerat, taxabantur. A. Gabinius ad augendam invidiam, villam Luculli pictam explicabat in concionibus, ipse mox aedificaturus longe pulchriorem. Nec ante desierunt, quam imperii diuturnitati modum statuendum esse populo persuasissent: ejusque scito Valerianae legiones, quod jam completis stipendiis essent, dimitti juberentur.

Dio. 98. Sed nihil aequae milites adversus imperatorem animavit, quam P. Clodii sermones, jam in Nisibenis hybernis. Is uxoris Luculli frater erat, perditus adolescens, et praeter cetera flagitia incestu sororum infamis. Idcirco

¹⁶ *Homines* legebatur ante Crev.

¹⁷ Ex Dione correxit Crev. In eod. praec. erat *Talum*.

aliis se postponi sentiens, cum esset primi loci cupidissimus, milites, præsertim Fimbrianos illos, seditiosis vocibus instigabat; illorum fortunam cum his qui sub Pompeio militassent conferens. ‘Eos Luculli stipare camelos et plaustra auratis gemmatisque onusta poculis: contra Pompeianos domi cum uxoribus et liberis copiosam tranquillamque vitam agere, fertili agro donatos, quanquam illi neque Mithridatem, neque Tigranem in solitudines invias exegissent; sed in Hispania cum exulibus, in Italia cum mancipiis habuissent negotium. Quod si igitur nulla sit unquam speranda missio, at illi potius imperatori quod reliquum esset vigoris servent, qui summum suum ornamentum esse existimat militum divitias.’

99. Hoc genus susurris ita corruptus exercitus est, ut nec in Tigranem cupientem ducere Lucillum, nec in Mithridatem sequeretur. Hyemem causati, tempus in Gordyena trahebant, successorem Luculli opperientes. Ad famam deinde cladis Triarianæ, cujus ne nuntius quidem penetrare potuerat, pudore moti sunt, ut signa sequerentur. Postea Triarium, cum a militibus ad necem quæreretur, clam eripuit Lucullus.

Dio. Plut.

Cic. pro
Leg. Manil.
c. 9.
Plut.

100. Hæc res iterum offendit contumaces animos: auditoque venire successorem Lucullo consulem Acilium, cui lege Gabinia Bithynia et Pontus data erant, missasque Valerianas legiones esse; Lucillum pro privato habere cœperunt contentui. Nam et ipse Acilius vulgari per populos jusserat; ‘Populum Romanum Lucullo finisse imperium: discedere jussisse milites, pœna quoque addita, ut manentium bona publicarentur.’ Has inter angustias, et quia audito Q. Marcium Regem pro consule per Lycaoniam cum tribus legionibus in Ciliciam tendere, cohortium aliquem numerum frustra ab illo petierat, Tigrani, qui cum maximis copiis juncturus se Mithridati ferebatur, statuit occurrere: ea potissimum spe, ut si fatigatum itinere nec opinantem vicisset, reperturum se aliquam ad placandos militum animos viam confideret.

Dio.
Sall. Hist.
v. 1.

Appian.

Sallust. ib.

Dio.

Plut.

Dio.

101. Sed milites aliquousque secuti, postquam in Capadociam iri viderunt, ne voce quidem ulla emissa, retro verterunt agmen: et Valerianæ legiones, impleta a se sti-

Liv. Epit.

pendia dicentes, Lucullum reliquerunt. Hic ille nihil non indignitatis subiit, prehendendo singulos, rogando universos, tentoria cum squalore et lacrymis obeundo, ut contumaciam eorum flecteret. At illi manus tendentis preces aversati, vacuas ostentabant zonas, solum jubentes dimicare cum hostibus, ex quibus solus sciret ditescere: donec reliquo jam exercitu jungente preces, hactenus expugnati sunt, ut ea adhuc æstate mansuros promitterent: quod si nulli interea comparuissent hostes, discessuros a signis prædicerent.

Cic. pro
Leg. Manil.
c. 2. et 5.
Dio.

102. His oportebat acquiescere Lucullum, qui alias facile mederi acceptis incommodis potuisset; et interea vastari a Tigraue Cappadociam, recipi a Mithridate Pontum pati: quod tamen dedecus ita dissimulabat, ut propinquo jam Glabrione nullas in eo suas partes esse diceret. Cum vicissim Glabrio, cognitis Luculli rebus, ex magna festinatione contator factus, in Bithynia desideret.

Strab. xiv.
p. 654.

Appian.
Civ. l. ii.
Dio.

Appian.
ib. et Dio
xxxviii.

Dio xxxv.

103. Quintus etiam Marcius, nullis ad Lucullum missis militibus, quod eos ad illum nolle proficisci diceret, cum in Ciliciam venisset, Menemachum quendam a Tigraue deficientem recepit; et Clodium Lucullo deserto ad se venientem præfecit classi: nam alteram Clodii sororem in matrimonio Marcius habebat. Sed Clodius captus a piratis, ad Ptolemæum Cypri regem misit, pretium redemptionis petens. Allatum est; sed adeo parvum et illiberale (talenta duo⁷ erant) ut piratas accipere puderet. Igitur, remissa ad regem pecunia, Clodium sine pretio, Pompeii, ut creditur, metu dimiserunt. Quæ res postmodum exitiosa Ptolemæo fuit, Clodio suam, ut putabat, injuriam in tribunatu crudeliter vindicante. Sed is quidem liberatus a prædonibus, cum quiescere turbulentus et audax animus nequiret, Antiochiam Syriæ pervenit, tanquam adversus Arabum regem Aretam bellum gerentibus auxilio futurus: atque ibi etiam cum seditiose ageret, prope modum interfectus est.

⁷ Talenta duo] Marca argenti 187. uncia 4. Crev.

SUPPLEMENTUM

LIBRI XCIX.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

1. **INTERIM** in Creta **Q. Metellus** proconsul, prosperis rebus usus, multas in potestatem civitates redegit. **Cydonia**, Cretæ metropolis, (quæ hodie sub **Caneæ** nomine Turcarum imperium, erepta Venetis, patitur) post obsidionem aliquamdiu toleratam a **Panare** est dedita, impunitatem veniamque delictorum pacto. Inde transductus **Gnossum** exercitus, ubi domicilium **Lasthenes** habebat. Sed ille, sedibus cum omni supellectile concrematis, ex oppido profugit. Illo deinde similiter dedito, **Lycetus**; et hæc recepta, pleræque aliæ civitates et castella in fidem venerunt.

Liv. Epit.
Flor. iii. 7.

Appian.
ap. Fulv.
Ursin.

Liv. Epit.

2. Sed in **Asiam Pontumque** missi a senatu populoque Romano decem legati, (quia debellatum cum **Mithridate Lucullus** scripserat,) postquam in castra venerunt, res reppererunt turbatas, et imperatorem præ militum insolentia ne sui quidem potentem. Nam illi, postquam æstas, in quam promiserant operas, transit, sumtis armis, strictisque gladiis egressi provocarunt hostem: et postquam comparebat nemo, diu enim ante ille se receperat, impletam testati fidem quam **Lucullo** dedissent, præter exiguum aliquem numerum, castra reliquerunt. **Lucullus**, quod aliter se facere non posse videbat, **Valerianas** legiones dimisit:

Plut. Lucull. c. 73.
Dio xx xvi.
Plut.

Cic. pro
Leg. Manil.
c. 9

Appian.
Mithrid.

ceterorum militum quod erat turbulentius, Glabrioni tradidit: alios, quibus nihil erat domi, quod neglecto plebiscito adimeretur, aliquanto æquiores sub signis continuit.

Vell. II. 32.
Liv. Epit.
Dio.
Laber. ap.
Macrob.
Sat. II. 7.
Cic. Phil.
II. 18.
Hor. Ep.
I. 1.
Cic. pro
Mur. c. 19.
Plin. VII.
30.

3. Eodem anno Romæ L. Roscius Otho tribunus plebis legem tulit, 'ut equitibus Romanis in theatro quatuordecim ab orchestra citimi gradus assignarentur: excepto tamen, si quis artem ludicram exercuisset, aut suo fortunæ vitio decoxisset, ut minorem quadringentis^a rem haberet.' Fuit illa lex gratissima plerisque equitum, cujus ordinis dignitatem adaugebat; populo graviter ferente discrimen sedis, cum antea promiscue plebs equitesque spectassent.

Cic. post
Redit. in
Sen. c. 5.
et pro Leg.
Manil. c. 17.
Plut.
Pomp. c. 37.

4. A. Gabinii tribuni plebis lex de piratico bello, quem admodum majorum rerum habebat molimina, sollicitum senatum habuit. Sane non erant exiguæ causæ, cur ad bellum istud summis viribus capessendum properari oportet. Ita enim piratarum invaluerat quasi quædam res publica, ut jam multi magnis opibus et claro genere viri, ad hoc prudentiæ laude celebres, nomina societati darent. Igitur classes prædatoriæ per maria oberrabant, non solum multitudine et robore sociorum navalium, et gubernatorum arte terribiles; sed etiam magnifica ornamentorum specie plus propemodum doloris offerentes intuentibus. Aureis columellis, purpureis cortinis adornatæ naves, inargentatis remis movebantur: tibiæ cantusque et computationes circum littora erant, et inter hæc principum virorum, interdum matronarum quoque ac virginum captivitates, urbium oppressarum redemptiones, insignia imperii Romani probra, frequentabantur. Usque ad mille naves numerabant: oppida plus minus quadringenta ceperant.

Cic. pro
Leg. Manil.
c. 12.
Plut. Æ-
mil. c. 39.
Pausan. II.

5. Tum et ab omni antiquitate sanctæ inviolatæque ædes et oracula profanata ac diræpta sunt: Colophone capta, Clarium; Didymæum apud Milesios, et in Samothrace Castorum, et juxta Hermionem in Peloponneso Chthoniæ Cereris fanum, et Æsculapii templum ad Epi-

^a *Quadringentis*] Sestertiis. rantur marcis argenti nostrati-
Quadringenta sestertia æquipa- bus 1562. uncis 4. Cree.

daurum ; tria quoque Neptuni, Isthmicum, Tænarium, et quod erat in Calauria ; duo Apollinis, alterum Actii, alterum Leucade ; tria Junonis, Samium, ipsa quoque urbe capta, Argivum, Lacinium.

6. Nam non longinqua modo, sed etiam Italiæ, intuta ora erat : et sæpe, exscensione facta, militares viæ latrocinii infestabantur, assitæque divitum villæ direptioni et prædæ erant. Tantusque jam erat metus, ut etiam exercitus Romani Brundisio¹ nunquam nisi summa hyeme transmitterent ; legati populi Romani pecunia redimerentur ; duodecim secures, cum prætoribus Sextilio et Bellieno, in prædonum potestatem pervenirent ; portus Caietæ celeberrimus atque plenissimus navium, inspectante prætore, diriperetur ; ad Ostiam classis ea cui consul populi Romani præpositus esset, opprimeretur ; ex Miseno abriperetur M. Antonii filia, ejus ipsius qui cum prædonibus antea bellum gesserat, rus forte exspatiata. Et acerbiora malis ludibria erant. Quippe ubi quis exceptus Romanum se civem esse testabatur, femur feriebant, tanquam timore perciti, genibusque ejus accidentes, orabant errori veniam. Mox aderant qui calceos inducerent homini, togamque darent, ne videlicet ignotus ultra civis Romanus esset. Ubi tandem ludibriorum eos satietas cepit, scalis ab ora navis in mare dimissis, abire jubebant incolumem : contatum et resistentem præcipitabant.

7. Ob hæc pericula quotidie res frumentaria in Urbe fiebat deterior, et ingens erat in tanta hominum turba famis et inopiæ metus. Nec erat facile bellum in homines subito magnis navigantes classibus, eisdemque, ubi voluissent, tanquam momento disparentes, et in latebras non inaccessas modo, sed etiam incognitas aliis dilapsos. Neque Murena igitur coercere licet victos potuerat ; neque majori deinceps mole per aliquot continuos annos incumbens Isauricus.

8. Igitur magno plebis applausu legem Gabinus promulgavit, ‘ uti ex omni consularium numero unus deligeretur, cui imperium in triennium esset : idemque legatos

1 Ita ex Cic. emend. Crev. pro *Brundisii* in edd. præcc.

quotquot ex usu fore putaret, ascisceret.' Idne Pompeii voluntate Gabinius, an ultro fecerit, ut tanti viri aucuparetur gratiam, incertum est: illud certissimum, non esse inductum amore reipublicæ, quam homo pessimus in nullo numero ducebat. Licet autem nominatus in lege Pompeius non erat, dubitari tamen nequibat, quin ante omnes illum electurus populus esset. Idque, simul atque recitata lex erat, apparebat futurum esse, cunctis statim ad Pompeium respicientibus.

Vell. II. 31. 9. Sed patres, quanquam in M. Antonio similem ante potestatem tulerant, partim æmulatione, plures metu correpti, ne acceptum semel imperium Cn. Pompeius quamdiu vellet retineret; ita resistebant, ut potius omnia piratici furoris incommoda, quam istam legem passuri viderentur. Quippe totius pæne terrarum orbis imperium uni viro deferebatur, quod ascriptum legi erat, 'uti toto mari, et ad quinquagesimum a mari milliarium^b proconsularem potestatem haberet: reges nationesque omnes auxilia petenti mitterent: pecuniæ quantum vellet ex ærario et a publicanis sumeret: militum sociorumque navalium delectus suo arbitrato haberet.'

Dio. 10. Igitur tanta contentione pugnatum est, ut parum abfuerit, quin Gabinius in ipsa Curia discerneretur. Quod ubi forensis turba comperit, impetu in senatum facto, ceteris salutem fuga tutantibus, C. Pisonem consulem corripuit, qui forte in altercatione Pompeio dixerat, 'Romuli sequentem vestigia, non effugiturum illius exitum esse.' Territi periculo patres, nam consulem exitio² proximum vix servare Gabinius potuerat, abstinere contentionibus: ceterum sæpe usurpato remedio contra vim tribunitiam ex collegio intercessores cœperunt quærere. Duo tantum reperi, ceteris metu deterritis, L. Trebellius, L. Roscius.

11. Die comitiorum Pompeius, imperandi cupiditatem ficta modestia tegens, cum appetitam potestatem invidi-

² Pro exilio, quod in edd. priorr. legebatur, Crev. ex Dione edidit exitio.

^b Ad quinquagesimum a mari milliarium] Ad septemdecim fere a mari leucas nostrates. Crev.

osam fore, tanquam recusanti ingestam honestissimam cerneret, hujusmodi orationem orsus est: ‘Gratias equidem pro benevolentia vestra vobis ago, semperque agam, Quirites, quorum in me ornando perpetuo indefessa studia fuerunt. Ceterum et vobis in tribuendis honoribus imperiisque, et mihi in accipiendis modus aliquis esse debet.

12. ‘Quæ populi Romani principes omni ævo vix post longam ætatem consecuti sunt, ea in me prope puerum, certe adolescentem, congesistis. Quibus annis tirocinium esse aliorum solet, imperatorem agere coactus, vix unquam postea interquievi, cum ceteras continuas expeditiones gravissimum et diuturnum cum Sertorio bellum excepisset. Neque annos meos computaveritis: stipendia potius numerate; et quem longissimæ vitæ spatio fructum ex homine sperare potuissetis, jam ex me captum esse reputate. Non potest a mortalium conditione postulari, ut, si ante annos robur aliquod ostenderunt maturitatis, idem ad ulteriora vitæ tempora perferant. Etiam fructus paulo præcocios minime durabiles sunt: et animalia quorum magnitudo viresque velox incrementum habent, citius consenescent.

13. ‘Quod si forte robur animi corporisque nondum ita consumtum esset, ut periculis laboribusque belli hujus impar existimari deberet; invidiosum tamen erat inter tot egregios viros ad me potissimum populum Romanum respicere. Magnum est et intolerabile æmulationis onus, cui, se cum potest subducere, humeros nemo prudens subjecerit. Igitur jampridem haud minus honorum laborumque, quam invidiæ satur, consul, uti meministis, juravi,’ nullam in provinciam ex eo magistratu iturum: Vell. II. 31.
‘idque servavi. Nunc exsolutis, ut spero, quæ patriæ debebantur, rem me non arduam nec iniquam a vobis Dio.
puto me petere, ut aliquando bellicis laboribus vacuum mihi meisque sinatis vivere.

14. ‘Neque rempublicam prætexeritis. Non ita oderunt negliguntque Romam Dii, ut non habeat multos, quibus eadem sit peritia rei militaris, idemque in patriam amor. Quorum ego nominibus abstineo, et quia vos non possunt fallere, et quia nolo dicta mea sic accipi, tan-

quam potius in gratiam singulorum, quam ob utilitatem publicam essem locutus.'

15. Tacentem post ista Pompeium A. Gabinius tribunus plebis sic excepit: 'Rem plane dignam moribus suis Pompeius facit, imperium quod offertur recusando. Nec enim boni viri est omnes promiscue honores appetere; nec prudentis, nisi re probe considerata, tantæ molis suscipere negotium. Igitur hunc ego quidem minime reprehendo, Quirites: vos hortor, ut potius ad ea quæ publice sunt utilia, quam quæ gratiora Pompeio sunt, respiciatis.

16. 'Sane indulsit tibi patria, Cn. Pompei, ut, confecto Hispaniensi bello, quietum consulatum ageres; deinde jam tertium in annum non invidendo post tot labores otio reficereris. Sed tuæ vicissim virtutis, tuæque æquitatis est, ut tam benignam atque indulgentem patriam iterum audias, non ad translaticiujusdam belli labores, quibus et alii multi pares esse possunt, revocantem; sed ad liberandum fame populum, ad exsolvendum ignominia imperium, ad generis humani continendam confirmandamque societatem, quæ piratarum audacia propemodum convulsa his annis et interrupta est.

17. 'Neque labores, fractumque iis animum corpusque objeceris. Magna illa gloria, ad quam genitus, quamque præstantissimis factis adeptus es, neque quæri sine labore, neque conservari potest. Igitur exprobrare quæ feceris populo Romano noli; ne sit ei commemorare opus, quot et quanta ab eo acceperis. Neque persuaseris cuiquam ea ætate, qua vulgo homines animis corporibusque maxime valere consueverunt, te singularem ad omnia virum marcescere. Quod si tamen unus ita fortasse sentis, otio debes quod illa pristina tua virtus languet: quam quia deperdere summa calamitas et tibi videretur, et omnibus, excitanda tibi negotiis est, facile pristinum recuperatura vigorem, ubi digna se negotia senserit.

18. 'Sed alii quoque sunt, quibus ista recte committantur! Jamprimum a te peto, Pompei, ut de te tuisque laudibus populo potius Romano permittas judicium, quam tibi sumas. Quid in unoquoque spei habere debeat res-

publica, omnium quam singulorum æstimationem esse æquius est. An oblitos existimas, quid prima adolescentia Cinnano bello, quid deinde in Sicilia Africaque rerum gesseris? Nam Sertorium hostem cum omnes nostri duces reformidarent, propemodum ipsa tibi necessitas dedit: eoque experimento populus Romanus didicit, non esse certius minusque fallax indicium, te unum præfici negotiis oportere, quam ubi tanta eorum difficultas esse cœpit, ut a nemine uno sustineri posse videantur. Tibi vero, Pompei, pro ceteris moribus tuis, proque hac mutua tue populique Romani benevolentia, nihil recusandum est oneris, quod ob necessitatem publicam a civibus tuis carissimis simul amantissimisque imponitur. Operam, opes, labores, spiritum denique, si sit opus, impendenda patriæ utilitatibus esse, præclari illi viri, quorum tu ita sequeris vestigia, ut propemodum antevertas, constanti professione statuerunt.

19. 'Invidiam autem ne expaveris. Opprimi a virtute potius illa potest, quam virtutem opprimere: neque ejus est qui amore patriæ cetera terribilia omnia contemnat, ad livoris terri culamentum expallescere. Ego optimum quemque eo esse animo puto, ut potius virtute sit tecum certaturus, quam ut ea vilitate animi gloriam tuam illustret, suam miseriam augeat. Quod si tamen aliqui tam perversis sunt moribus, an ideo te imperatore carebit respublica? Quin tu vel ideo promptius oblata suscipis, ut ægre facias pessimis hominibus, inimicorumque oculos aspectu fascium tuorum atque laurearum maceres?'

20. Contra hæc L. Trebellius cum cœpisset disserere, nec silentium fieret, tribus in suffragia mitti vetuit. Tum vero Gabinus, omisso in præsens Pompeii negotio, de L. Trebellio rogare populum cœpit. Jamque tribus septem-

Cic. pro
Corn. et ibi
Ascon.
Dio.

decim tribunatum ei abrogaverant, et in eo erat ut etiam duodevicesima suffragium ferret, plebiscitum factura; cum vix dimoveri a proposito passus Trebellius, tamen incitæ concionis fluctibus cessit.

Plut.
Pomp.
c. 41. et
Dio.

ejus conspectum tantus indignantis populi sublatus clamor est, ut forte prætervolans corvus, tanquam fulmine ictus esset, ex alto rueret.

Dio. 22. Ita quiescente Roscio, Gabinius Q. Catulum excitavit, ut diceret. Sperabat enim tribunorum periculo territum nihil præterquam volentia plebi dicturum; et, quia princeps ille senatus erat, ceteros haud gravatim auctoritatem ejus secuturos. At ille dignitatis suæ memor, attento ob reverentiam viri populo, in hunc modum verba fecit: ‘Si quidem tantarum rerum potestatem ad unum aliquem deferendam existimarem, Quirites, neminem certe Pompeio eram prælaturus. Quem enim aut peritia rei militaris ei viro conferam, quem adhuc pæne puerum imperatores hostium timuerunt, nostri ornarunt, externi omnes admirationi habuerunt? Aut in quo lubentius conspiciam novorum honorum imperiorumque insignia, quam qui a L. Sylla victore Magnus est appellatus; qui, vestro jussu, cum adhuc eques Romanus esset, semel iterumque triumphavit; qui cum alium magistratum neque gessisset, neque ferme per ætatem potuisset gerere, consul factus est? Præterea tanta est Cn. Pompeii modestia, ut si cuiquam tuto concedi immoderata potentia posset, huic rectissime credi videatur. Quam lubenter ille vobis petentibus dimisit exercitum? Quam facile cum M. Crasso rediit in gratiam? Quam prudenter a se cupitæ provinciæ invidiam, jurejurando interposita in nullam ex consulatu iturum, amolitus est?

Vell. II.29.

23. ‘Verum enimvero negotium mihi potius, quam homo displicet: neque Pompeio hoc adimendum esse imperium, sed nemini mortalium concedendum existimo. Jamprimum majores nostri, sapientissimi mortales, cum ante omnia viderent habendam esse libertatis curam, quam qui amisissent, ceterorum nihil essent in potestate habituri, diligentissime providerunt, ne nimia potestas uni homini, aut certe, ut locis temporibusque constricta daretur.

Dio.

24. ‘Summum in republica nostra dictatoris imperium fuit: sed illud cohiberi intra Italiæ terminos, c^o finiri sex mensium angustia placuit. Sic quoque centum viginti

^c Sed illud cohiberi intra Italiæ terminos] Observat apud Dio-

annis est intermissum, cum illud L. Sylla dictator ita accepit perpetuum, ut magis in perpetuum aboleret. Nec enim ipse diu sustinuit invidiam, nec tanta laboraturos insaniam posteros nostros crediderim, ut, donec Syllanorum temporum extabit memoria, creare dictatorem concupiscant. Marii quoque paucos intra annos multiplicati consulatus, quid aliud quam continuæ potestatis amorem, et per hunc acerbissimas reipublicæ calamitates pepererunt? Prætereo jam, quod ejusmodi leges statum convellunt civitatis. Nam si æqua libertate fruimur, laborum certe præmiorumque neminem haberi exsortem convenit.

25. ‘ At non est præterea, qui negotiis sufficiat. Dura profecto vox, et adversus tot excellentes viros injuriose procax. Sed demus esse paucos. Jam etiam pauciores effeceritis, si ad res gerendas nemini præter unum aliquem relinquetur aditus. Nemo enim imperator nascitur: magno labore, multis periculis, longo etiam tempore, tentando, experiundo, facultas ea comparanda est. Quod si adversus Sertorium dux nobis defuit, (quanquam non penitet Q. Metelli,) minus equidem mirum est, quia tum divisa intestinis bellis civitate, multi suorum armis interierant: nec adversus Sertorium duce habuissemus opus, si retinere Sertorium respublica potuisset. Tamen etiam tum fuissent haud dubie plures, nisi superioribus annis tradita paucis hominibus respublica, ceterorum virtus in otio, tanquam sub cineribus flamma, obtorpuisset.

26. ‘ Quorsum autem magistratus creatis annuos, si nullam ad rem insignem eorum opera estis usuri? Majorumne vobis illi gratiam habebunt ob beneficium, quod honore dignos habuistis, an succensebunt ob injuriam, quasi in hoc eos creaveritis, ut majori dedecore homini privato postponerentur?

27. ‘ Sed hæc quidem civitatis leges atque instituta sunt, quæ fortasse, si omnino volueritis, moveri poterunt. At naturæ leges qui mutabitis, cujus providentiæ sic sunt res ordinatae, ut id negotium, cui vos unum præfecistis,

nem Catulus unum omnino dictatorem creatum esse, qui extra Italiam cum imperio esset, et in Siciliam transmitteret. Hic est Atilius Calatinus, de quo vid. supra, XIX. 30. *Cret.*

multos postulet? Diffusum per omnia maria, per omnes prope terras bellum, ab uno regi omnibus locis poterit? Idem Italiae littora tutabitur? Defendet Graeciam? In Syria cum postularit usus, in Hispania, in insulis erit? Idem eodem tempore geret in Cilicia bellum? At habebit legatos praefectosque. Cur autem ille potius, quam populus Romanus habeat? Cur tot clari viri unum potius respiciant, quam rempublicam? Si quidem eo redendum est, et multorum ingeniis manibusque res administranda, quippeni jam ab initio plures creentur, qui nullius alterius imperio obnoxii, cum pro cujusque merito propriam sibi gloriam ignominiamque futuram esse reputabunt, omnia diligentius cordatiusque gerent? Quando natura ita comparatum est, ut lubentius pro suis commodis homines, quam pro alienis, laborem ac pericula capessant.

28. 'Quae omnia si minus apud vos habebunt ponderis, quam habere debebant, at ipsi tandem Pompeio consulite, cujus paulo ante orationem audivistis. Tot profecto laboribus meruit, ut aliquando tempori ejus salutique parcatis. Nam certe iisdem quibus ceteri homines legibus vivit; nec invulnerabile ferro corpus, nec inexpugnabilem morbis valetudinem gerit. Huic porro si quid humani evenerit, in quo deinde spem estis habituri?' Haec dicente Catulo, universa concio succlamavit, 'In te, Q. Catule.' Quo ille tam honorifico testimonio delinitus, simul obstinatos hominum animos flecti posse desperans, e concione discessit. Multa quoque Q. Hortensius in senatu contra Gabinium, multa pro rostris contra legem, pro summa sua facultate, graviter ornatique dixerat. Sed vana omnis adversus populi favorem contentio fuit.

29. Qua die suffragia laturae tribus erant, Pompeius clam in praedium aliquod suum est profectus. Audito deinde perlatam jussamque rogationem esse, noctu introiit Urbem, ut gratulantium coetus, et ex ea re invidiam declinaret. Prima deinde luce progressus in forum sacrificavit: et, concione praebita, sic egit cum populo, ut lege datis multa adjicerentur, geminareturque propemodum apparatus. Nam pro ducentis navibus quingentae sunt con-

Sall. Hist.
v. 2.
Cic. pro
Leg. Manil.
c. 20.
Vell. ii. 32.
Plut. Pomp.
Val. Max.
viii. 15.
Cic. ib.
c. 17.

Plut.

cessæ: centum viginti millia peditum, equites quinque millia. Pro legatis quindecim legit ex omni senatu quin- Appian.
que et viginti: quæstores duos, pecuniæ præsentis accepit millies quingentes.

30. Ejus tanti apparatus fama cum minime latere potuisset, jam tum ita terruit piratas, ut parcius excurrentes mercatoribus liberiores navigandi copiam facerent. Unde Plut.
subito decrescencia rerum venalium pretia magnam Pompeio claritudinem circumdederunt, tanquam solo nominis sui terrore belli partem profligasset. Sed ille, posthabitis Flor. III. G.
inanibus, admirabili prorsus industria negotium complexus, cum suis et Rhodiorum socialibus navibus abundaret, in tredecim sortes distribuit maria, singulisque legatos præfecit, attributis navibus, peditibus, equitatu, et prætorum insignibus: ut unusquisque in parte sibi credita imperium haberet, ipse tanquam rex regum præset omnibus, et summam rerum consilio præceptoque moderatur.

31. Hispaniam et quod circa Gades est mare,^e Tiberies Nero; Balearicum, Manlius Torquatus sortiti sunt; Appian.
M. Pomponius Gallicum; Libycum Lentulus Marcellinus; P. Atilius Ligusticum sinum, et mare quod Sardiniam alluit et Corsicam: L. Gellius, Cn. Lentulus circa et Flor.
Italiam excubare jussi. Siciliam Ioniumque pelagus ad Acarnaniam usque Plotius Varus, M. Terentius Varro custodiebant. Achaïæ Macedoniæque L. Sisenna^f præsidebat. Insulas Ægæi maris, omnemque ejus ambitum cum Hellesponto L. Tubero^g obtinebat: Bithyniam,

^d Millies quingentes] Marcus argenti nostrates 585987. uncias 4. Ceterum hic Freinshemius, dum Romano more exprimit eam summam quæ Græce ab Appiano sex millibus talentorum finitur, ut numerum rotundaret, ampliorem justo eum fecit. Si quidem millies quingentes sex millia talentorum exsuperat libris argenti Romanis 15000. marcis nostratibus 23437. uncias 4. Crev.

^e Hispaniam, et quod circa Gades est mare] In his legatorum Pompeii provinciis describendis

Freinshemius nec Florum omnino, nec omnino Appianum sequitur, sed alterum ex altero corrigit et supplet. Crev.

^f L. Sisenna] Apud Appianum legitur Λούκιος Σισέννας. Emendavit Freinshemius ex Diono, lib. xxxvi. init. Crev.

^g L. Tubero] Appianus habet Λούκιος Κούλλιος. Quod nomen mendosum videtur, mutandumque in Λούκιος Κουλλέων. Cullenonis inter amicos Pompeii mentio fit a Plutarcho in Pomp. pag. 625. editionis Parisiensis. Crev.

Thraciam, Propontidem, et ipsum os Ponti, P. Piso :^b Lyciam, Pamphyliam, Cyprum, et Phœnicen Metellus Nepos. Ceterorum in obscuro res sunt ; M. Varroni, tanquam homini doctissimo, hoc tribuerunt literæ, ut gestorum ejus meritorumque nonnullam servarent memoriam.

Plin. III. 11. Intervallum ab Italia Apolloniam versus, ubi tantum quinquaginta millibus passuum¹ dirimuntur, ponte conjungere instituit : sed aliis curis, quominus destinata perficeret, est impeditus. Per idem tempus cum Coreyræ esset exercitus, ac classis et omnes domus repletæ essent ægrotis ac funeribus, immisso fenestris novis aquilone, et obstructis pestilentibus, januaque permutata, ceteraque ejus generis diligentia, suos comites ac familiam incolumes reduxit. Insignis etiam virtutis documentum corona navalis est, quam ex illo bello Cn. Pompeius ei dedit : quod paucissimis omni ævo contigit decus.

Varro de Re Rust. I. 14.

Fest. in Naval. Coron. Plin. VII. 30. et XVI. 4. Flor.

Liv. Epit. Appian. Plut.

Appian. Dio. Plut.

Cic. pro Leg. Manil. c. 22.

Plut. Apoph. Rom. in Pomp.

32. Sed Pompeius, rebus ita ordinatis, cum velut indagine cinxisset maria, brevi tempore piratarum per plurimas naves cepit : et intra dies omnino quadraginta mare Tuscum, Libyæ, Sardiniam, Corsicam, Siciliam, totumque tractum occidentis ita repurgavit, ut nulla præterea prædonum navis usquam compareret. Inde Romam recurrit, ubi consul Piso per invidiam et iram apparatus ejus impediēbat ; acceptusque est summa gratulatione populi, tanquam ex diuturna peregrinatione revertisset. Jam enim pacato longe lateque mari annona laxaverat. Id enim præcipuæ curæ habuerat Pompeius, ut Siciliam, Africam, Sardiniam, tria frumentaria Urbis subsidia, confirmaret : et nondum tempestivo ad navigandum mari^k omnes illas provincias ipse adiverat : magnaque vi frumenti in naves imposita, cum ob tempestatem ortam gubernatores contarentur, primus conscendit, anchoramque velli jussit, nobili

^b P. Piso] Credimus nomen hoc apud Appianum leviter corruptum esse, et pro Πούπιος Περίσων, legendum esse Πούπιος Περίσων. Pupius Piso dicitur infra c. 22. legatus Pompeii, et gratia ejus ad consulatum promotus. Crev.

¹ Quinquaginta millibus passuum] Leucis nostratibus fere 17. Crev.

^k Et nondum tempestivo ad navigandum mari] Hoc factum dictumque Pompeii non ad hoc tempus pertinet, et suo loco rursus memorabitur a Freinshemio civ. 53. Crev.

voce edita, 'Navigare necessum esse; vivere non necessum.'

33. Tanto major ex merito gratia apud populum fuit: Plut. Pomp. eoque adversatus ei consul graviorem expertus est indignationem omnium; nihilque propius factum, quam ut Dio, magistratu dejiceretur: eamque in rem conscriptam jam Plut. rogationem Gabinius habebat. Sed, deprecante Pom- Dio. peio, res omissa. Ipsi quicquid voluerat, liberalissime jam etiam ab senatu quoque decretum est, postquam frustra et cum periculo fortunæ gratiæque Pompeii se obniti sentiebat. Neque tamen retinendi conscriptas in Ciliciam legiones prætextu consul carebat, quia coloniæ Latinæ, quas bello Marsico Cn. Pompeius Magni pater trans Padum deduxerat, instigante C. Cæsare, consilia de petenda civitate Romana agitantes, suspicionem rerum novarum exciverant.

Suet. Cæs.
c. 8.
Ascon, in
Pis.
Sueton.

34. Pompeius haud diutius quam necessum erat Romæ moratus, Brundisium, ubi classem operiri jusserat, et inde versus orientem profectus est. At Rhodi, quam properaret, disserenti tamen Posidonio dedit operam. Deinde in Ciliciam profectus, fontem caputque belli, undequinquagesimo die quam Brundisio solverat, universam redegit in potestatem. Id adeo præter omnium et ipsius quoque opinionem factum est, ut potius gravissimum ibi bellum cum exercitatissimis mari hominibus, et arcibus munitissimis futurum videretur; ideoque navibus ex omni numero delectis sexaginta, magnoque armorum atque machinarum apparatu erat profectus. Sed duæ potissimum res maturum bello finem dederunt: altera, terror ex magnitudine famaue imperatoris; altera, spes propter lenitudinem, quam erga captos deditosque ostenderat.

Plut.
Strabo xi.
p. 492.
Flor. Cic.
Appian.

Plut.
Appian.
Dio. Plut.

35. Igitur ab omni parte, vitata legatorum severitate, ad Pompeiam veniebant oratores: et ille, receptis in fidem dedititiis, horum iudicio latebras pessimorum dicebat, qui conscientia scelerum salutem desperantes, conjugibus liberisque in castella montis Tauri sepositis, prope Coracesium Ciliciæ castellum ad anchoras stabant. Sed haud ultra primum congressum duravit his animus. Statim

Strabo xv.
p. 668.
Flor.

Appian. pari undique plausu signum ediderunt deditiois, simulque tela ac remos abjecerunt. Castella deinde maxima duo, Cragum et Anticragum vocant, tradentibus qui tenebant, recepta sunt; deinde ceteræ per Asperam Cili-
 Plut. ciam arces. In his navium armorumque inchoatorum
 Appian. effectorumque magna vis inventa est, ærisque et ferri funiumque et linteorum et omnigenæ materiæ incredibilis apparatus. Captivi quoque plurimi, quos partim ut se redimerent pecunia, partim operis faciundi causa vinctos piratæ habuerant, ad suos remissi sunt: eorumque haud pauci erecta interim domi, tanquam defunctis, monumenta reppererunt.

Plut. 36. Piratarum viginti circiter millia in potestate victoris erant. Eos cum interficere crudele, dimittere periculosum videretur; optimo consilio usus, (quanquam ab ob-
 Vell. II. 32. trectoribus reprehensum est,) procul a conspectu maris
 Dio. Flor. in mediterraneis agris collocavit: futurum ratus, ut
 Plut. necessitate et occasione, duobus nequissimis consultoribus, remotis,³ quieti deinde pacatque viverent. Simul solitudini multorum oppidorum consulebatur: et inter cetera
 Appian. Mallus et Adana et Epiphanea his cultoribus frequentata
 Dio. Plut. sunt. In Soliorum etiam urbem, quam Tigranes nuper
 Strabo XIV. afflixerat, instauratam, introduxit ex eo genere honestis-
 p. 665. simum quemque, deque suo nomine vocari Pompeiopolin
 Pomp. jussit, immunitate concessa. Nonnullos etiam Dymen
 Mel. I. 13. misit, quod Achaiaë oppidum, cum agrum latum et oppidum haberet, habitatoribus infrequens erat: alios in
 Appian. Calabria, attributis ad colendum agris, collocavit.
 Plut.
 Serv. in IV.
 Georg. V. 127.

Appian. 37. Hic fuit belli tam formidabilis exitus. Quo naves expugnatae duæ et septuaginta, deditæ trecentæ sex narrantur, quo in numero rostratae nonaginta fuerunt: oppida castellaque recepta centum viginti: prædonum repugnantium caesa decem millia. Quæ tanta opera trimestri spatio confecta sunt, ea felicitate, ut ne una quidem navis Romana desideraretur; ea quoque perpetuitate victoriae, ut postea longissima ætate piratas circum ea maria nemo vidcrit.

3 Remota edd. ante Crev.

38. Tam prosper externis rebus annus, totus ferme tumultibus et discordiis in Urbe transactus est. Inter alias causas turbarum ambitus erat, permultis proxima censura senatu motis, et ordinem quolibet modo recuperare properantibus. Idcirco C. Cornelius tribunus plebis iratus senatui, quod relationem ejus, ‘ ne quis legis exterarum nationum pecuniam expensam ferret,’ senatus repudiaverat, de ambitu ferebat legem, cum acerbissimis in delinquentes penis.

Dio.

Ascon. in
Corn.

Dio.

39. Placebat ea res populo. Sed patres terribiliorem specie, quam effectu robustiorem, legem causati, consulem ferre jusserunt legem, ‘ uti condemnati ambitus, neque magistratus gererent, et senatu moverentur; mulctam quoque pecuniariam eo nomine penderent.’ Interea dum comitiorum dies expectatur, nihilominus ambitus fervebat, tam impudentibus quorundam studiis, ut etiam homicidio non abstineretur. Factum igitur senatusconsultum est, ‘ de his etiam quæri placere; consuli que præsidium dari.’ Namque C. Piso, cum propter multitudinem adversariorum ejectus foro esset, extremi difficillimique temporis vocem miserat, ‘ ut qui rempublicam salvam esse vellent, ad legem accipiendam adessent.’ Deinde majori manu stipatus, legis perferendæ causa progressus in concionem, negotium perfecit. Neque sponte legem eam tulisse consul juxta quosdam auctores putatur, ipse crimine eodem nocens, et vix gratia paucorum ne causam diceret ereptus: sed acerbiora timens senatus præceperat. Ut tamen ea de consulis infamia minus credam, cetera ejus gravitas et constantia facit, tempore comitiorum memorabili voce factoque testata.

Cic. pro
Mur. c. 23.

Dio.

Ascon. ib.
Dio.

Ascon. ib.

Dio.

40. M. Palicanus, homo sordidus et seditiosus, consulatum petere ausus, miro stolidæ plebeculæ favore sublevabatur. Sed et tribuni plebis ei aderant, ab hoc exemplo suæ ambitioni paraturi faciliorem viam. His patres, et ante ceteros consul Piso, resistebant. Igitur tribuni modo non manibus suis sublatum pro rostris statuerunt; et utrimque circumfusi interrogarunt, ‘ essetne Palicanum renuntiaturus consulem, si quidem factus a populo foret?’ Ille ‘ non existimare futurum’ respondit, ‘ ut eo indigni-

Val. Max.

III. 8.

tatis veniretur.' At urgentibus illis, dicentibusque, 'Quid igitur, si ventum fuerit? renuntiabis?' 'Non renuntiabo,' inquit. Atque vocis hujus præcisa severitas Palicanum a summa spe impetrandi honoris removet.

Dio.
Ascon.

41. His occasionibus dissidiorum arreptis, C. Cornelius, ut senatus minueret auctoritatem, promulgavit legem, 'ne quis nisi per populum legibus solveretur.' Id antiquitus quoque cautum, et in omnibus senatusconsultis, quoties legibus aliquis solveretur, adjectum erat, 'ut ea de re ad populum ferretur.' Sed paulatim fieri erat desitum, resque jam in eam consuetudinem venerat, ut postremo ne adjiceretur quidem in senatusconsultis de rogatione ad populum ferenda: eaque ipsa senatusconsulta per paucos admodum fiebant. Igitur eam Cornelii rogationem indigne tulerunt potentissimi quique, et quorum in senatu gratia magnopere minuebatur.

Cic. in
Vatin. c. 2.
Ascon.

42. His satagentibus, P. Servilius Globulus tribunus plebis inventus est, qui C. Cornelio obsisteret. Is, ubi legis ferendæ dies venit, et præco, subjiciente scriba, verba legis recitare populo cœpit, et scribam subjicere, et præconem pronuntiare passus non est. Tum Cornelius ipse codicem recitavit. Quod cum improbe fieri C. Piso consul vehementer quereretur, tribunitiamque intercessionem diceret sublatam, gravi convicio a populo exceptus est. Et cum illos consul qui sibi intendebant manum prehendi a lictore jussisset, fracti ejus fascēs cuncti, lapidesque etiam ex ultima concione in consulem jacti. Quo tumultu Cornelius perturbatus, concilium dimisit.

Dio.

Ascon.
Cicero.

Dio et
Ascon.

43. Actum deinde ea de re in senatu est magnis contentionibus: cum Cornelius ita ferre rursus cœpit, 'ne quis in senatu legibus solveretur, nisi ducenti affuissent; neve quis, cum solutus esset, intercederet, cum ea de re ad populum ferretur.' Hæc sine tumultu acta res est. Nemo enim negare poterat pro auctoritate senatus eam legem esse, quam populus habere ratam cogere. Sed tamen eam tulit invitis optimatibus, qui vel pauci senatusconsultum facere solebant.¹

¹ *[Qui vel pauci senatusconsultum facere solebant]* Hæc sunt ipsa

44. Aliam deinde legem Cornelius, etsi nemo repugnare ausus est, multorum tamen offensa tulit, 'ut prætores ex edictis suis perpetuis jus dicerent: ' quæ res gratiam ambitiosis prætoribus, qui varie jus dicere solebant, sustulit. Sic enim eodem omnibus modo jus reddere cogebantur, alias insigni nefandoque scelere, prout favebant succensebantve litigantibus, aliter atque aliter pronuntiare soliti. Alias quoque complures leges Cornelius promulgavit, quibus plerique collegæ intercesserunt: per quas contentiones totus tribunatus ejus peractus est.

45. Ambitus judicio provisum erat, ne vulgo magistratus male caperentur. Ea res excitavit attentionem hominum, ut etiam, ne male gererentur, exigerent. Ideo sub id tempus adeo severe sunt exercitæ repetundarum leges, ut præter noxiorum pœnas, etiam accusatoribus præmia decernerentur. Carbo equidem, M. Cotta damnato, quemadmodum exponere per occasionem occupavimus, licet adhuc tribunitius esset, consularibus insigniis est decoratus. At idem postea cum eandem obtinisset Bithyniam, ex qua Cottam damnaverat, ab ejus filio, quo is die sumta virili toga de Capitolio descenderat, judicio afflictus est.

46. Igitur L. Lucullus, cum ex urbana prætura Sardiniam esset sortitus, ire in provinciam noluit, propterea quod participem se negabat futurum infamiæ, qua tum ob avaritiam et rapinas plerique rectores provinciarum laborabant. Erat enim vir justitiæ amans, et constantis ingenii, cujus in prætura sua clarum documentum ediderat. Cum enim sellam ejus confringi consul Acilius jussisset, cui forte prætereunti non assurrexerat, nihil commotus est, et deinde stans jus dixit: idemque ceteri prætores ut facerent, honori ejus tribuerunt.

47. Inter hæc in Creta Q. Metellus cum Cretensibus simul piratisque dimicabat, qui oppresserant partem insulæ, alteramque ex ea post Ciliciam latrociniorum arcem fecerant, pluribus ea causa castellis per insulam exstruc-

Asconii verba. Freinshemius *lebant*: obscure et parum ad rem dederat *qui paucis gratificari so-* apposite. *Crev.*

Strabo x. p. 477. Flor. III. 7. Val. Max. VII. 6. Appian. ap. Fulv. Ursin. Cic. pro Leg. Manil. c. 12. Plut. Flor. Dio.

tis. Ea cum Romanus expugnaret, ita severe in captivos animadverterat, ut reliqui partim veneno se conficerent, plerique prius omnia mallent experiri, quam ut illi se traderent. Tantaque Cretensium eo bello pervicacia traditur, ut obsessi cum siti fatigarentur, suam jumentorumque suorum urinam biberent; donec a Pompeio acciperent responsum, ad quem, audita viri mansuetudine, miserant oratores, in Pamphylia tum agentem. Ille, obsidibus imperatis, unum ex legatis L. Octavium misit, qui eos in deditionem acciperet; scripsitque ad civitates, 'ne dicto audientes Metello essent.'

48. Hoc infestior Metellus, non alios tantum, sed etiam quibuscum antea fuerat pactus, ut, priusquam venire Pompeius posset, exigeret ab iis pœnas contumeliæ suæ, persecutus est. Nec Octavius obsistebat, inermis, et non ad bellandum missus: et Cornelius Sisenna, quem Pompeius Achaïæ præfecerat, venerat is quidem in Cretam, et cum Metello, ut populi Romani dedititiis parceret, egerat: sed præter inefficacia verba, nihil erat ab eo tentatum.

49. Interim Metellus Eleutheram urbem proditorum opera cepit, qui firmissimam ex lateribus turrim, ut facilius arieti cederet, continuis aliquot noctibus aceto perfuderant. Pecunia hic imperata, Lappan petiit, ubi se L. Octavius incluserat. Metellus, eum nihil moratus, vi expugnavit locum, Octavioque non sine probris dimisso, quos secum habuerat Cilicas ad unum omnes interfecit. Hoc ægerrime ferens Octavius, assumtis Sisennæ copiis, nam ille morbo decesserat, auxilium quibusdam Cretensium tulit. Revocatis deinde illis, Aristioni se conjunxit Hieropydna munitum oppidum tenenti, quod Cydonia decedens, victo qui se objecerat L. Basso, nuper ceperat. Sed ubi Metellus advenit, relictis munimentis, ambo se conjecerunt in naves. Ibi in altum evectos atrox tempestas impexit littoribus, multique navalium sociorum naufragio desiderati sunt.

Liv. Epit. 50. De his rebus aculeatis invicem epistolis imperatores duo scripserunt. Metellus 'datum a senatu populoque Romano imperium, gloriamque rerum gerendarum cripi

sibi a Pompeio, gestarumque pretium,' querebatur, ' qui ad accipiendas urbium deditiones legatum in alienam provinciam misisset.' Pompeius ' id a se rite atque ordine factum ' asserebat : ' universam enim insulam, cum nulla Plut. pars ejus præfinitum Gabinia lege modum excedat, ad suam curam pertinere : nec officio se defuturum.' Sed hæc, utcumque speciose dicta, non tegebant penitus insitam animo ambitionem, ut neque amicissimis ejus probarentur, nedum ut ab instituto revocare Metellum possent.

SUPPLEMENTUM

LIBRI C.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

Dio,
xxxvi.

1. **POSTQUAM** eo contentionis ventum inter viros amplissimes, civile bellum in expectatione erat, quia Pompeius se parabat ut in Cretam transmitteret, Metellus ei nequitquam cessurus videbatur: cum improvisa res a proposito Pompeium ad aliam uberioris gloriæ expeditionem avertit.

Ascon. in
Corn. et in
Mil. c. 8.
Dio.

Ascon.
Dionys.
Halic. iv.

2. C. Manilius, tribunatu plebis nuper inito, pridie Kalendarum Januariarum, quibus M. Æmilius Lepidus, L. Volcatius Tullus consulatum inchoarunt,* inclinanti die legem Sulpiciam de libertinorum suffragiis retulerat, 'uti pari eum patronis suis jure ferrent.'^a Abusus ad hoc propositum erat Compitalium solenni, quod forte per eos dies celebratum, ex veteri consuetudine pro liberis agere sineis servos, occasionem præbebat, ut multi ejus generis ingenuæ plebi permixti jubere rogationem possent: eique

* A. U. C. 686. A. C. 66.

^a *Uti pari cum patronis suis jure ferrent*] Ascon. in Orat. pro Cornelio docet tantum eandem a C. Manilio legem relatam esse, quam antea P. Sulpicius tulisset. Idem autem in Orat. pro Milone rem clare explicat, et ipsamet Manilianæ rogationis

verba assert, nempe 'ut libertinis in omnibus tribubus suffragium esset.' Id quoque voluerat Sulpicius, de quo vid. supra lxxvii. 7. et 8. Itaque non videmus cur Freinshemius hoc loco Dionem potius secutus fuerit, qui super hoc negotio obscurius loquitur. *Crer.*

actioni favisse quoque C. Cornelius putabatur. Cum res per tumultum ageretur, et factio tribuni elivum Capitolinum obsideret, L. Domitius Ahenobarbus quæstor perripit ac disjecit agmen; multisque Manilianorum interfectis, plebi metum, patribus animum addiderat.

3. Igitur senatus, postridie statim quam consules inierunt, lege damnata, tribuno tantum incussit metum, ut primo legis auctorem M. Crassum fuisse diceret, et, postquam id credebat nemo, ipse quoque abjiceret legem. Sed quo firmiorem sibi compararet patronum, adulari Pompeium etiam invitum ac ignorantem cœpit; cum in magna apud eum gratia Gabinium esse cerneret, cujus rogatione maritimum imperium fuerat adeptus. Nam illum, simul abiverat tribunatu, Pompeius ut sibi legaretur postularat. Idcirco legem C. Manilius, venalis alienæ potentiæ minister, de imperio Pompeii tulit, 'ut manentibus quæ Gabinia lex dedisset, Cilicia et Bithynia provinciæ, bellumque contra Tigranem atque Mithridatem reges, adjicerentur: utique imperium in omnes populi Romani exercitus extra Italiam haberet: utique jus ei ac potestas esset, quoscumque ei videretur, vel hostes populi Romani judicandi, vel socios asciscendi, sicut¹ e republica et sua fide esse censuisset.'

4. Maximam ea rogatio nobilitatis indignationem excitavit: quæ Gabiniam quoque legem ægerrime passa, quod supra ceterorum æqualitatem nimium cfferri Pompeium videbat, nunc plane dominum imponi cervicibus suis existimabat. Hoc maxime stimulo, quanquam et Luculli injuria, et Glabronis Regisque, quibus ante tempus adimebantur provinciæ, commoti patres, mutuo se cohortabantur, ut huic rogationi resisterent. Sed ubi comitorum dies affuit, et incitata populi voluntas constantiam excuserat; præter Q. Catulum et Q. Hortensium, qui Gabiniam quoque legem dissuaserant, ora omnes tenuerunt. Q. Catulus multa locutus, cum moveret neminem, sæpe exclamavit ad patres conversus, 'quærendam esse arcem

¹ Ita edd. Crev. ex Appian. Legebatur antea esset, hostes sociosve populi Romani exercitus judicandi, sicut, &c.

tuendæ libertati in tanta desperatione rerum omnium, quemadmodum majores olim bello Gallico deserti a populo in Capitolium confugissent.’

Liv. Epit.
Dio.

5. Sed scivit legem populus, et ipsius Manilii egregia concione inductus, et Cæsaris atque Ciceronis impulsus auctoritate, qui eam suaserant: Cicero quidem ea oratione, quam hodieque mirantes legunt. Cæsar etiam Gabiniam legem adjuverat; non quod Pompeio cuperet, sed ut populum, cujus tum erat potentior patribus factio, haberet propitium, eundemque ad sciscenda nimia et inusitata, sibi mox eadem pollicitus, assuefaceret. Cicero præ se optimatum amorem semper tulerat, eoque ædilitatem petierat, omisso tribunatu, ne populi studiosior videretur. Tum autem, sive gratiam Pompeii affectans, sive ut in se momentum esse quibus accessisset partibus ostenderet, plebi se applicuit.

Cic. pro
Leg. Manil.
c. 24.

Plut. Cic.
c. 11.

Cic. ad
Att. i. ep.
4.

Val. Max.
ix. 12.
Plut.

6. Erat autem tum, præter eloquentiæ vim, magistratus etiam amplitudine potentior. Præturam enim gerebat, secundo populi rumore, maxime postquam in judicio Q. Licinii Macri magnam integritatem constantiamque ostenderat. Vir ille prætorius, cum repetundarum esset postulatus, tantam in suis opibus gentilisque sui M. Crassi amicitia fiduciam reposuerat, ut iudicibus in suffragium missis, conferret se domum tanquam certus victor, tonsaque coma, et habitu priore, quem reus mutaverat, resumto, in forum reverteretur.

Val. Max.

7. Sed Crasso damnari eum renuntiante, cum e Mœniano prætextam ponere prætorem, dum sententiæ diriberentur, conspexisset; misit ad eum qui diceret, ‘ se ante damnationem perisse, nec bona sua hastæ subjici posse:’ protinusque correpto sudario, quod forte habebat in manibus, et in os² inserto, interclusit spiritui viam. Cicero, re cognita, nihil de eo pronuntiavit. Ita patrimonium filio (Calvus is fuit, præcipui mox nominis orator) inusitati exempli mors patris conservavit.

Dio.

8. Manilia lege perlata, senatus in illum inflammata sunt odia: sed sacrosancta majestate tutum nihil interim

potuerunt lædere. Exacto tribunatus tempore accusator comparatus, ad Ciceronis tribunal eum forte postulavit. Iniquius cum reo egisse Cicero videbatur: præsertim quod enixe tempus ad defensionem postulanti, unam tantummodo diem concesserat. Ob eam rem raptus ad rostra a tribunis, et invidiose ad populum traductus, postulata audientia, ‘semper se æquum ac benignum miseris, quatenus per leges liceret, fuisse’ ostendit. ‘Eandem benevolentiam C. Manilio præstare voluisse, ut ante eam diem quæ sola ei præturæ superesset, iudicium ageretur. Neque enim faventis esse, ad alius potius prætoris arbitrium quæstionem rejicere.’

Plut.

9. Hæc audita mirifice opinionem vulgi mutaverunt: faustisque acclamationibus exceptus Cicero, et rogatus est, ut Manilii complecteretur causam. Atque ille, populi studiis lætus, simul uti Pompeium demereretur, de integro concione habita, acriter in paucorum potentiam Pompeiique æmulos invectus est. Sed Manilianum iudicium subito tumultu turbatum est, sollicita civitate ob conjurationem P. Pæti et P. Syllæ opera conflata, qui designati consules, deinde damnati ambitus fuerant, ut paulo post memorabimus, cum, expositis quæ interim bello gesta sunt, ad res urbanas revertemur.

Dio et
Plut.

10. Q. Metellus, nullo jam impediante, quod ad alia conversæ erant æmuli curæ, redactis in potestatem quæ restiterant, Cretensi bello finem imposuit, iisdemque conditionibus recepto in fidem Lasthene, quibus et Panares antea se dediderat. Hic finis fuit libertati Cretensium, ad istud ævi illibata. Etiam instituta majorum mutare coacti, novas leges præscribente Metello acceperunt. Metellus, constitutis in Creta rebus, Cretici cognomento accepto, justius ille³ quidem, quam ante illum M. Antonius id gesserat, ad triumphum decessit.

Appian.
ap. Fulv.
Ursin.L'èv. Epit.
Vell. II. 38.
Dio.Strabo x.
p. 484.
Oros. VI. 4.
Dio.

11. Dilatus tamen invidia Pompeii in tertium annum triumphus est, qui per addictos sibi tribunos subinde aliquid impedimenti objiciebat, ne triumphare Metellus posset. Ita quicquid aliorum gloriæ accessisset, detrimentum

Vell. II. 34.
Sall. Cat.
c. 30.
Dio.

3 Illi pro ille legebatur ante Crev.

Dio et
Plut. Pomp.

esse putabat suæ, neque gestis rebus maximis, neque gerendis poterat exsatiari: cum interim cupiditatem quietis et mirum imperii fastidium præferret. Nam, acceptis de Manilia lege literis, femur feriens, ‘Hem,’ inquit, ‘adversariorum astutias! qui ut aliquando me evertant, omnibus exponunt laboribus, omnibus periculis objiciunt. Ecquando erit, ut privatus otiosusque possim in dulcissimorum pignorum conspectu atque comitatu rusticari?’

Dio.

Plut.

12. Hæc adeo inepte fingebantur, ut familiarissimis stomachum facerent. Neque diu fuit expectandum, ut factis ipsis proderetur. Nam præter insitam ambitionem, æmulatio Luculli, ut gratissimum ei negotium esset, effecerat. Idcirco, penitus abjecta Cretensium rerum cura, toto animo Ponticum bellum complexus, præmissis edictis avocabat a Lucullo milites, regesque et principes civitatum sibi jubebat occurrere. Mox provinciam ingressus, acta Luculli rescindere cœpit; pœnas, præmia, ab illo etiam de sententia decem legatorum decreta, auferre: denique summo studio hoc agere, ut præ se nullius momenti esse Luculli auctoritatem admiratoribus illius ostenderet.

Dio.

Plut. Lu-
cull. et
Pomp.
Strab. xii.
p. 567.
Plut.

13. Tandem, cum ille per amicos esset questus, convenire ad colloquium placuit, Danalis, quod Galatarum Trocmorum castellum erat. Res ibi levis in omen versa est: ex iis quæ jam tum fiebant minime difficili conjectura. Laureati fascès utriusque imperatoris erant: sed, ut Lucullus ex amœniore venerat regione, illius erat laurus recentior. Igitur lictores ejus, Pompeianis parte concessa, dederunt ansam quibusdam, ut victoriarum Luculli ornamenta in Pompeium cessura dicerent.

Vell. ii. 33.

Dio, xxxv.

14. Congressus imperatorum come et benignum principium habuit, gratulantibus et res ab utroque gestas invicem extollentibus. Sed cito mutatus ad verum animi habitum sermo, gravibus querelis atque etiam conviciis inhorruit. Lucullus erat ætatis et consulatus tempore prior: Pompeii potior ex duobus triumphis et imperii amplitudine auctoritas. Neque deerat quod objiceretur.

Lucullus avaritiæ nomine male audiebat, et cum patrare bellum posset, quo diutius opulentissimas provincias ob-

tineret, Tigrani Mithridatique præbuisse effingium existimabatur. Hæc exagitant Pompeio, Lucullus infinitam imperii cupiditatem exprobrabat: debellatum esse⁴ dicens cum regibus, neque nova expeditione opus. Post acre jurgium vix ab amicis diremti sunt.

Plut. Pomp.
Dio,
xxxvi.

Plut.

15. Exinde Lucullus in Galatia resistens captos ex hostibus agros arbitrato suo distribuebat: inter quæ^b notable castellum Tomisa, quod Sophenæ regi, cujus regno adjacebat, centum talentis^c fuerat emptum, Ariobarzani restitutum est. Contra Pompeius judiciorum ejus haberi rationem vetabat; nudabatque illum copiis, mille tantum et sexcentis ad triumphum relictis militibus, quos ex omni numero ferocissimos Luculloque infensissimos esse compererat. Neque his contentus, operum ejus æstimationem verbis obterebat, 'cum umbra regum et tragico quodam apparatu dimicasse Lucullum' dictitans: 'nunc verum instare certamen, postquam illi, omissis ineptiis, ad arma virorumque robur se contulissent.'

Strab. xii.
p. 535. et
xiv. p. 663.
Dio. Plut.

16. Adversus hæc Lucullus, 'non bellum Pompeio, sed imaginem belli umbramque relictam esse' jactabat.

Dio. Plut.

'Idque oppido gratum esse homini, fedæ alitis instar ab aliis prostrata corpora, et reliquias præriorum sequi consueto. Sic in Sertoriani belli, sic in Lepidani, postremo Spartacii titulos irrepsisse: cum primum a Metello Pio esset, alterum a Q. Catulo, tertium M. Crassi virtute confectum. Neque mirum esse, si Ponticorum Armeniorumque bellorum affectaret nomina, qui nihil non fecerit, ut in triumphum de fugitivis quovis modo se intruderet.'

Julian.
Cæsar.
Plut.

17. Post hæc profectus est ex provincia Lucullus: Pompeiusque, præmisso, qui Mithridatem ad pacem petendam hortaretur, Metrophane, cum classibus a Phœnicia ad Bosporum usque distributis, totum in potestate

Dio.
Plut.

⁴ *Debellatumque esse* edd. ante Crev.

^b *Inter quæ*] Sic profecto voluit Freinshemius. Inter cetera Luculli dona numerari debet Tomisa castellum, quod Ariobarzani restitutum est. Male ergo priores editiones habebant *interque*. Crev.

^c *Centum talentis*] Marcis argenti nostratibus 9375. Crev.

Dio,
xxxv. et
xxxvi.
Plut. Luc.
Suidas
in Ἰππῶς.
mare haberet, contra regem magna celeritate contendit. Ducebat secum etiam Valerianas legiones, quæ missionem tantopere expetitam, postquam impetrassent, in Pompeii gratiam spreverant: adeo ille ad animos militum alliciendo tenendosque aut aptior Lucullo, aut felicior imperator fuit.

Dio,
xxxvi.
Liv. Epit.
Dio.
Appian.
Mithrid.
Dio.
18. Mithridates initio spe Parthicæ societatis Pompeium spreverat: sed, audito postea, Phraaten, renovata cum Romanis amicitia, in regnum Tigranis irrupisse, terribus, legatos ad Romanum de pace misit. Sed ille ante omnia transfugas reposcebat. Quod ubi in castris regiis est cognitum, et a transfugis, ne dederentur, et a barbaris, ne spoliarentur horum auxilio, (multi enim et manu prompti erant,) tumultuatum est acriter, non sine periculo

Appian.
Dio.
regis: donec progressus in medium juravit 'sibi propter avaritiam Romanorum inexpiabile cum illis bellum esse: neque traditurum eis quenquam: neque omnino facturum, nisi quod ex utilitate omnium esset. Neque vero missos a se oratores pacis petendæ fuisse, sed ut sub habitu legatorum castra Romana specularentur.'

Appian.
et Dio.
Oros. vi. 4.
Plut. Pomp.
et Appian.
Dio.
Strab. xii.
p. 555.
Dio.
19. Interim, quæ Pompeio usui futura crediderat, vastabat urebatque, ut com meatuum inopia vim ejus impetumque frustraretur. Sed ubi Pompeius in Armeniam minorem convertit agmen, metuens ei per absentiam suam Mithridates, eodem cum phalange triginta millium, et tribus millibus equitum movit. Veteranus hic erat, et ex omni regno cum cura lectus exercitus: quem tum in montem quendam arduum munitumque subduxit, Dastira vocabant, in Acisilena situm. Ibi castris positus, hostem atterere mora sedendoque conabatur. Nam quod in amica regione consederat, promptius ipsi com meatus subvehebantur. Interea per equites, qua parte virium præstabat, planitiem subjectam incursando, subinde excipiebat quosdam: multis quoque ad illum ea de causa transfugientibus.

Plut.
20. Mutata deinde cum loco fortuna est, postquam omissum a Mithridate jugum Pompeius castris occupavit. Propter aquæ penuriam Mithridates reliquerat locum: sed Pompeius ex fruticum proventu, situsque in-

dole, quod res erat suspicatus,⁵ puteos fodi jussit: tantaque mox aquæ affluentia fuit, ut tamdiu hoc ignorasse Mithridatem mirarentur. Accedebat aliud ex ingenio Dio. locorum commodum, quod obsita virgultis et arboribus regio tegebat Romanos, ne equitum et sagittariorum regionum excursibus paterent.

21. Eadem res admonuit Pompeium, ut insidias equitatum hostium, natis ad eam fraudem vallibus, strueret. Igitur, noctu tribus leviter armatorum millibus cum equitibus quingentis inter duo castra occultatis, prima luce paucos misit ad vallum regis equites, ita doctos, ut operam darent quo universus equitatus hostilis eliceretur: eo facto, servatis ordinibus se subducerent, donec insidiis fecissent erumpendi opportunitatem. Omnia obedienter industrieque facta. Successus etiam expectationi par affuit. Regii, novo unde minime putaverant hoste emicante, conversis etiam quorum paulo ante terga viderant, territi, cum utrimque cæderentur, et pedes etiam cominus suggestus equos confoderet; multis fortibusque viris amissis, ad castra refugerunt. Secuti sunt victores: irumpebantque cum fugientibus, nisi Mithridates, re provisa, peditum phalangem opposuisset.

22. Hoc prælium, detracta regi, quam habebat in equestribus copiis, fiducia, magnis commodis victorem exercitum auxit: brevique liberior ipsis, angustior hosti frumentatio, abundantiam Romanis castris, inopiam et pæne desperationem regii attulit. Nam in regionibus, paulo ante per Lucillum vastatis, exiguæ copię erant; neque acciri longius, equitatu magna ex parte amisso, poterant. Igitur crebra fiebant ad Pompeium transfugia, quibus efferatus Mithridates, quos eadem molitos cognoverat, acerbissimis suppliciis afficiebat. Inde pauciores jam, ob magnitudinem pœnæ deterritis plerisque, transfugebant: sed non ideo cessabat penuria, quæ tandem etiam invitum ad interiora regni sui Mithridatem retrusit.

23. Una spes erat, futurum, ut in locis omni elade belli vexatis non diu durare Romanus posset. Eam irri-

5 *Conjectatus* edd. ante Crev.

Dio. tam Pompeii providentia fecit, qui, dimissis ad longinqua
 Appian. frumentatoribus, maximam annonæ vim a tergo subvehi
 Front. 1. 1. jusserat. Cum esset adeptus hostem ad orientalem regni
 Plut. plagam redactum, circumvallare pugnam detrectantis cast-
 Appian. tra cœpit, vallo viginti ferme miliarium,^d crebrisque in
 circumitu castellis exædificatis.

24. Id opus Mithridates, sive prælium vitans, sive per
 imprudentiam, quæ ferme præcedere calamitatem solet,
 non impedivit. Fame mox urgente, quicquid in castris
 Plut. jumentorum erat, consumsit: ne sic quidem ultra quinque
 Dio. et quadraginta dies sufficiente victu. Præterea multos
 ad Pompeium Romanos milites venire quotidie, totumque
 Frontin. Marcii Regis exercitum, didicerat. Igitur fugam medi-
 tans, quo consilium suum occultum foret, solito latius, et
 usque ad valles ante Pompeii castra sitas pabulatus, collo-
 quia quoque cum pluribus, avertendæ suspicionis causa,
 in posteram diem constituit. Ignibus deinde frequentio-
 ribus per tota castra fieri jussis, secunda vigilia, nihil tale
 Appian. suspicante Pompeio, præter vallum ejus eduxit validam
 Dio. copiarum partem; cum antea, quod inutile et ægrum in
 Plut. castris fuerat, occidisset.

25. Ad Tigranem habebat iter, ut illius opibus prote-
 geretur. Sed haud multo meliore in statu res Tigranis
 Dio, erant, Gordyenen repetente Partho, et, postquam non da-
 xxxvii. batur, armis vexante Armeniam. Quodque omni externo
 Liv. Epit. bello erat gravius, Tigranes adolescens arma contra pa-
 Appian. trem ceperat. Tres omnino filios e Cleopatra, Mithrida-
 Justin. tis filia, Tigranes sustulerat: quorum duo a patre erant
 xxxviii. 3. interfecti: Sariaster^e in prælio, cum inita conspiratione
 Appian. cum amicis, haustoque dextrarum sanguine, vim parasset;
 alter in venatione, quod equi lapsu præcipitem patrem
 neque sublevarat, et jacentis adhuc diadema capiti suo
 imposuerat. Tertius Tigranes, quod patris casu indolu-
 erat, corona ab eo donatus est.

26. Sed idem postea, deducentibus quibusdam princi-
 Dio, pibus Armeniorum, qui senis imperio gravabantur, ad
 xxxvi.

^d *Viginti ferme miliarium*] hauserit Freinsheimius, incom-
 Septem circiter leucarum. *Crev.* pertum nobis est. *Crev.*

^e *Sariaster*] Unde hoc nomen

Phraatem confugerat, ejusque ducta filia, præcipuus in-
 vadendæ Armeniæ auctor extiterat. Igitur Phraates, Dio.
 deficientibus ad eum, aut vi subactis, quotquot ad Artax-
 ata usque colebant, (quia pater Tigranes metu Partho-
 rum in montes refugerat,) urbem obsidione cinxit. Ea
 cum diuturnior futura videretur, ipse regni sui negotiis
 avocatus, partem copiarum genero reliquit. At rex Ti-
 granes, discessu Phraatis, cognito, relictum ad Artaxata
 filium egregie vicit. Juvenis ad avum Mithridatem prius
 intendit fugam: deinde cognito ipsum potius egere auxi-
 lii, quam auxiliari cuiquam posse, in Pompeii castra
 venit.

27. Inter hæc reversus in urbem Lucullus, fratrem Plut. Luc.
 Marcum reperit a C. Memmio Gemello tribuno plebis,
 propter ea quæ Syllæ jussu quæstor gesserat, accusari. Ascon. in
 Multi enim tum in judicium ob illorum temporum delicta Tog. Cand.
 vocabantur. Sed ille quidem absolutus est. At, facto Plut.
 in Lucium impetu, Memmius, cum populo cœpit agere, Nic. Da-
 ‘ut triumphum ei negaret, multa illum intervertisse, et masc. ap.
 bellum, cum finire posset, ultro duxisse’ arguens. Athen. VII.
 Contra Lucullus, ratione gestorum reddita, contra invidiam 21. et
 meritis pugnabat: neque eo minus Pompeii potentia tanta XII. II.
 fuit, ut per venales homines tanti viri justissimus trium- Sall. Cat.
 phus in totum triennium differretur. c. 30.
 Cic. Acad.
 Quæst. IV.
 c. 1.

SUPPLEMENTUM

LIBRI CI.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

- Dio, xxxvi. 1. **M**ITHRIDATES interea Pompeium fugiens ita profectionem instituebat, ut noctibus progredetur, interdium requiesceret. Neque multum itineris præceperat, et postridie statim quam castra movisset, Romani erant extremum agmen consecuti. Nec dubitabant amici regis, quin pugnandum esset: ipse alia omnia præferens, satis habebat, equitibus emissis autecursores Pompeii repellere. Ita cedendo Mithridates, insequendo Romani, ad fines Tigranis usque processerunt. Neque enim cupido pugnandi Pompeio aut dies opportuni erant, quod castris Mithridates tum se continebat; aut noctes, quod in locis ignotis temerarium videbatur inter tenebras conflare. Sed ubi ventum ad Euphraten est, quem si transmittere Mithridates occupasset, effugerat; non diutius contandum ratus imperator, ita se exercitumque paravit, ut proxima nocte dimicaret.
- Dio. 2. Armenia minor erat, per quam ibatur: neque longe Eutrop. distabat annis, terminus hujus et alterius Armeniæ, cui Ptolem. v. 13. Tigranes imperabat. Igitur, quiescentibus sub meridiem Dio. barbaris, Romanus silentio castris egressus antevertit hos Front. ii. 2. tem, et in via, qua transeundum regiis erat, locum editiorem occupavit, ut majori impetu in subjectos decurreret.

Nocte cœpta barbari ex priore instituto capessunt iter: Dio. adeo jam soluti cura, quod ad loca tuta perventum credebant, ut nulli speculatores præcederent agmen. Idcirco prius subjectam Pompeii castris vallem ingressi, quam hostem adesse putarent, ad subitam dimicationem sunt coacti. Magnus et multiplex is terror fuit, et astu Pompeii de industria auctus. Primum enim omnes simul tubicines classicum canere jussi: eum clangorem militum lixarumque acerrimus clamor excepit, hastarumque sonitus ad clypeos allisarum, et quem inermis turba saxis ærea vasa pulsans, haud minus terribilem auribus, ciebat: eaque omnia montium repercussu in majus augebantur.

3. Hoc repentino tumultu propemodum debellatos hostes omni ex parte Romanus invasit, lapides sagittasque et pila, quamvis per densas tenebras, haud vanis ictibus ut in tantam multitudinem jaculati. Barbari longo et mixto agmine, quod ad iter, non ad prælium, erant egressi, mutuo se impediabant, inter angustias locorum equis, camelisque, et vehiculis quæ mulieres portabant, armatos turbantibus. Consumtis deinde missilibus, cominus congressus miles cædebat primos, turbabat sequentes: et cito fiebat ferro via, quod inermes plerique Ponticorum^a uno vulnere sternebantur.

Liv. Epit.
Front. 11. 1.
Dio.

4. Inter hæc emicans forte nubibus luna recreavit barbaros, ut, si nihil aliud, visuros saltem hostem sperarent, et minore pugnaturus periculo, si, quale illud, et unde maxime timendum esset, agnovissent. Sed luna¹ etiam fallax et perniciosus eis splendor fuit, cum adversos ipsorum perstringeret oculos, conspicuumque hosti agmen efficeret. Summa tamen noxæ in eo fuit, quod umbra, quæ a Romanis corporibus per longum intervallum ad suos ordines pertingebat, decepti, tanquam in propinquum hostem tela miserunt. Eo Romani animadverso, cum clamore suggesti sunt, Ponticosque tot

Frontin.
Flor. 111. 5.
Oros. vi. 4.

Plut. Dio.

1 Luna edd. ante Crev.



^a *Inermes plerique Ponticorum*] ea vox ψιλοι, qua nititur Dio hoc loco, non *inermes*, sed *leviter armatos* significat. Crev.

- Plut. malis circumventos pepulerunt. Ad millia decem eo
 Appian. prælio cecidisse traduntur, neque pauciores esse capti.
 Dio. Romani milites viginti cum duobus centurionibus inter-
 Eutr. Oros.fecti sunt; vulnerati mille. Sunt qui regionum capta
 cæsaque referant quadraginta millia: quot vix existimem
 in eo Mithridatis exercitu fuisse: præsertim cum multos
 Dio. etiam effugisse sit proditum, inter quos et Mithridates fuit.
- Plut. 5. Is jam ab initio pugnae cum equitibus octingentis
 per Romanam aciem se eripuerat. Deinde, diffugientibus
 Cic. pro metu ceteris, relictus ab omnibus, tres omnino comites re-
 Mur. c. 16. tinuit. Quo in numero pellex ejus fuit, Hypsicratea,
 Oros. Plut. masculi animi roborisque mulier, quam ideo Hypsicratem
 Suidas in Πουπήςιος. nominare rex consueverat. Ea tum virilem vestem Per-
 Eutrop. siccam induta, equo vehebatur, neque longinquitate fugæ, cum
 Val. Max. nominare rex consueverat. Ea tum virilem vestem Per-
 iv. 6. siccam induta, equo vehebatur, neque longinquitate fugæ, cum
 Plut. nec curando interim corpore et equo regis fatigata, cum
 Oros. eo ventum miseriarum esset, ut ipse plerumque per invia
 Appian. manu traheret equum: donec in globum equitum mercena-
 riorum, et peditum tria ferme millia incidit, a quibus de-
 ductus est in castellum Synoria, sic appellata, quod ibi
 Strabo xii. utriusque Armeniæ confinia coibant: quo loco Mithrida-
 p. 555. tes magnam pecuniæ vim habebat repositam. Inde sum-
 Appian. et Plut. tis pretiosis vestibus, et inter præsentibus distributis, stipen-
 dium annuum militi, donativo insuper adjecto, numeravit.
 Venenum etiam, quod in iisdem thesauris habuerat, dis-
 pertit amicis, ne cui necessum esset in manus hostium
 invito incidere.
- Appian. 6. Sex deinde talentorum portans millia,^b cum ad Ti-
 Dio. granem properaret, cognoscit legatos a se præmissos in
 Plut. vinculis, summum in caput centum a Tigrae pronuntiata ta-
 Dio. lenta^c esse, quod eum filio defectionis auctorem fuisse
 Plut. Tigranes autumabat. Igitur flectit ad fontes Euphratis
 Appian. iter, præteritis illis Colchidem petiturus. Quarto die
 contentissimo cursu pervenit ad fontes: triduumque mora-
 tus, (nam interea veteres, et quæ postea accesserant, co-
 pias recensebat, armabatque) Chotenen, majoris Armeniæ
 præfecturam, ingressus est. Prohibebant aditum Chote-

^b Sex . . . talentorum . . . millia] ^c Centum . . . talenta] Marcus
 Marcasargenti nostrates 562500. 9375. Crev.
 Crev.

ni, Iberis etiam quibusdam adjunctis. Sed hos glandibus ac missilibus pugnantes Mithridates summovit, penetravitque ad flumen Absarum. Deinde pacato per aliquot gentes itinere, Dioscuriada venit, quam in Colchis condidisse Castorum aurigæ Amphistratus et Rhecas fe-
Plin. vi. 5.
Strabo xi.
p. 496.

7. Interim Pompeius, qui ad persequendum Mithridatem partem equitum et levis armaturæ miserat, cum effugisse illum Phasi transmissio comperisset, in loco prælii novam urbem condidit. Hic quod ætate morbisve fessum in castris erat, lixasque volentes collocavit: et accessit sponte finitimorum barbarorum multitudo: Nicopolis ab argumento vocata est: inter duo flumina Euphraten Araxemque jacet, quæ ab eodem monte, diversis tamen specubus prosiliunt, non amplius sex millium intervallo. Cursus non idem utrique: nam Araxes ad orientem deflectens, in mare Caspium effunditur.
Dio. Oros.
Appian.
Dio. Oros.
Dio.
Appian.
Strabo xii.
p. 555.
Oros. Plut.
Plin. vi. 9.
Strabo xi.
p. 527.

8. Hæc agentem Tigranes juvenis accessit, ex prælio, sicut supra dictum est, profugus; ductoremque se paternum regnum invadenti præbuit. Multis itaque populis metu Pompeii, partim etiam regii juvenis favore deficientibus, rex lenitatem Romanam quam experiri maluit: missoque eaduceatore legatos transdidit Mithridatis. Sed obsistente filio, cum æqui nihil impetrasset, et, Araxe transmissio, venire Pompeium audiret, quanquam evocatis amicis cognatisque Artaxata præsidio muniverat,^d Romano se statuit dedere.
Plut.
Vell. ii. 37.
Dio.
Plut.
Dio.
Plut.

9. Sextodecimo inde milliario^e castra Pompeius locaverat: auditoque Tigranis adventu, tribunos præfectosque honoris causa miserat obviam. Eos amici comitesque regis conspicati, in metum adducti sunt, quia Tigranes nemine præmisso, neque potestate ea impetrata, veniebat,
Liv. Epit.
Eutrop.
Appian.

^d *Quanquam evocatis amicis cognatisque Artaxata præsidio muniverat*] Hic aberrat a mente Plutarchi Freinshemius. En Græca verba: ἐδέξατο μὲν εἰς τὰ βασίλεια φρουρὰν, ἀναλαβὼν τοὺς φίλους καὶ συγγενεῖς, αὐτὸς δὲ ἐπορεύετο παραδῶσαν ἑαυτὸν. Quæ sic vertit interpres: Præsidium

in regiam accepit, atque ipse cum amicis et necessariis ad deditionem faciendam perrexit. Optime; modo particula δὲ rejiciatur in anteriora post verbum ἀναλαβὼν. *Crev.*

^e *Sextodecimo inde milliario*] Quinta inde lenca, paulo amplius. *Crev.*

ne hostiliter exciperentur. Sed Tigranes, diffugientibus ceteris, nihilo secius institutum iter peregit.

Dio.

Plut.

10. Cum vallum intraret eques, duo Pompeii lictores descendere jusserunt, 'quod ita ingredi castra Romana non liceret.' Idcirco pedibus perrexit ad Pompeii tribunal, e tanto fastu rex modo regum ad pudendam humilitatem animo delapsus, habitu inter pristinam pompam et presentem fortunam temperato. Imitatione Persicorum regum tunicam albo colore distinctam, aliamque vestem

Dio.

Curt. III.
3. 17. et ibi
Freinsh.

Dio.

purpuream totam (Candys hæc, illa Sarapis vocabatur) gestare consueverat: eas tum omisit: tiaram cum diademate retinuit. Sed progressus ubi Pompeius erat, deductum capiti ad pedes illius deponere, ipse procumbens adorare imperatorem cepit, 'hoc uni se Pompeio dare' præfatus: 'neque cujusquam alterius, aut Romani, aut barbari, fidei se permissurum fuisse. Neque turpe sibi existimare ei viro subjici, quem fortuna supra omnes extulisset.'

Plut.

Appian.

Eutrop.

Vell.

Plut. Dio.

Val. Max.
v. 1.

Cic. pro
Sext. c. 27.
Vell. Plut.

Dio.

Plut.

11. Pompeius manu sublevatum, neque procidere ad genua passus, diadema suis manibus capiti ejus imposuit, regemque appellavit, et considere jussit. Ipse inter patrem filiumque medius, benigna oratione compellavit: 'neque excidisse ipsos Armenia, et insuper amicitia Romana auctos esse' confirmabat. 'Se porro nihil ademturum eorum quæ ad eam diem tenuissent: sed neque redere dudum amissa posse. L. Lucullo imputandum, quod carere oporteat Syria, Phœnicia, Cilicia, Galatia, Sophene: sibi, quod cetera relinquuntur. Ea se, ut antea, patris imperio regenda permittere: Sophenen tamen filio proprium regnum dare. At, quando bellum populo Romano sine causa commoverit Tigranes, ideo se ei multam sex millia talentorum^f dicere.' Omnem eam pecuniam, sicuti Pompeio moris erat, quæstores acceptam in publicas tabulas retulerunt. Neque enim Tigranes quicquam recusabat. Quin impetratis conditionibus, quinquagenas drachmas^g in milites Romanos, millenas in cen-

Liv. Epit.

Eutrop.

Appian.

Dio. Eutr.

Plut.

Strabo XI.
p. 530.

Suidas in
Πομπήϊος.

Vell.

Appian.

Strabo.

^f Sex millia talentorum] Vid. not. ad cap. 6. supra. Crec.

^g Quinquagenas drachmas] Un-

cias argenti nostrates 6. Millenas, marcas 15. Crec.

turiones, decuplum ejus in tribunos, hospitale munus, pronuntiavit.

12. Sed hæc ut seni, tali quidem in sorte, prospera lætaque, ita adolescenti indigna, acerba, intoleranda videntur. Dio. Plut. Is neque venienti patri assurrexerat, neque ullum aliud reverentiæ, aut etiam translaticiæ humanitatis ediderat signum. Vocatus deinde ad cœnam, quam patri Pompeius dabat, neque affuit; et ‘dixisse’ dictus est, ‘Pompeio se honoris hujus gratiam facere; neque sibi alium Romanum imperatorem defore, per quem cupita consequatur.’

13. Pompeius, his nondum auditis, aut dissimulata injuria, postridie inter patrem filiumque controversiarum Dio. arbiter sedit. Senior Tigranes patrium regnum retinere jussus, ea lege ut filio utique hærede decederet: Sophene Appian. Gordyeneque juveni sunt attributæ. Sed is thesauros Dio. etiam, nam ibi asservabantur, retinere cupiverat. Frustratus autem, nec enim aliunde promissa Romanis pecunia poterat exsolvi, tantum indignationis concepit animo, ut de fuga, atque etiam insidiis patri struendis deliberaret; incitantibus maxime proceribus, qui rege, dum ad Appian. Pompeium proficiscitur, deserto, pœnam metuebant.

14. Vanum id consilium fuit, quia Pompeius, indicio Dio. ad se delato juvenem libera custodia attinebat: missis interea circum castella, qui pecunias a custodibus patri Tigrani tradi juberent. Atque his jussa junioris expectare obtendentibus, cujus in ditone regnum Sophenes esset; adductus ad castella juvenis, cum clausa reperisset, aperiri quanquam invitus imperabat. Sed illi sic quoque recusare: ‘nam coacti, non volentis id imperium esse.’ Idcirco Pompeius ira commotus in vincula conjecit hominem. Ita demum patris in potestatem thesauri sunt traditi. Appian. Plut. Dio. Atque ille liberaliter his usus ita devinxit Pompeium, ut mox socium amicumque populi Romani appelleret; et gravem senectuti ejus discordemque filium interim haberet in vinculis, decedens secum ad triumphum abduceret. Appian.

15. Id ne fieret, socer juvenis Phraates, missis ad Plut. Pompeium legatis, impedire studuerat; ad se remitti

petens: simul terminum Parthici Romanique imperii Euphraten esse postulabat. De Tigrane responsum, 'in patris potius potestate filium, quam in potestate soceri generum censi æquum esse: terminum imperiorum eum fore, quem jus et fas statuissent.'

Appian.

16. Armeniorum calamitas Ariobarzani commodo fuit, cui tum Cappadociæ regnum est redditum: et adjectæ² Sophene Gordyeneque, Tigranis filio ante datæ: quæ ex eo tempore Cappadociæ partes sunt habitæ, et dum regnum Cappadocum stetit, et postea cum Romanorum est facta provincia. Eidem et civitatem Ciliciæ Cabala, cum nonnullis aliis, dedit. Meruerat hoc constanti adversus populum Romanum fide, ob quam longissimo tempore aspera multa toleraverat, per Tigranem, per Mithridatem aliquoties regno pulsus. Igitur casuum socium, et filium videndi regem cupidus, rerum regimen in illum superstes adhuc transtulit, memorabili exemplo. Forte a Pompeio in tribunal invitatus sella curuli sedebat; cum filium in cornu scribæ assidentem non ferens, descendit, eique diadema imposuit. Orto inde certamine, cum pari pietate senex offerret regni insignia, juvenis repelleret, auctoritas Pompeii finem dedit, confirmato patris iudicio, honoribusque novo regi exhibitis.

Strabo XII.
p. 539.
Liv. Epit.
76.
Val. Max.
v. 7.

Plut.

Liv. Epit.

Plut.

17. Pompeius, his in Armenia gestis, relictoque ad tutelam pacatorum Afranio, persequi Mithridatem conatus, per gentes feras ignotasque Caucasum accolentes exercitum circumduxit. Frequentes ille tractus populos, sed præcipuæ potentiæ Albanos et Iberos habuit. Illi ad orientem et mare Caspium porrigebantur; Albani ad Pontum et Moschicos montes pertinebant. Hæc ingressus loca Pompeius, quia periti fidiue duces deerant, tanquam in mari, astris sequebatur viam. Satis pacatum ab initio iter fuit, transitum petente Pompeio, his concedentibus; donec in Tanaiticam^b regionem perventum.

Flor. III. 5.

Plut.

Dio.

2 *Adjecta* edd. ante Crev.

^b *Tanaiticam*] Sive potius *Anaiticam*, Armenia: regionem, a Plinio memoratam, l. v. c. 24. cui

nomen videtur esse inditum ab Anaitide Dea, de qua Strabo l. xi. p. 532. Crev.

Ibi propter frigoris asperitatem hyberna tribus locis sunt posita. Tum Oræses Albanorum rex, partim amicitia Tigranis adolescentis motus, ceterum sibi timens, ne aliorum regum exemplo ab his hospitibus opprimeretur; sub ipsa Saturnalia ad quadraginta hominum millia Cyrum Plut. fluvium¹ transduxit: magna spe fore, ut incautos per Dio. hyemem Romanos, et diviso exercitu aggredientibus opportunos, simul omnibus locis adortus, ne subvenire invicem possent, aliqua certe parte operæ pretium faceret.

18. Non fefellit barbari dolus Pompeium. Igitur licet prohibere trajicientem posset, expectare dum veniret in manus maluit: nuntiisque in cetera hyberna missis, ut intenti paratique omnes essent monuit. Oræses ita partitus erat copias et negotia, ut ad eripiendum Tigranem, quem in custodia Metellus Celer habebat, ipse proficisceretur; alios adversus Pompeii castra, reliquum exercitum ad opprimendos qui cum L. Flacco erant mitteret. Nusquam spei respondit eventus. Ipse profligatus a Metello, ne ducibus quidem suis melius cecissee caepa triste nuntium accepit. Flaccus majorem castrorum ambitum defensu difficilem ratus, interius munimentum struxerat: deinde simulato metu attractos intra prius vallum hostes, subita eruptione ceciderat; multis in prælio, neque paucioribus in fuga interentis. Pompeius adversum se venientes, obviam egressus, eo ipso exterruit: et qui necopinantem opprimi posse speraverant, in hoc incommodum ipsi inciderunt. At ille post hanc victoriam nihil moratus Oræsen petebat: sed barbarus jam prævererat. Magna tamen Albanorum multitudo in transitu Cyri occupata atque interfecta est. Plut.

19. Oræses, legatis ad imperatorem missis, veniam pacemque petiit: 'neque enim fas esse, fratres invicem agitare hostilia.' Hercules enim, cum boves Geryonis per Justin. XLII. 3. Italiam ageret, ab Albano monte majores eorum in ea loca transduxisse credebatur; quemadmodum et Iberos ab Hispania, quam Iberiam Græci vocant, quantumvis Appian.

¹ *Cyrum fluvium*] Hoc verum est hujus fluvii nomen, non *Cyrnus*, ut apud Dionem; non *Cyrtus*, ut apud Appianum corrupte

legitur. Vid. infra c. 32. et Cellar. Geogr. Antiq. l. III. cap. 10. *Crev.*

Plut. Dio. ineptis fabulis læti, nullo nisi nominis argumento, venisse tradiderunt. Dedit tamen Albanis veniam Pompeius, non tam cognationis causa, quam quia per tempus anni parum bello commodum, exercitum quiete refici convenientius judicabat.

Flor. iv. 1. 20. Iisdem temporibus dum ad orientem arma Romana peregrinantur, periculosa domi conjuratio erupit, ab ambitu consularium comitorum profecta. Namque L. Cic. in Tog. Cand. et ibi Asc. Catilina, cum ex prætura Africam obtinuisset, ad petitionem decesserat. Sed quia graviter vexaverat provinciam, Afri legati jam tum de absente erant questi, multæque graves in senatu de eo sententiæ dictæ. Postulatus deinde a P. Clodio, non minus fædo homine, contra testimonium Q. Metelli Pii, prævaricatione, ut putatur, accusatoris, est absolutus ab equitibus et tribunis ærariis, cum senatorum urna damnasset. Dolebat tamen, quod ea res, cum intra legitimos dies profiteri non posset, petitorio consulatum impedimento fuerat. Rationem enim ejus haberi non posse, referente ad consilium L. Volcatio Tullo consule, qui comitia habebat, erat judicatum.

Dio. 21. Forte acciderat ut paulo ante designati consules P. Autronius³ Pætus, P. Cornelius, Servio Sylla dictatoris fratre genitus, lege Calpurnia postularentur; hisque damnatis, L. Cottæ, L. Torquato, consulatus destinaretur: nam Cotta Autronium, Torquatus Syllam reos peregerant. Hi igitur, sociatis cum Catilina consiliis, paucos præterea participes adhibuerunt.

Sall. Asc. Dio. Ascon. in Corn. Cic. de Fin. ii. 19. Dio. Sueton. Cæs. c. 9. Sallust. Sueton. 22. De Cn. Pisone, nobili et audaci juvene, non dubitatur, quocum circiter Nonas Decembres rem Catilina et Autronius communicarunt. Sed M. Crassus consularis, et designatus ædilis C. Cæsar, venerunt in suspicionem: multis, tanquam rem haud dubiam, non tantum credentibus, sed etiam posterorum prodentibus memoriæ. Ii 'convenisse' dicunt, 'ut principio anni senatum adorirentur: et trucidatis quos placitum esset, consulibus ante omnes, dictaturam Crassus invaderet, Cæsar ab eo magister equitum diceretur: constitutaque ad arbitrium republica, Syllæ et Autronio consulatus restitueretur.'

3 Ex Sallust. emend. Crev. *Autronius* erat in edd. præcc.

23. Sed emanavit indicium rei, senatumque perpulit, ut consulibus magistratum inituris præsidium decernerent. Factum etiam contra conjuratos senatusconsultum erat: sed ei, tanquam re nondum satis cognita, tribunus quidam plebis intercessit. Kalendis Januariis, cum L. Aurelius M. F. Cotta, L. Manlius L. F. Torquatus in Capitolium ascendissent, quo die locoque patratri eadem conjurati fuerant; * conspectum præsidium audaciam emovit mentibus, Crassusque, pœnitentia an metu incertum, destituit socios: eoque ne Cæsar quidem signum, quod ab eo dari convenerat, dedit. 'Convenisse' autem C. Curio pater in orationibus scriptum reliquit, 'ut togam de humero dejiceret.'

Sallust.
Cic. pro
Syll. c. 24.
Sallust.
Dio. Suet.

24. Ilcirco rursus in Nonas Februarias consilium cædis transtulerunt, jam non consulibus modo, sed plerisque senatoribus exitio destinatis. Erant autem Nonis ex more patres in senatu affuturi. Sed tum etiam cessatum est a conjuratis, quia Catilina, cum nondum frequentes armati convenissent, signum premature dederat. Neque tamen ideo spiritus sceleratorum conciderunt: præcipua Pisonis ferocia, prioribus consiliis non ita dissimulanter instantis, ut paulo diligentiores fallere posset. Igitur, cum M. Cicero ex prætura in provinciam ire nollet, Crasso annitente, Piso in Hispaniam quæstor pro prætore missus est: nec invito senatu, qui pestiferum civem procul urbe tenere cupiebat; et quia Pompeii potentia multis erat formidini, hunc ejus inimicum cupidius ornabant.

Sallust.
Cic. pro
Mur. c. 38.
Manut. de
Sen. Rom.
Sall. et
Ascon. in
Tog. Cand.

Cic. pro
Mur. c. 20.
Sall. et ibi
Inscript.
Vetus in
Not. ap.
J. Wasse.
Sallust.
Sueton.

25. Tum quoque cum eo conspirasse Cæsarem auctores habeo, ut foris Piso, Cæsar Romæ ad res novas consurgerent. Sed id consilium inopinata mors Pisonis dissipavit; quem in itinere Hispani quidam equites peremerunt. Ea de re diversus in civitate rumor extitit: plerique propter injurias proprias id facinus ausos Hispanos putabant. Alii equites illos e veteribus fidisque clientibus Pompeii fuisse arguebant; neque tale facinus unquam antea patratum apud eam gentem, sæva et injusta imperia multa perpessam.

Dio. Sall.

Asc. Sall.

* A. U. C. 687. A. C. 65.

26. Inter has solitudines anxiam civitatem religiones etiam, et haruspicum gravia responsa terruerunt. Tacitum fulmine Capitolium fuerat, complures turres percussæ, lupa gemellos lactans icta, signumque Jovis cum columna, et statua vetus Pinarii Nattæ dejecta,⁴ et legum æra liquefacta. De his consulti haruspices, cum ex tota Etruria convenissent, ‘incendia templorum, interitum legum et imperii appropinquare’ dixerunt: ‘idque periculum a civibus, iisque nobili stirpe prognatis, imminere.’ Itaque ludi per dies decem, aliaque placandis numinibus facta. Signum quoque Jovis majus faciendum, et in excelso collocandum, ita ut ad orientem spectans (nam prius contra fuerat) Foro et Curia obverteretur, consules locaverunt. ‘Sic enim fore, ut consilia contra salutem Urbis et imperii clam inita, senatui populoque Romano conspicua fierent,’ iidem haruspices docuerant.

27. Interea Cn. Pompeius, quanquam regnum Ponti possederat, nihil actum credens, donec rex viveret, sui que juris animum ac corpus retineret, Mithridatem persequabatur, et obsistentes in itinere reges nationesque debellabat. Cum Albanis et Iberis maximum negotium fuerat. Sed illi nuper victi quiescebant: Iberos antiquæ libertatis fiducia, (neque enim Medis Persisque, neque postea Alexandro servierant,) et Artocis regis infelix astutia, in belli calamitatem egit.

28. Nam is post impetratam per legatos amicitiam, incautiores ideo Romanos adoriri statuerat. Sed Pompeius, re cognita, prius occupandum existimans, quam se ex suo commodo paravisset; ut cito agmine difficillimos gentis aditus præriperet, urbem Acropolin, (sic vocabant) ignaro adhuc expeditionis hujus Artoce, circumsegit, claustrum gentis, ad Caucasi fauces obstruendas conditum. Hæc fama regem ita exterruit, ut, Cyro amice superato, pontem exureret: eoque facilius potiti urbe Romani, præsidio imposito, transitus in potestate habuerunt: atque inde progressi, totam eis fluvium regionem subegerunt.

29. Jam et Cyrum transcendere Pompeius parabat,

Cic. de
Div. 1. 12.
et in Cat.
111. 8.
Jul. Obseq.

Cic. utro-
bique.

Cic. pro
Mur. c. 16.

Liv. Epit.

Dio,
xxxvi.
Plut.
Pomp. c. 57.
Dio,
xxxvii.

cum legati ab Artocce affuerunt, pacem orantes; pontemque ad transeundum, et alia necessaria pollicebantur. His cum fide præstitis, Artoces, simul Pompeium transisse comperit, denuo timens, ad Pelorum amnem (is quoque per Iberos volvitur) se recepit. Pompeius inconsultam hominis pravitatem admiratus, qui quos arcere transitu poterat, et tanquam amicos recepisset, et tanquam hostes vitaret, citatis itineribus cis flumen eum deprehendit: celeriterque invecus, cum arcubus utendi, quo genere pugnae plurimum Iberi valebant, spatium abstulisset, acie victum Artocen trans Pelorum fugere coëgit. Magna tamen multitudo pugnando, aut dum flumen vado transmeare tentant, interiit. Alii pro more gentium istarum densis nemoribus occultati, cum ab arboribus præaltis jacularentur, exeis illis afflictis elisique sunt. Ad novem millia hominum interfecta, supra decem capta esse, traditum.

Appian.
Mithrid.
Dio.
Plut.

30. Ea elades subegit Artocen, ut denuo legatos cum muneribus mitteret, serio jam pacis cupidus. Neque Pompeius ab ea abhorrebat, ad alia festinans: sed fidem barbari, semel iterumque deceptus, idoneis pignoribus cupiebat obligare. Donis igitur acceptis, ne spem fœderum abrumperet, conventurum negavit, ni liberos Artoces obsidum loco mitteret. Ille rem anxia deliberatione traxit, donec Pelorum quoque vado per æstatem reperto Romani transierunt. Tum demum, abjecta contatione, tradidit, qui postulabantur, obsides, pacemque impetravit.

Dio.
Flor. III. 5.
Dio.

31. Pompeius, Phasin haud procul abesse, cognito, in Bosporum, ubi Mithridates agebat, transiturus, per Colchos finitimosque populos, partim voluntate eorum, partim vi pulsus qui obstiterant Colchis, invenit viam. Ceterum animo reputans reliquum iter neque terra per multas bellicosasque nationes facile, mari etiam ob importuosa litora et feritatem accolentium periculosius fore; Servilio qui classi præerat, negotium dedit 'Mithridatem observandi, neque sinendi aut enavigare ipsum, aut quicquam ad eum portari.'

Strabo XI.
p. 495.
Plut. et Dio.

32. Motis deinde castris, ut Albanos, qui interim defecerant, coëceret, non proximo itinere Cyrum petiit, quod barbari palis in flumine defixis impediverant; sed in

Armeniam regressus, ubi minore adhuc aquarum copia vadari per æstatem poterat, aditum moliebatur. Cyrus

Plin. vi. 9. enim (quem nonnulli Cyrnum vocant, corrupte forsitan, et 13. cum et in propinquo fuerit Cambyses amnis) Coraxicis montibus ortus, ab Iberis et Albanis Armeniam dividit :

Plut. acceptoque (ut plures existimant) Araxe, duodecim ostiis Appian. in mare Caspium decurrit.

Dio. 33. Difficilis tamen sic quoque transitus fuit (quanquam repertum et vadum, et ab hoste otium erat) ob vim et rapiditatem fluminis. Idcirco Pompeius ita ordinavit agmen, ut equites supra, inferius jumenta sarcinaria, in imo milites transmitterent. Sic exceptus fractusque ab equitibus cursus aquarum, molliorem pediti transitum dabat ; et, si quod jumentum vi fluctuum corripere, excipi statim ac sublevari a peditatu poterat.

34. Hinc ad Cambysen amnem perventum, quieto ab hostibus itinere, sed ob æstum sitimque infesto, quanquam ad hæc incommoda vitanda noctu plerumque proficiscebantur. Duces enim, cum ex captivis essent, de industria per difficilia loca circumducebant agmen. Ipsum quoque flumen, quod frigidissimas aquas veheret, damno majori quam solatio sitientibus fuit : et multi cum affatim se ingurgitassent, in morbos inciderunt. Inde cum adhuc hostile nihil appareret, per Cambysenam ad Abanta fluvium processum, nihil præter aquam deferente secum exercitu, quæ decem utrium millibus portabatur : nam arida illa et aquarum inops regio est. Cetera benigne præbebantur ab incolis, eoque vicissim omnis ab iis injuria abstinebatur.

Plut. Strabo xi. p. 501. Dio.

Appian. Plut. Strabo xi. p. 502. Plut.

Dio. 35. Hoc flumen transgressis Oræses cum ingenti exercitu adesse nuntiatur. Sexaginta millia peditum, duodecim equitum fuisse referuntur, Albani Iberique ; male plerumque armati, nec nisi ferarum tecti tergoribus. Igitur Pompeius longa magis itinera, et difficilem persecutionem, quam aciem hostium timens, ut ad pugnam eos eliceret, equites in æquum locum præmittit : post illos Front. ii. 3. juxta callem in angustiis locatum militem galeas, ne illarum fulgore proderentur, scuto tegere, et in genua se demittere⁵ jubet.

36. Oræses, solis equitibus conspectis, quo genere ar- Dio.
 morum prævalebat, contentim invectus, post levem pug-
 nam (sic enim præceptum fuerat) refugientes strenue per- Frontin.
 sequitur. At illi cum ad peditatum suum pervenissent, et Dio.
 in latera discurrentes, spatium legionibus aperuerunt. Ab
 iis inopinato prælio excepti hostes, ab equitibus utrimque
 circumventi magnam suorum multitudinem amiserunt.
 Reliqui cum in sylvas se recepissent, Pompeius exercitu Appian.
 circumdato ignes admoveri jussit. Pars pleraque incen-
 dio; qui erumpere tentaverant, excepti ab armatis per-
 ierunt: et gaudebat cædibus miles, ob tentatas nuper insi- Dio.
 dias infestus, quarum memoria continenter inclamabant
 ferientes, ‘Hem Saturnalia!’ nam sub eos dies opprimere
 Romanos Albani cogitaverant. Sed eo in prælio non
 tantum imperatoris, verum etiam militis Pompeius exple- Plut. et
 vit munia, fratre regis prostrato, Cosin vocabant; qui Zonar.
 jaculo Pompeium petens, cum loricae commissuram per-
 cussisset, hasta Romani transfixus cecidit.

37. Dum spolia leguntur, peltas cothurnosque repertos
 esse ferunt, qualibus Amazones usæ creduntur, corpus
 tamen muliebre nullum repertum: alii fabulam augent,
 inter obsides captivosque multos generis ejus fuisse, ho- Appian.
 nestis inter pugandum acceptis vulneribus. Adeo fami-
 liare hominibus est, per vaniloquentiam a veris ad mira et
 incredibilia desciscere.

38. Ceterum Oræses, hac clade, et, quæ illam excepit, Dio.
 vastatione regni domitus, missa legatione pacem petiit:
 deditque Pompeius jusso a montibus (nam sub ipso Cau- Flor.
 caso castra posuerat) in plana descendere. Atque ille Oros. vi. 4.
 non paruit modo, sed ultro etiam cum epistolis munera
 misit, lectulum, mensam, solium, omnia aurea. Quæ pro Plut.
 more suo Pompeius quæstori referenda in tabulas dedit, Vell. ii. 37.
 regemque aliis quibusdam donis est remuneratus. Mise-
 runt et reliqui plerique Caucasum inde ad Caspium usque Flor.
 mare accolentes populi de pace legatos: quam haud gra- Dio.
 vate concessit, quia jam expeditionem hanc finire, et ad
 componendas quas recens confecerat provincias, itemque
 Parthorum consilia speculanda, præverti statuerat. Plut.

39. Post pugnam enim cupiditas invaserat animum

ejus ad mare Caspium penetrandi, quo termino Romanum imperium ab oriente finiret; sicut ad meridiem oceano, ad occidentem Atlantico,^k rebus in Africa et Hispania gerendis, terminaverat. Nec amplius tridui itinere aberat: sed multitudine et exitiali veneno anguium deterritus, in Armeniam^l regressus est: ne Mithridatem quidem ultra persequens, 'cui se acriorem hostem relinquere, famem,' dictitabat. Edixerat enim, 'ne quis negotiator commeatum ad ea loca deportaret: qui fecisset, eum se pro hoste habiturum.' Et ne contemni posset, classis disposita erat, exceptura, qui contra ejus edictum navigassent.

40. Dum his curis Pompeius dstringitur, Mithridates a Colchis, ubi hybernauerat, per Scythicas gentes, quarum multitudinem atque pugnacitatem vix florentibus rebus esset aggredi ausus, Bosphorum petebat. Et Heniochi quidem transitum haud inviti dederunt: per Achæos vi et manu parandus fuit, qui super insitam feritatem, paucos ante annos bello appetiti iras retinebant. Græcorum id genus esse traditum est, ab Achæis qui Phthiotæ vocati sunt, oriundum. Inde vel ab Jasonis exercitu, vel a bello Trojano reliquæ, cum navibus ad redeundum destituerentur, quæ tempestate ad ea littora ejectæ perierant; inter feras gentes humanitatem omnem exuerunt, ad latrocinia, etiamsi propositum abfuisset, locorum egestate coacti. Quippe, cunctis circum hostilibus, in verticibus asperorum et nivosorum montium sedes figere necessum habuerant.

41. At Mithridates, transducto per fines horum exercitu, cum Mæoticas gentes attigisset; a regulis passim, ob famam virtutis et potentiæ, et vires tum quoque non contemnendas, hospitaliter exceptus deductusque, acceptis datisque muneribus societatem belli cum iis pepigit, multa et ingentia animo volutans: et quo firmior esset amicitia,

^k *Ad meridiem oceano, ad occidentem Atlantico*] Hæc parum accurate dicta sunt. Plutarchus observat Pompeium, dum in Africa res gereret, primum Romanorum ducum, ad mare quod extrinsecus est, sive oceanum

Atlanticum, penetrasse; rursus in Hispania, Romanum imperium mari Atlantico terminasse. *Crcv.*

^l *In Armeniam*] Minorem, ut diserte memorat Plutarchus. *Crcv.*

filiis (habebat enim multas ex diversis mulieribus) potentissimis eorum despondit.

42. Hæc cum filius Mithridatis Machares, qui tum in Bosporo regnabat, cognovisset, tam brevi tempore tot indomitas gentes, et celebrata sermonibus Scythiæ claustra perrupta, suoque jam regno proximum patrem esse; misit ad eum legatos, ‘necessitatem’ excusans, ‘quæ omnia alia cupientem Romanas sequi partes adegisset:’ ipse Dio, xxxvi. Appian. patris conspectum, implacabilem ejus iram sciens, vitabat. Quoque tutior ab illius odio foret, plerisque concrematis, ut sequendi facultatem adimeret, cum ceteris navibus in Chersonesum concessit. At Mithridates, aliis repertis, misit certos, qui, promissa impunitate præmiisque, Dio. Appian. Macharis amicos ad tollendum herum incitarent. Quibus ille rebus cognitis, desperataque salute, sibi ipse conscivit necem. Mithridates amicorum ejus quos ipse addiderat filio, tanquam proditores affecit suppliciis: quos postea Machares sibi paraverat, iis pepereit, nihil contra se deliquisse dicens, cui nullo obstricti beneficio fuissent.

SUPPLEMENTUM

LIBRI CII.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

Plut.
Pomp. c. 59.

Dio,
xxxvii.

Plut. Dio.

1. **I**NTEREA Pompeius in minorem Armeniam reversus, obvios Elymæorum Medorumque legatos habuit, amicitiam petentium : quibus ille respondit comiter, literasque plenas humanitatis ad reges dedit. Phraates etiam Pompeii gesta fortunamque veritus (cujus et legati per absentiam imperatoris quicquid in Armenia Pontoque fuerat reliquum subegerant, et Gabinius Euphrate transito jam ad Tigrin pervenerat) de renovanda societate et amicitia legationem misit. Nihil impetratum : quia fidens sibi Pompeius superbe legatis responderat, etiam Gordyene repetita, de qua cum Tigrane Phraates dimicabat. Illis nihil ad hoc reagentibus, nec enim mandatum acceperant, literas dedit ad Phraatem ; nec expectato responso, cum exercitu Afranium misit.

2. Hic nullo negotio repulit Parthos, et jussu Pompeii Gordyenen Armenio restituit. Cum deinde fugientes per Mesopotamiam ad Arbelitin usque præfecturam insequeretur ; ignorantia locorum aberravit a via, multaque per inopiam et hyberna frigora passus, haud procul abfuit exitio, nisi Carrheni, colonia Macedonum, excepissent eum atque deduxissent. Phraates, ' contra pucta

Romanos in suæ ditionis loca irrupisse' causatus, gravem instituit per legatos querimoniam; illud etiam inter offensas numerans, 'quod se regem regum appellari solitum, Pompeius in epistolis tantummodo regem nominaret.' Plut. Dio.

3. Eadem hyeme firmissimum castellum (Symphoriotichos vocabant) in quo thesauri Mithridatis erant, Romani, tradente Stratonica, receperunt. Ea in matrimonium regis ex humili fortuna venerat, cum psallens in convivio placuisset. Castoris enim senis et pauperuli erat filia: sed repente in cubile regis recepta, patrem quoque divitiis cumulavit. Plut. Appian. Mithrid. Plut.

4. Nondum satis certa luce ministri regii vestes pretiosas, vasa aurea et argentea, cum alia suppellectile plurima, domum ejus attulerunt. Quibus conspectis, senex, et sua esse audiens, ludibrio se ratus haberi, proripere se per ostium voluit: donec retinentibus, doctentibusque 'divitiis ejusdem hæreditatem beneficio regis donari, atque hæc initia tantum esse honoris et opum, quas mox esset habiturus,' vix tandem credidit; tanto perfusus gaudio, ut propemodum de potestate exiret.

5. Sane purpuram indutus, prosequente copiosa familia per urbem obequitabat, clamitans, 'Hæc omnia mea sunt:' et ridentibus obviis, 'id mirum esse' negabat; 'sed quod occurrentes sibi præ nimia voluptate lapidibus non incesseret.' Hoc sunt et possunt divitiæ, hisque interdum modis illuduntur et illudunt.

6. Illa ergo Stratonice, relictam se et quasi neglectam a rege dolens, salutem Nipharis pacta, quem Mithridati pepererat, si forte venisset in potestatem Romanorum, castellum thesaurosque Pompeio tradidit, multis a se adjectis muneribus. Validum in arce præsidium Mithridates reliquerat. Sed mulier composito dolo maximam ejus partem per causam advehendi commeatus emisit: deinde Romanis haud procul inde latitantibus aperuit portas. Pompeius, ablata pecunia, quæ subterraneo in specu vasis æneis ferro vinctis ignota vulgo servabatur, et ex muneribus quod ornatui templorum aut triumphii accommodatum videbatur; cetera habere Stratoniceen jussit. Sed nec illam, nec quamvis aliam regiarum mu- Dio. Appian. Plut. Dio. Appian. Plut.



lierum, cum captæ deditæque plurimæ essent, attigit; verum remisit eas ad parentes propinquosve. Regulorum enim et ducum pleræque filiæ aut uxores erant.

7. Exinde profectus Amisum in hyberna, justa quadam ultione in eandem reprehensionem incidit, qua criminatus Lucullum fuerat, ut manente bello (nam in Bosphoro Mithridates haud exiguo instructus exercitu regnabat) res ordinaret, honoresque et præmia distribueret. Maximo ibi concursu principum Asiæ et orientis, reges quoque barbari duodecim affuerunt. In hoc tam celebri conventu Armeniam, Colchos, Cappadociam, et Syriam composuit: Pontum in provinciæ formam redegit: Armeniam minorem Dejotaro Galatæ, cujus maximis auxiliis erat usus, quemque ex animo amicum, vereque benevolum populo Romano iudicabat, dono dedit. Paphlagoniam Attalo et Pylæmeni reddidit, unde Mithridates eos expulerat: Colchis Aristarchum regem dedit. Comanis Ponticis sacerdotem præfecit Archelaum, Archelai quem Sylla vicerat filium; quod sacerdotium regias pæne opes ac dignitatem habebat. Bellona hic et Cappadociæ Comanis colebatur: paribus utrobique legibus, et antistitum opulentia. Pompeius Archelao, præter agrum antiquitus sacrum, duos adjecit in orbem schænos, id est passuum septem millia quingentos.^a

8. His confectis, per Cappadociam in Syriam movit, cum, domitis per Afranium Arabibus Amani accolis, viam sibi patefecisset. In itinere cum præter Zielam^b duceret, ubi reliquiæ Triarianæ cladis insepultæ jacebant, tumulum iis struxit, et persolvit extrema magnifice. Quod neglectum a Lucullo, sauciis antea militum animis, haud mediocris ad pristina odia cumulus accesserat.

^a *Duos schænos, id est, passuum septem millia quingentos]* Duo schæni, ut exponit hoc loco Strabo, (nam alibi alium schænenis modum assignat, ut dicemus in nota ad l. CXII. c. 8. infra,) sexaginta stadiorum sunt: octo autem stadia, ex unanimi omnium consensu, æquiparantur mille passibus. Itaque constat duos

schænos idem esse ac passuum septem millia quingentos, non trecentos, quod hactenus apud Freinshemium legebatur. Septem millia passuum et quingenti sunt duæ leucæ nostrates cum dimidia. *Crev.*

^b *Zielam]* Hujus urbis nomen scribitur quoque *Zela*. *Crev.*

Oros. VI. 4.
Liv. Epit.
Eutrop. VI.
Cic. Phil.
XI. 13.
Appian. et
Eutrop.

Strab. XII.
p. 557. et
558. et
Appian.
Hirt. de B.
Alex. c. 66.
Strabo.

Plut.

Supra,
xcviii. 91.
Plut.

9. Dum cum ad modum Pompeius incrementa gloriæ potentiaque bello quærit, C. Cæsar civilibus artibus ad opes vastissimo animo concupiscendas struens aditum, splendida ædilitate fungebatur. Nam Romanis Megalensibusque ludis, præter Comitium ac forum basilicasque, etiam Capitolium temporariis porticibus ornaverat, in quibus, abundante rerum copia, pars apparatus spectanda proponeretur.

Plut. Cæs.
Dio.
Suet. Cæs.
c. 10.

10. Venationes autem ludosque et cum collega M. Bibulo, et separatim edidit: quo factum, ut communium quoque nomen et gratia penes eum solum esset: ut 'evenisse sibi' Bibulus, 'quod Polluci,' diceret: 'ut enim Geminis in foro ædes posita, tantum Castoris diceretur, ita suam Cæsarisque munificentiam, unius Cæsaris dici.'

Dio. et
Suet.

11. Adjecit insuper et gladiatorium munus Cæsar, patris memoriam celebrans; paribus trecentis et viginti datis, cum aliquanto plura destinasset. Sub idem enim tempus senatusconsulto de numero gladiatorum cautum est, quo ne majorem cuiquam habere Romæ liceret: quia Cæsar multis lanistarum comparatis familiis, inimicos, quasi ad vim his usus, exterruerat. Gladiatorio muneri et epulum adjecit. Ob has largitiones, et quia dudum curator Appiæ Viæ creatus, multum de suo impenderat, maximum sibi favorem populi conciliavit.

Plut. Cæs.
Sueton.

12. Sed et illud lætum vulgo fuit, quod monumentum C. Marii de Jugurtha, deque Cimbris, quod¹ Sylla disjecerat, a Cæsare est restitutum. Is statuas Marii et troppæa clam fabricata noctu in Capitolio posuit. Postridie cum auri splendor et artificis industria oculos hominum adverteret, momento per Urbem diditus rumor, ingentem ad id spectaculum concursum excitavit.

Sueton.
Plut.
Propert.
III. 11. 46.
Plut.

13. Ad audaciam juvenis, (neque enim quenquam fallabat ejus rei auctor,) inter diversos laudantium reprehendentiumque motus, universi stupebant. At inimici magnis clamoribus id videlicet ambitione munerum quæsitum esse testabantur, ut hoc palpo mansuefactus populus, instar ferocis equi, frænum sibi injici pateretur. Nam ista pro-

1 Quæ pro quod legitur in edd. ante Crev.

fecto tentantis patientiam hominum,^c et viam ad regnum molientis esse. Contra Marianarum partium homines, ingens multitudo plausu complebat Capitolium, profusisque ad conspectum statuarum præ gaudio lacrymis, Cæsarem faustis vocibus omnibusque prosequerantur, unum omnium affinitate C. Marii dignum prædicantes.

14. Coacto haec ob rem senatu, Q. Catulus, accusans Cæsarem, inter alia multa nobilem illam vocem misit; ‘Nec enim jam cuniculis Cæsar, sed machinis, petit rempublicam.’ Cum autem Cæsar ita respondisset, ut senatui probaret causam; faventium adeo sunt erecti animi, ut nemini se summittere juberent, ad omnia magna natum, et populi studiis consecuturum quidlibet.

Ascon. in
Corn.
Lactant.
vi. 2.
Ascon.
Val. Max.
viii. 5.
Ascon.

15. Eodem anno C. Cornelius majestatis reus apud Q. Gallium² prætorem, a Cicerone longissima oratione defensus est: quanquam Q. Hortensius, Q. Metellus Pius, M. Lucullus,^d M. Lepidus testimonium in eum infense dixerant, negantes eo salvo stare rempublicam posse: præterea Q. Catulus, cujus eo anno censura, collega M. Licinio Crasso, parum concors aut utilis rei-publicæ fuit.

Plat. Crass.

16. Nulla enim re gesta (quippe neque senatus aut eques ab his recensitus, neque populi census actus est) magistratu se abdicarunt. Causa dissidii penes Crassum fuisse creditur, nota Catuli lenitate et modestia. Quidam de civitate Transpadanis danda discordes habuisse sententias ferunt: quos Cæsar, et hujus plerumque consiliis in-

Dio.
Suet. Cæs.
c. 9.

2 Ex Ascon. emend. Crev. Antea erat *Gallum*.

^c *Tentantis patientiam hominum*] Spectavit profecto Freinshemius illud Livii l. i. cap. 32. ‘tentari patientiam, et tentam contemni.’ Itaque mutare non dubitavimus quod priores editi hoc loco habebant, *potentiam*. Crev.

^d *M. Lucullus*] Hic Lucullus testis in Cornelium duplici loco ab Asconio nominatus, primo *L.* vocatur, deinde *M. Marcum* fuisse credidimus, quia *L. Lucullus*

nec fuit in Italia dum Cornelius ante triennium (vid. supra, l. xcix. c. 38.) tribunitiis actionibus optimates vexaret; et nunc ad Urbem fuit, quam ingredi non poterat, nec proinde testimonium in foro apud prætorem dicere, propterea quod triumphum decerni sibi expectabat, quem altero demum post hunc anno egit. Vid. infra hoc libro, c. 75. Crev.

nexus Crassus fovebant. Apud alios restitisse Catulum collegæ reperio, vectigalem facere Ægyptum molienti.

Ascon. in
Tog. Cand.
Plut.

17. Cum hoc tanto et tam egregio viro per eadem tempora Catoni nata est dissensio. Is enim deprecanti multam clientis Catulo, mira severitate inexorabilem se præbuit: eoque, ut molestius instanti diceret, 'Turpe est, Q. Catule, te, cum sis censor, a meis ministris hinc abripi discedere nolentem.' Catulus ad hæc, labra movens, nec reperto quid responderet, prohibente pudore vocem, quam ira impellebat, tacitus se proripuit. Tam multiplices inter discordias potentium C. Papius tribunus plebis haud vano metu multitudinem ignotorum hominum suspectam habens, peregrinos, exceptis qui sedes haberent in Italia, et uno nominatim Glaucippo, urbe summovit, lege in id lata.

Plut. Cat.
Min. et de
Vit. Pud.
c. 18. et
Præc. Polit.
c. 30.

Dio.
Cic. de
Off. 111. 11.
Cic. in
Rull. 1. 4.

18. Jam L. Julius Cæsar, C. Marcius Figulus consules erant;* cum C. Cæsar, ut se experiretur, et inimicis ægre faceret, eorumque diminueret auctoritatem, in exercenda de sicariis quæstione, eos quoque sicariorum numero habuit, qui proscriptione Syllana ob relata civium Romanorum capita præmium acceperant, quamquam excepti Corneliis legibus erant. Eorum hominum causam Cato tum quæstor præjudicio premebat, quod ab iis acceptam ob cædes pecuniam, turpitudinem facti simul vehementer exprobrans, exegerat. Sic deinde traherentur ad iudices, et velut a Catone prædamnati, tristes sententias auferebant. Damnati sunt L. Luscius notus centurio Syllanus, et tam dives ex victoria factus, ut amplius centies^e rem haberet; itemque L. Bellienus avunculus Catilinæ, qui Syllæ jussu Lueretium in foro confoderat: mirantibus, quibus improvisa res acciderat, ut quos formidabiles prius omnibus vidissent, eosdem reos, humiles, sordidos, postremo sanctionibus pœnisque obnoxios cernerent.

Dio.
Sueton.

Plut. Cat.
Min.

Cic. in
Tog. Cand.
et ibi Asc.
et Dio.

19. Post paucos deinde menses a dissimili causa par admiratio fuit: quod his damnatis, quorum alter inficiatus erat factum, alter imperio dictatoris paruerat,

* A. U. C. 688. A. C. 64. nostratium 39062. unciarum 4.
^e Centies] Marcarum argenti Crev.

Catilina est absolutus, quem post repulsam in petitione consulatus L. Lucullus, qui postea quoque eundem honorem petiit,^f lege de sicariis postulaverat.

Oros. vi. 5. 20. Inter hæc Mithridates, Cerealia in Bosporo celebrans, repentino terræ motu est turbatus, quo violentioris non extabat memoria: clades inde plurima fuit, oppidorum quoque haud pauca graviter sunt afflicta. Sed ille, Panticapæo recepto, quod ad ostium Ponti Europææ partis emporium est, cum trans fretum agere Stratonicen comperisset, communem filium, cujus illa salutem pacta a Pompeio fuerat, in conspectu mulieris interfecit, abjicique insepultum jussit: bonum patrem exuens, ut malum maritum ageret. Legatos deinde ad Pompeium misit, paternum sibi regnum concedi postulans, vectigali stipendiarioque populi Romani futuro. Pompeius adhuc vivere Mithridatem miratus, ad se venire jussit, Tigranis exemplo. Quod ubi est relatum; 'Facerem,' inquit, 'nisi essem Mithridates. Aliquot tamen filios et amicorum principes mittam.'

Dio.
Appian.

Dio. Oros.
Appian.

21. Nec ideo segnius delectum habebat, ingenuos servosque promiscue sacramento adigens. Arma item telaque et machinas intente parabat; neque arboribus fructiferis parcens, neque bobus aratorum, qui ob nervos, quorum copia opus ad machinas erat, frequentes occidebantur. Ob hæc, et quia tenuissimis etiam tributum erat impositum, invisum esse vulgo Mithridatis imperium cœpit: et ministrorum culpa crescebant offensæ, quod, latente propter morbum rege, per superbiam et avaritiam in populares multa delinquebant. Mithridates enim ulcerosam abscondens faciem, a nemine patiebatur aspici, extra spadones, qui et medicabantur. Cum percuratus

^f L. Lucullus, qui postea quoque eundem honorem petiit] Hand facile est statuere, quis sit hic Lucullus. Asconius, ex quo hæc desumpta sunt, paulo post mentionem facit orationem Luceii in Catilinam. Hinc nobis verisimile videtur hic legendum esse *Luceius*, pro *L. Lucullus*. Pulchre enim omnia conveniunt. Hic accusator

Catilinæ dicitur ab Asconio fuisse 'paratus cruditusque:' Luceii eruditio nota est ex epistolis ad eum Ciceronis. Idem qui Catilinam nunc accusat, consulatum postea petiit, nec consecutus est. Luceius consulatum cum Cæsare et Bibulo frustra petiit: qua de re vid. infra CIII. 77. *Crev.*

esset, jam sexaginta cohortes sexcenariæ sub signis erant, lecta juventus, præter inconditam multitudinem: naves etiam, et loca opportuna interim a ducibus præoccupata præsto erant.

22. Hoc animosior ad cetera, partem copiarum Phanagoream trajecit, ex adverso Panticapæi situm emporium, duobus his claustris os Ponti in potestate habiturus. Sed non diu perstiterunt in fide Phanagorenses, Castore quo- Oros.
dam rebellionis auctore,³ qui tortus aliquando a Tryphone Appian.
regio eunucho, ingressum Phanagoream hominem occidit, populumque ad vindicandam armis libertatem excitavit.

23. Regiam liberi Mithridatis obtinebant. Eos Castor, congesta circum arcem incensaque materia, compulsi ad deditionem. In his Artaphernes ferme quadragenarius erat: Xerxes, Oxathres, et Eupatra in ætatis flore. Sed altera filiarum Mithridatis Cleopatra, cum perire mallet, quam se dedere, tam generoso proposito fortius stimulavit patrem, ut quilibet pro ejus salute conaretur. Itaque summissis ab eo plurimis dierotis erepta, et Panticapæum Dio. Oros.
revecta est. Ceteros Phanagorenses ad præsidia Romana transmiserunt.

24. Subinde Castoris successu et aliæ civitates ani- Appian.
mataæ, a rege defecerunt: Chersonesus, Theodosia, Nymphæum, cum aliis circa Pontum opportunis bello gerendo oppidis. Idcirco Mithridates crebris defectionibus terri- tus, cum exercitui, qui magnam partem ex invitis constabat, parum fideret; filias Scythicis regulis desponsas, quingentorum militum addito præsidio, misit, ut eos quam maturrime cum auxiliariis copiis ad se pertraheret. Sed milites, occisis³ in itinere spadonibus, quod genus apud

3 Pro *accisis* in edd. priorr. mutavit Crev. in *occisis* ex App.

³ *Castore quodam rebellionis auctore*] Hunc Castorem suspicamur fratrem fuisse Stratonicæ, filium Castoris illius pauperuli a Mithridate rege ob filiam ditati, de quo supra cap. 3. Sat belle congruit et hæc ejus rebello, ad exemplum et ultio-

nem sororis: et cum hic idem sit, qui c. 71. infra dicitur Dejotari filiam duxisse uxorem, optime in eum cadunt quæ de genero Dejotari, obscuro homine, habet Cicero, pro Dej. cap. 11. Crev.

regem prævalidum et potentia sæpe abusum infestissime oderant, puellas seque Pompeio tradiderunt.

Dio. 25. Inter has calamitates adeo non deficiebant Mithri-
 Oros. Dio. datis spiritus, ut potius auferentur. Cum enim esset
 septuagenario major, fractum laboribus corpus animi vi-
 gore sublevando, consilia vasta, inaudita, incredibilia
 agitabat. Namque per Colchos et Mæoticas gentes ad
 Istrum penetrare statuerat: inde sive per Gallicas gentes,
 Appian. quarum amicitiam diu ante paraverat, tritamque Cimbris
 viam, tractis secum qua transiret auxiliis, superare Alpes;
 Flor. III. 5. sive Thracia, Macedoniaque, et Græcia raptim transitis,
 Plut. Pomp. in Italiam irrupere. Quod si efficere potuisset, non
 Appian. dubitabat, quin in ipsa Italia contra Romanos arma et
 viros esset inventurus; quod et Hannibali successerat;
 et nuper Spartacus, homo nullius dignitatis, non caruerat
 adversus Romanos fautoribus. Maxime autem socialis
 belli reliquias, et velut sub cinere latentes igniculos spe-
 rabat adventu suo excitari posse, cum haberet apud se
 generis ejus plurimos, et paucos ante annos ultro inde
 legationes venissent in Italiam eum vocantium.

Dio. 26. Sed exercitus a mentione tam longinquæ et duræ
 Appian. militiæ abhorrebat: neque enim se pares futuros Roma-
 nis in Italia sperabant, quos domi sustinere nequivissent,
 et regem desperatione ad audendum propelli rebantur, ut
 exactam ætatem regia potius morte clauderet, quam bre-
 vem lucis usuram perpetua ignominia mercaretur. Dura-
 bant tamen adhuc, et imperium patiebantur, reverentia
 regis, cujus tanta erat apud omnes gloria, ut ne quidem
 inter adversa contentui facilis videretur.

Dio. 27. Jam in Syria Pompeius erat, eum hæc omnia circa
 Appian. Bosphorum gerebantur. Is enim, obiter superatis Antio-
 Vell. II. 40. cho Commagenæ, Dario Mediæ regibus, quinquagesima
 Oros. VI. 4. quam ex Ponto profectus erat die, Ecbatana pervenerat.
 Duplicia fuerunt Ecbatana dispari nobilitate. Nam al-
 tera Persarum, deinde Parthorum regum æstivis notissima
 sunt: Syriaca, præter mediocritatem opum, nomen
 quoque mutatum obscuravit, postquam a monte in quo si-
 Plin. V. 19. tum erat oppidum, Carmelum appellare cœperunt.

28. Ad hanc igitur Syriæ urbem venisse Pompeium,

non ad Medicam arbitror : quanquam aliter est ab Orosio traditum. Nec ideo quia cum Medorum rege bellum habuit, ad Ecbatana pervenisse credendus est : nam illum auxilium Antiocho ferentem coëgit fugere : neque vero Parthus quievisset, accedente Romano ad regni sui caput, quemadmodum ab eodem Orosio nominatur. Præterea notum est Parthica bella declinasse Pompeium, Syriae partes omnes percurrisse, ut sub imperium cogeret. Quicquid enim sub Tigraue fuisset, illo debellato, populi Romani factum esse autumabat : hocque factitabat lubentius, ut acta Luculli convellerentur.

29. Nam Lucullus, victo Tigraue reversum in Syriam, receptumque a suis, Antiochum Cyziceni filium,^h avito regno frui passus, regem appellaverat. Sed ademit præsentem videntique regnum Pompeius, quanquam nunquam de populo Romano male meruisset, cum hostem ejus Tigranem regnare pateretur. Nec speciosa dictu deerant. ‘Recusare Syros hominem, a quo tot per annos deserti, alienigenæ regis jugum tulissent : neque vero æquum esse, cum sua tueri nequivisset, alieni laboris eum habere præmia. Paci quoque Syriae consulendum, ne rursus Judæorum Arabumque latrocinii fiat opportuna.’ Sic velut justo rege vacans, in provinciæ formam Syria redacta est, Seleucidarumque imperium finem accepit : præter modicum Commagenæ regnum, quod illi Antiocho¹ non modo reliquit Pompeius, sed etiam auxit, adjuncta Mesopotamiæ parte, quam raptim subegerat, castelloque Selencia, in quo asservatam aliquamdiu Cleopatram cognomento Selenen, Syriae reginam, Tigranes nuper interfecerat.

^h *Antiochum Cyziceni filium*] Immo Antiochum Pii, qui Cyzicenum patrem habuerat, filium. Sic memorat Appianus in Syriacis, et temporum ratio postulat. Itaque male idem in Mithridaticis, et Justinus l. xi. cap. 2. Antiochum hunc a Lucullo restitutum, a Pompeio spoliatum, Cyziceni filium fuisse dicunt. Id monet Usserius in Ann. ad annum mundi 3939. *Crev.*

¹ *Commagenæ regnum, quod illi Antiocho*] Non videmus, quo

Delph. et Var. Clas.

auctore, Freinshemius Antiochum Commagenum eundem esse existimet cum Antiocho illo cui Syriae regnum ademit Pompeius. Apud Appianum quidem in Mithrid. cum eadem p. 244. Antiochus Commagenus, et Antiochus Syriae regno fraudatus nominentur, aperte videntur a sese invicem distingui. Nec quicquam aut in aliis Appiani locis aut in Strabone reperimus, quo Freinshemii opinio juvetur. *Crev.*

Livius.

14 O

Dio et
Appian.
Dio.

30. Hoc modo constituenti Syriam Pompeio legati Phraatis Tigranisque regum affuerunt. Recruduerat inter eos bellum: victusque primo prælio Parthus, sequenti Armenios pepulerat. Igitur Tigranes Pompeium e Syria arcessebat: Parthus accusabat Romanos varie, ut sentire Pompeius posset, si bellum cœptaret, cum potente et parato hoste certamen fore. Quapropter inconstantiam fortunæ reputans, nulla Tigrani auxilia misit, neque contra Parthos quicquam fecit hostiliter, negans 'injussu senatus populique Romani bellum suscipi fas esse.' Legatis autem respondit, 'esse Phraati non cum Romanis, sed Tigrane de finibus controversiam: missurum igitur tres viros, qui dissidentes componerent.'

Plut.
Appian.

Dio.

31. Neque reges recusarunt, quin illos pro justis disceptatoribus admitterent: quanquam inter ipsos jam odio metuque Romanorum convenerat. Tigranes negatis suppitiis iratus, Phraates sibi metuens, si Tigranes perisset, ambo satis certum putantes, ad utrum cum excidio alterius victoria venisset, illum hostes Romanos, et minus ad repellendum virium habiturum, in gratiam haud difficulter redierunt.

Ascon. in
Tog. Cand.

32. Cum inter has res comitorum dies adessent, magnam in Urbe novorum consulum expectationem, multitudo competitorum, et suspecta quorundam consilia moverunt. Septem in eum annum candidati petebant: patricii duo, P. Sulpicius Galba, L. Sergius Catilina; totidem plebeii nobiles, C. Antonius, L. Cassius: præterea Q. Cornificius, C. Licinius Sacerdos, qui tantum⁴ non primi ex familiis suis magistratum gesserant. Solus competitorum M. Tullius Cicero, equestri loco natus, nullas ostentare imagines poterat. Sed hic eloquentiæ præsidio, et integritate morum in id fastigium erat enisus, ut meliori spe quam ceterorum quisquam peteret.

Plut. Cic.
Ascon.

33. Quapropter Antonius et Catilina, pessimi omnium turpissimique, coitionem fecerunt, ut Ciceronem consulatu dejicerent, adjutoribus usi firmissimis M. Crasso, C. Cæsare, qui civilem Ciceronis potentiam rationibus suis adversam fore judicabant. Horum opera et factionibus ita palam fervere ambitus cœperat, ut, paucis adhuc comitio-

4 Ita reposuit Crev. ex Ascon. pro *tamen* in edd. præcc. editum.

rum diebus reliquis, senatus legem ambitus, aucta etiam tam pœna, ferri juberet. Intercessit tribunus plebis Q. Mucius Orestinus.

34. Id cum graviter ferrent patres, surgens Cicero loco sententiæ orationem habuit in toga candida, contra Catilinam et Antonium, ceteris competitoribus, qui modeste se gerebant, abstinens. Galba enim sine fuco et fallaciis prensabat, more majorum: neque Q. Cornificium reprehenderes. Cassius tum adhuc iners potius ac stolidus esse, quam improbus videbatur. Orationi Ciceronis et Catilina et Antonius contumeliose responderunt, quod unum poterant invecti in novitatem ejus. Id telum erat ingens apud accensos invidia nobiles, qui velut pollui consulatum rebantur, si ad hominem novum, quantumlibet egregium, pervenisset. Et Manilianis actionibus, tanquam ad popularem factionem deficiens, optimates offenderat. Sed cito mutati sunt, postquam industria vigilantiaque viri opus esse periclitanti reipublicæ viderunt.

Cic. ad
Att. i. 1.
Ascon.

35. Quippe Catilina circiter Kalendas Junias cum multis nobilibus aliisque pessimis et audacissimis hominibus, conjurationem fecerat, ut consulibus trucidatis, senatuque deleto, incensa pluribus locis Urbe, ærarium diriperent, rempublicam constituerent arbitrato suo. In hoc fidem mutuo obligaverant, homine mactato, ejusque gustato sanguine: tantus furor mentes incesserat. Plerosque secuta luxuriam egestas ad ultimi furoris consilia præcipitabat: erant et qui spe dominationis improbis ceptis occulte faverent.

Sall. Cat.
c. 23.
Dio. Cic.
de Petit.
Cons.
Plut. Cic.

36. Mulieres quoque luxu ac libidine perditas, aut maritorum necem optantes asciverant, per quas servitia concitarent, aut viros illarum interficerent. Harum nec paucæ erant, corruptis civitatis moribus, et primariorum virorum conjuges, ex quibus Semproniam D. Bruti uxorem Sallustius nominat. Sed in eadem causa fuisse non immerito existimemus, quæ paulo ante aut postea sunt a viris repudiatae, Clodia et Servilia^k Luculli, Mucia Pompeii, Catonis Atilia, Cæsaris Pompeia, Antonii Antonia,

Sall. Cat.
c. 17.
Flor. iv. 1.
Liv. Epit.
Appian.
Civ. 11.
Plut. Flor.
Dio.
Sall. c. 22.
Flor.
Sall. c. 17.

c. 21.

Appian.
Civ. 11.
Sallust.

^k Clodia et Servilia] Hæ mulieres, et quæ postea nominantur, notæ sunt ex Plutarcho, qui de ipsarum viris agens eas

et M. Luculli, quacumque gente fuit, uxor. Juventus etiam pleraque, praecipue nobilium, licet nomen conspirationi non dederat, tamen audiens hujusmodi quaedam agitari gaudebat, imbecillitate aetatis, et quia corruptis olim moribus, ut quaeque erant flagitiosissima, ita maxime probabantur.

c. 21.

Appian.
Civ. iv.
p. 620.

37. Multum etiam ad perficienda cepta in Pisone spei Catilina posuerat, qui tum, nondum audito ejus casu, Hispaniam citeriorem obtinere credebatur: itemque P. Sizio Nucерino. Nam is, publico judicio postulatus, ascito in itinere pessimo quovis et levissimo eadem metuentium, aliisque quos fors offerebat, per Italiam ac Hispaniam ad fretum transgressus, in Africam ductor exercitus sui transjecerat: ibique, regulis inter se bellantibus auxilia ferendo, cum quibus ille accessisset superiores fierent, ad famam brevi pervenerat. Sed maxime sperabat consulem se collega C. Antonio fore: 'tum nullis domi provisio opibus, Pompeio bellum in ultimis gerente terris, in destitutam rempublicam impetum rectissime fieri posse.' Haec ita occulte parari non poterant, quin se quibusdam, sed obscurioribus indiciis proderent. Caeca tamen res erat, donec per Fulviam est patefacta, nobilem mulierem, quae ex amatore suo Q. Curio, perditae luxuriae juvene, compertam tacito auctoris nomine compluribus enarravit.

Sallust.
Flor. Plut.
Appian.
Civ. ii.

Sall. Flor.
Appian.

38. Id potissimum causae fuit comitiis, cur consensu omnium, neque per tabellam, sed una voce populi, Tullius renuntiaretur prior: ei collega C. Antonius additur, cum ob patris memoriam, paulo speciosiore manu suffragante, pauculis centuriis Catilinam superasset. Conjurati, licet hoc eventu perculsi, tamen arma parare, pecunias cogere, plures in societatem consilii adducere non omittebant. Contra Cicero, gnarus quod negotium suscepisset, omnes nervos intenderat, ne quid ad summam diligentiam, exactissimasque pro republica vigilias, reliqui faceret.

Sall. Plut.
Cic. in
Rull. 11. 2.
et in Pis. 1.
Ascon.
Sallust.

39. Hic etiam annus censores habuit, quod proximis

repudiatas esse memorat. De uxore M. Laenlii nihil habet Plutarchus: sed Cicero, l. 4. ad Att. Ep. 13. eam adulteratam a Menechmo et a marito repudiatam esse docet. Antoniam sine

ulla causa videtur Freinshemius crimine conjugationis infamare, quae septimo post Ciceronis consulatum anno ab M. Antonio repudiata est. Cret.

censoribus nulla pars populi censa, neque lustrum condi- Dio.
 tum erat. Sed horum etiam adeo opera nulla extant, ut
 nomina vix eruantur. Utrum enim Q. Metellus, an P. Pigh. Ann.
 Isauricus censuram tum gesserint, ambigitur. Eadem de
 L. Cotta dubitatio foret, nisi Ciceronis joco fuisset nota-
 tus. Nam is cum inter petitionem consulatus prensans de
 more homines, sitique correptus, circumstantibus et tege- Plut. Cic.
 tibus amicis biberet in foro, ubi L. Cotta censor conde-
 rat; ‘Jure,’ inquit, ‘timebatis, ne succenseret mihi censor,
 quod aquam bibo.’ Erat enim Cotta vinosior, et eo no-
 mine vulgo male audiebat. Huic igitur Cottæ, et collegæ,
 quisquis ille fuerit, senatum legere cupientibus, tribuni Dio.
 plebis restiterunt, ne ipsi quoque senatu moverentur veriti,
 ob fœdas et seditiosas actiones, quibus convellebant rei-
 publicæ statum.

40. Multæ enim tunc rogationes promulgabantur. In-
 ter cetera P. Servilius Rullus ferebat agrariam, ‘uti Cic. in
 decemviri coloniis deducendis, agros qui ubivis publici Rull. et
 essent, maxime Campanos, quemadmodum ex usu esse Plut. Cic.
 viderent, distribuerent.’ Eadem lege ad emendos, ubi
 opus foret, agros, omnis propemodum publica pecunia, et
 quæ cogi undecumque posset, decemvirorum subjicieba-
 tur potestati. Dabatur et exercitus conscribendi potes-
 tas, quanto res indigeret. Et favebat legi C. Antonius,
 unum se fore sperans in decem. Igitur M. Cicero Ka- Plut.
 lendis Januariis,* qua die consulatum iniit, ea de re verba A. Gell.
 fecit in Curia, senatusque confirmandi valida fundamenta XI. 23.
 jecit. Neque deinceps destitit, donec pro rostris etiam Cic. ad
 causa exposita, rempublicam maximarum largitionum Fam. 1. Ep.
 metu liberaret: tanta vi eloquentiæ mentibus admota, ut 9. et ad
 legem agrariam, hoc est alimenta sua, vocatæ in suffra- Att. 11. 1.
 gium tribus abrogarent; tribuni vero plebis ita consterna- et in Pis.
 rentur, ut alias quoque nonnullas actiones abjicerent. c. 2.
 Plin. VII. 30.
 Dio. Plut.

41. Erant omnino ea tempora, ut et hoc consule res-
 publicæ, et hoc ingenio consul, haberent opus: cum nihil
 abesse videretur, quod timere boni, sperare improbi pos-
 sent. Tribuni plebis varie miscabant civitatem, favente Cic. in
 in plerisque Antonio, facili inter prava ingenia ad dete- Rull. 1. 8.
 Dio.

* A. U. C. 689. A. C. 68.

Suet. Cæs. c. 41. Plut. Cic. in Pis. c. 2. Plin. Dio. Vell. 11. 34. Dio. Plut.

rius consensu. Alius, enixe rem urgente Cæsare, proscriptorum liberis jus petendi magistratus reddere moliebatur: alius idem dabat P. Autronio et P. Syllæ de ambitu damnatis. Neque deerat, qui novas tabulas medigaretur. Quibus præcipua Ciceronis industria vigilantiaque occursum est. Is consilia omnium magna solertia indagavit, pari constantia excepit, denique incomparabili eloquentia, tanquam fulmine, dejecit. Tantum enim dicendi copia et gravitate valuit, ut etiam homines ad ea probanda, quæ paulo ante insigniter odissent, posset adducere.

42. Nam, illo suadente, etiam Rosciam theatralem legem plebs æquo animo tulit, magnopere prius irata L. Othoni auctori legis, quod discrimine sedis constituto, indignam quæ cum equitibus sederet, habuisset. Forte acciderat ut Othonem tum prætorem legis ejus dolore populus in theatro exsibilaret, equites contra plausu exciperent; deinde iterum inde sibilis, hinc plausu instaurato, maledictis atque conviciis inter se committerentur ordines, et res ad seditionem spectaret. Id ubi Cicero consul comperit, accurrit propere, vocataque in æde Bellonæ concione plebem objurgans, ita mutavit animos, ut reversa in theatrum non minorem Othoni plausum ipsa, quam equites darent.

Cic. ad Att. 11. 1. Plin. Plut.

Dio. Cic. pro Rabir. Sueton. Cæs. c. 12. Dio. Cic. in Pis. c. 2. Dio. Liv. 1. 26. Suet. Dio. Sueton.

43. Majorem deinde dimicationem pro C. Rabirio subiiit, cui subornatus a C. Cæsare tribunus plebis T. Labienus perduellionis diem dixerat, 'quod ante sex et triginta annos L. Saturninum tribunum plebis occidisset.' Negabat factum Rabirius. Sed non tam ille, quam senatus auctoritas petebatur, nihil deinceps valitura, ubi quod ipsius jussu esset factum, post tot annos in disquisitionem vocari, pœnaque et supplicio vindicari posse constitisset. Cum summa ope restitisset melior pars senatus, ne iudicium ea de re fieret; tribuni plebis, factione Cæsaris adjuti, vicerunt. Ita duumviri non more antiquo a populo, qui perduellionem judicarent, sed a prætore dati: sic ducta sorte, ut, res suspiciosissima, Lucius et Caius Julii Cæsares fierent. A Caio certe tam cupide condemnatus est, ut more majorum ad populum provocanti nihil æque

ac judicis acerbitas profuerit. Pro hoc reo Ciceronis Cic. ad
extat oratio, quæ, ipso indice, quarta habitarum in con- Att. II. 1.
sulatu fuit.

44. Periclitabatur tamen reus, tanta vis adversæ fac- Dio.
tionis erat : cum Q. Metelli Celeris, qui prætor et augur
erat, facto est liberatus. Centuriatis comitiis de per- Rosin.
duellione populus judicabat. Illa cum intra pomœrium Ant. Rom.
fieri nefas esset, antiquitus erat statutum, ut, occupato vi. 9.
in suffragiis ferendis populo, exercitus præsidii causa impe- A. Gell.
raretur. Ita fiebat, ut cum armis exirent, nec simul xv. 27.
universi cives, sed per partes ferrent suffragia, quo semper Dio.
idonea manus ad tutelam ceterorum et Urbis in Janiculo
excubaret. Nam inter initia metus ab accolis, tenui ad-
huc re Romana, desiderabat cautionem. Is deinde mos,
ut solet, quantumvis mutato rerum statu, pro lege serva-
batur. Vexillum igitur fixum erat in Janiculo, quamdiu
comitia habebantur : eo dimoto, præsidium discedebat,
neque deinceps agi cum populo poterat. Metellus igitur,
cum frustra docere conatus esset, ‘contra majorum insti-
tuta iudicium eo tempore perduellionis fieri ;’ ommissa con-
cione, priusquam suffragia ferrentur, in Janiculum con-
tendit, vexilloque revulso, necessitatem solvendi comitia
fecit. Neque ultra institit Labienus, quanquam alia die
repetere reum potuisset.

45. Supererat de proscriptorum liberis contentio, ideo Cic. ad
tractatu asperior, quod adolescentes boni et fortes, nulla Att.
sua culpa, petitione magistratum arcebantur : eratque in Pis.
hæc cum numero, tum opibus minime spernenda manus. Plut.
Sed ita tum rei acerbitem oratione mollivit consul, et
legibus Corneliis sic coherere statum civitatis docuit, ut Quintil.
ipsos quoque honores petere puderet. L. autem Cæci- Instit. Or.
lium tribunum plebis, P. Syllæ fratrem, eoque de miti- xi. 1.
ganda pœna ambitus ferentem, ut fratri reditus ad peten- Plin. viii.
dos honores esset, ita immutavit, ut et abjiceret rogationem, 30.
et agrariæ legi se fore intercessorem profiteretur. Lega- Cic. pro
tiones quoque liberæ, quanquam ad commodum senatus Syll. c. 22.
pertinere videbantur, frequentissimo senatu assentiente et 23.
sustulisset, nisi fuisset a tribunis intercessum. Tempus
tamen minuit, et quod infinitum fuerat, annum fecit. Et Cic. de
Leg. III. 8.

Cic. in Vat. c. 5. quia proviso quod imminebat bello rempublicam pecuniâ opus habituram putabat, misso Puteolos P. Vatinio quaestore, aurum et argentum vetuit exportari.

Plut. 46. Hæc atque talia consuli eo facilius procedebant, Cic. in Pis. c. 2. quod turbaturum alias cuncta collegam, ne contra rempublicam sentiret, patientia et obsequio mitigatum, postremo commutatione provinciæ perpulerat. Quippe Cicero Macedoniam sortitus, cum eam placere collegæ videret, cum Gallia commutavit, quæ C. Antonio evenerat.

Cic. de Off. 11. 16. Inter hæc, P. Lentulus Spinther ædilis curulis tanta Val. Max. magnificentia ludos edidit, ut superiores omnes novo invento vinceret, argentatis choragiis scenam adornans. Plin. 11. 39. Idem et dibapha Tyria primus est usus, quod tum improbatum, mox vulgare fuit.

Appian. 47. Hic ferme status urbanarum rerum erat, cum audito fine Mithridatis grates Diis actæ sunt, et ad omnia pulvinaria supplicatum: cum, referente Cicerone consule,

quantum alias nunquam, in duodecim dies supplicationem senatus decrevisset. Tribuni plebis T. Labienus, T. Ampius privilegium tulerunt, 'ut Pompeius ludis Circensibus corona aurea, toga pieta, cultu triumphantium uteretur; scenicis, prætexta, coronaque laurea.' Salutis etiam augurium, confectis bellis maritimis et terrestribus omnibus, celebrari posse creditum est. Id veteri more genus quoddam divinationis erat; quo maximus prætor explorabat, 'salutemne Dii populo Romano annuerent.' Neque fas erat alio die agi, quam qui ab omni negotio militari vacuus: eaque de re diu intermissum inter continua bella civilesque discordias fuerat, nullum idoneum tempus ad pacificas caerimonias invenientibus.

48. Porro Mithridatis exitum operæ pretium est penitus exequi. Calamitatibus, et, quæ calamitatem amat sequi, perfidia suorum irritatus, cum multos ob culpam, alios per suspicionem interficeret, omnium a se animos tædio et metu abalienavit. Etiam Pharnaces filiorum ad eam diem honoratissimus, et sæpe declaratus regni successor, sive fratrum occisorum dolore, sive sibi timens, insidias struere seni cepit, priusquam destinatam in Italos expeditionem inchoasset. Nam id ubi esset factum, om-

Eutrop. Oros. vi. 5. Appian. Dio. Liv. Epit. Plut. Appian. Etiam Pharnaces filiorum ad eam diem honoratissimus, et sæpe declaratus regni successor, sive fratrum occisorum dolore, sive sibi timens, insidias struere seni cepit, priusquam destinatam in Italos expeditionem inchoasset. Nam id ubi esset factum, om-

nem ab Romanis præcidi spem veniæ existimabat, neque ad se ex opibus paternis quicquam esse perventurum. Non deerant qui hæc referrent ad regem : multos enim filio aper-
 tos clandestinosque custodes apposuerat. Comprehensi igitur consciorum nonnulli, tortique sunt : nec dubitabat rex
 insidiatorem tollere, nisi Menophanes, ostensis incommodis quæ sub tempus tam longinquæ expeditionis occisum filium essent secutura, perpulisset ut veniam offerret.

49. Sed ille longius progressum existimans, quam tutus inde receptus esset, ad hoc animos militum a suscepta expeditione abhorreere gnarus, noctu ad primarios Romanorum transfugarum,¹ qui proxime regem tendebant, ingreditur : casum suum miseratur : laborem improbum, pericula, miserias, quæ per tanta marium terrarumque spatia, omnibus ubique infestis, Italiam petituos manerent, exaggerat : spem a se maximam, honoresque et opes in promptu ostendit, si regno ipse potiatur.

50. Facile persuadetur omnia tristissima, si perducti in Italiam forent, metuentibus. Mittuntur eadem nocte certi homines ad alia vicina castra sollicitanda. Nec mora, simul cum luce transfugarum exoritur clamor ; cum exceptum alii sequuntur, transmittuntque. Sic brevissimo tempore totum ubique exercitum, atque etiam nauticam turbam seditio percurrit. Nam et ab ignaris antea simul cognitum probatumque Pharnacis concilium est, lætis ad res novas plerisque ; aliis, quod in defectione omnium soli frustra et cum exitio renisuri videbantur. Sic ad urbem
 pergitur : nam Panticapæi Mithridates tum agebat.

51. Rex, tumultu audito, partem eorum quos secum habebat obviam mittit, cum ceteris ipse secuturus. Sed et illi defecerunt ad Pharnacem, et urbs, non invitis oppidanis, ab eodem occupata est ; Mithridates in regiam confugit. Inde cum misisset ad milites, quæsitum ‘ quid ergo sibi vellent ? ’ aperte Pharnacem postularunt regem,

¹ Ad primarios Romanorum transfugarum] Hic in levem errorem induxit Freinshemium Appiani interpretes. Græca verba sunt, ἐς πρώτους τοὺς Ῥωμαίων αὐτομόλους . . . ἐσῆλθε: id est, ad Romanorum primo transfugas venit. Primos sollicitavit transfugas, deinde et alios Mithridatis milites. Crev.

‘juvenem pro sene eunuchorum mancipio, filiorum amicorumque carnifice.’ His auditis Mithridates, ut spem ultimam tentaret, ipse allocutus eos prodit. Tum, intentis in illum digitis, transfugæ, ‘En,’ inquit, ‘qui transire ad nos satagitis, ubi prius fidem faciatis animi propositique vestri.’ Ad hanc vocem prosilientes complures equum fugientis confoderunt, Pharnacem regem sublatis vocibus acclamantes: et, ne dubitari amplius posset, raptam aliquis ex templo papyrum instar diadematis capiti Pharnacis circumposuit.

Oros.
Appian. 52. Hæc ex altissimo muro miserabilis senex conspiciatus, multis precibus oravit filium, ‘ut tutam sibi fugam concederet,’ alios super alios ea de causa missitando. Postquam nemo revertebatur, atque ultimam adesse necessitatem sentiebat, exclamasse fertur: ‘Quoniam Pharnaces mori jubet, vos, si estis, Dii patrii, precor, ut quandoque et ipse hanc vocem a liberis suis audiat.’

Oros.
Appian. 53. Collaudatos deinde satellites et amicos, qui pauci apud eum perstiterant, fide ad extremum præstita, suæ incolumitati consulere, et ire ad victorem jubet. Statimque descendens ad reliquas conjuges liberosque suos, venenum quod semper cum gladio gestare consueverat miscet. Erant ibi duæ filiæ virgines duobus Ptolemæis, Ægypti Cyprique regibus desponsæ, Mithridatis et Nyssa.

Dio. Oros.
Appian. Hæ enixe rogarunt patrem, ut, ipso superstite, morerentur. Igitur his primum venenatam potionem, deinde reliquis dedit: ipse hausit novissimus.

Dio. Oros.
Justin.
xxxvii. 2.
Plin. xxv.
2. Appian.
A. Gell.
xvii. 16.
Flor. Dio. 54. Reliqui cito extincti sunt: Mithridates quanquam vehementissimi veneni magnum modum ebiberat, et vim potionis ambulando cuperet accendere; tamen defendentibus vitalia quæ sæpe sumserat remediis, metuere cœpit, ne in filii, et deinde Romanorum potestatem incideret: gladioque admoto, ne sic quidem invenit exitum, quia sennecta malisque circumstantibus, ad hoc veneno debilitata manus aliquanto leviorē plagam fecerat.

Oros.
Liv. Epit.
Appian. 55. Igitur, conspecto forte Bituito Gallo, qui, muro jam superato, cum aliis in regiam penetraverat, ‘Multum,’ inquit, ‘dextræ tuæ cum miles meus esses, debui: plus debiturus, si extremum mihi officium præstiteris, ne hac

ætate hisque rebus gestis ducis Romani triumphalem cur-
rum Mithridates antecedam. Expelle, sis, hunc spiritum,
quem frustra sollicitavit mea manus, quemque adversus
venenum stultus ego medicamentis munii.' Ita Bituitus,
cum et Pharnaci rem gratam facturus videretur, jugulum
ultra præbentis hausit: simul accurrentes alii gladiis ac
lanceis accelerarunt ei mortem. Sic interiit ultimus tum
sui juris regum, præter Parthicos, post multas et illatas
aliis et acceptas aliunde calamitates, fortunæque miras
vicissitudines, ne simplici quidem morte sublatus. Ætatis
annos (nam dubitatur) paulo plus minusve septuaginta,
regni quinquaginta septem exegerat.

Dio,
Vell. II. 40.
Dio.

Appian.
Eutrop.
Plin.



56. Eo tempore Pompeius obibat Cœlen Syriam, lega-
tos et munera gentium excipiens, quæ ex tota Syria
Ægyptoque mittebantur. Nam et Ægyptus inquieta se-
ditionibus erat, adque eas comprimendas Pompeium rex
advocabat, dona pecuniasque ipsi, et exercitui vestem
mittens. Venit et ab Hyrcano Antipater, et Nicodemus
ab Hyrcani fratre Aristobulo, de regno Hierosolymitano
certantibus. Ipsi occurrere jussi ad disceptandum reguli:
cum Aristobuli legatus, data ab eo prius Gabinio trecenta
talenta,^m deinde Scauro quadringenta arguens, supra ce-
teras inimicitias, horum etiam odia comparasset.

Xiphilin.
Joseph.
Antiq. XIV.
5. Appian.

Joseph.

57. Interea cum ver apparuisset, contracto ex hybernis
exercitu, Pompeius in Damascenos fines fecit expeditio-
nem, multis in via excisis latronum castellis, supplicioque

^m Trecenta talenta] Marcas argenti 28125. Quadringenta. Marcas
37500. Crev.

- affectis tyrannis, qui passim per civitates extiterant. Primum in Apameno agro capta ex itinere et diruta arx est, quam Antiochus Cyzicenus struxerat. Deinde in Ituraeos transitum, qui sub Ptolemæi Mennæi ditione Libani partem habitabant, latrociniiis dediti. Munitissima horum castella, Sinnam et Borama in monte sita, et inferius Botryn, et Gigartum, et speluncas juxta mare, et castellum in jugo quod appellabant Theu-prosopon, Pompeius evertit. Tyrannus, Tripolitano Dionysio, qui paulo ante securi percussus fuerat, nihilo innocentior, mille talentis^o redemit supplicium. Quibus ad stipendia militum usus imperator, Lysiada deinde ad lacum Apamenum cepit, munitam urbem, quam Judæus quidam tyrannus nomine Silas obtinebat. Liberavit et Byblum, veterem Cinyræ regiam, cum et hujus urbis tyrannum securi percussisset. Heliopolin deinde et Chalcidem, Mennæi urbes, transiens, per Syriæ partem quæ, Libano et Antilibano montibus inclusa, proprie Cava dicitur, Pellam, et hinc Damascum venit.
58. Damascus inter Seleucidarum calamitates, Aretam vocaverat Arabum Nabataeorum regem, eique se et omnem incirca regionem tradiderat. Sed illam nuper, victo Arabe, Metellus atque Lollius receperant, cum ad Syriam pro sua defendendam Pompeius exercitum misisset. Mox eodem venit ex Armenia, ubi tum Tigranem bello Pompeius urgebat, ejusdem missu M. Scaurus,^o Aretamque Hierosolymas obsidentem, acceptis ab Aristobulo pecuniis, deterruit; inde Damascum reversus.
59. Has causas gerendi cum Arabibus belli adeptus Pompeius, Hyrcanum et Aristobulum, qui Damascum accesserant, miti responso dimisit; in præsentia prævertendum sibi ad Nabataeorum castigandam insolentiam:

Appian.
Oros. vi. 6.
Strab. xvi.
p. 753. 755.
et 756.

Joseph.

Strabo.

Joseph.
Antiq. xiv.
5. et 13.
Strab. xvi.
p. 756.

Joseph.
Ant. xiv. 5.
Joseph.
Antiq. xiiii.
15. et de
B. Jud. i. 4.
Joseph.
Ant. xiv. 4.

Appian.
Dio.
Joseph.
Antiq. xiv.
5. et de
B. Jud. i. 5.

^o Mille talentis] Marcis argenti 93750. Crev.

^o Eodem venit ex Armenia, ubi tum Tigranem bello Pompeius urgebat, ejusdem missu M. Scaurus] Immo ex Armenia minore, in quam Pompeius, confecto cum Albanis bello, secesserat. (Vid. supra ci. 39.) Hoc indicat tem-

porum et rerum a Pompeio gestarum ordo, quem Josephus parum attendit, ac Freinsheimium in fraudem induxit. Hanc observationem debemus Usse-rio in Ann. ad annum mundi 3939. quo tamen loco Gabinius male pro Scauro nominatur. Crev.

inde iturum in Judæam, ut litem fratrum componat. Interea mutuis injuriis absterneant. Sed Aristobulus, qui se regem ferebat, velut herilium jussorum impatiens, insalutato Pompeio digressus, ita offendit virum, præcipue Hyrcani, et Antipatri, cujus postea filius Herodes in Judæa regnavit, obtestationibus audentibus iram; ut, dilato bello Arabico, in Judæam converteret signa, et per Pellam Scythopolinque et Coreas Alexandrium duceret, in finibus Judææ situm, ubi se Aristobulus incluserat, dubius animi, et vicissim de salute ac dignitate anxius.

60. Omnibus tamen a bello dehortantibus, descendit in castra Pompeii, multaque de jure suo locutus, concedente illo in castellum est regressus. Hoc iterum atque tertio cum fecisset inter spem metumque ambiguus, se ita temperare cupiens, ut neque prode dignitatem videretur, neque Pompeium offenderet; neutrum satis assecutus, jussu Romani scripsit ad præsidiorum præfectos, 'ut castella quædam traderent.' Deinde bellum indignanti animo volvens, discessit Hierosolyma. Neque Pompeius distulit sequi: castrisque ad Hierichunta positus, palmarum balsamique proventu nobilem, extra vallum equitando exercebatur: cum citi accurrerunt equites, lætum, ut ex laureatis hastarum cuspidibus intelligi poterat, nuntium afferentes. Concursu igitur exercitus precibusque coactis statim legit epistolas, et suggestu, non cespitibus ut moris erat, sed per festinationem militum comportatis jumentorum sarcinariorum elitellis effeceto, 'Mithridatem vixisse' pronuntiavit. Inde læti omnes ad sacrificandum epulandumque se converterunt, in uno corpore bellum extinctum, infinitosque populi Romani hostes deletos rati.

Plut. Pomp.

Joseph.
de B. Jud.
Plut.
Cic. pro
Mur. c. 16.
Oros. vi. 6.
Dio.

61. Pompeius etiam minore quam credidisset labore suo debellatum gaudens, et in patriam ut primum posset rediturus, statim orta luce Hierosolyma progressus, Aristobulum terruit, ut descendens, pecuniis promissis, urbem et omnia in potestatem ejus dederet. Pompeius, venia vicissim data, Gabinium ad accipiendam pecuniam misit. Sed Aristobuli factione claudente portas, ille datus in custodiam est, urbs obsessa. Quam ubi Hyrcani partibus dediti aperuerunt, Piso legatus Pompeii, regia occupata,

Joseph.
Antiq. et
de B. Jud.Heges. i. 16.
Joseph.

præsidium ibi posuit; domusque, et alia templo, quod rebelles occupaverant, vicina communivit.

62. Deinde templum, qua respiciebat aquilonem, infirmius ea parte quam cetero ambitu videns, oppugnare cœpit. Erat tamen ibi quoque præceps et abrupta vallis, et pontem, qui templum urbi iungebat, obsessi revulserant. Murus etiam firmissimus, turresque præaltæ tantum non inaccessibilem efficiebant locum. Sed Pompeius abundantanti multitudine, nam et a Damasco ceteraque Syria copias auxiliares adduxerat, voraginem, comportata undique materia, jussit expleri.

63. Cum multi inter hæc Judæorum telis vulnerarentur, tardius procedebat opus, vix ad optatum finem perducendum, nisi septima die cessantes a jaculando obsessi, impune Romanos quod placuisset moliri paterentur. Quemadmodum enim ea gens ita cum Deo suo velut videre partes imperandi parendique consuevit, ut mandatis ejus ad suæ interpretationis modum obtemperent; tum solummodo, cum peteretur corpus, repugnare licitum putabant, alia hostilia agentibus per sabbatum obniti nefas. Igitur per eos dies Romani neque petebant hostem, neque petebantur: tantummodo fossis complendis, struendoque aggeri strenue admovebant manus.

Plut. de
Superstit.
c. 14.
Strab. xvi.
p.763. Dio.
Joseph.

64. Machinæ deinde Tyro advectæ, cum continuo saxorum jactu propugnatoribus mœnia nudassent, spatium Romanis unam suffodiendi turrim præbuerunt. Per hujus ruinas tertio obsidionis mense captum est templum ipso die jejunii, quod tum incidit in Quintilem. Faustus Sylla, dictatoris filius, primus ascendit murum: scentique statim Furius et Fabius centuriones cum suis manipularibus.

65. Interea nihilominus sacerdotes munia sua, tanquam in altissima pace, obeuntes, neque strictos in se gladios, neque accepta vulnera pavescebant: multique inter ipsa sacra sunt interfecti. Ceterorum quoque varium exitium fuit: multi ab hoste, multi a civibus discordibus cæsi, magna pars semetipsos præcipitarunt in abrupta. Quidam etiam furens calamitate conjuncta templo ædificia cremarunt, seque ipsos injeccerunt ignibus. Ad millia duo-

decim periisse dicuntur: de Romanis oppido pauci: complures tamen sunt vulnerati.

66. In ea calamitate Judæis nihil acerbius fuit, quam quod inviolata ad eam diem fani arcana, solique principi sacerdotum, nec nisi semel quotannis aspicienda, profanis hominibus patuerunt. Sed præcipue Romanis admirationi fuit, nulla intus Deorum effigie, vacua sedes: cum simulacrum aliquod, rem gentibus omnibus velut consensu receptam, quærerent. Inde multiplex de Judaicis religionibus opinio error apud gentes inolevit, tam pertinaciter, ut etiam vulgatis per Christianorum incrementa Judæorum sacris, Plutarchus, tam diligens abstrusorum inquisitor, in clarissima luce cæcitet, ‘Liberum Patrem a Judæis coli’ multis argumentis ineptissime disputans. Absurda persuasio, inde primum orta, quod sacerdotes Judæi tibia tympanisque concinebant, hederaque vinciebantur: et ante omnia quod reperta in templo vitis aurea fuisset. Pulcherrimum id opus, quingentis æstimatum talentis,^p sive Aristobuli donum, sive suas e templo manubias Romam deportante Pompeio, postea in Capitolini Jovis fano stetit, Alexandri nomen inscriptum habens, Judæorum regis.

Max. Tyr.
Dissert. 38.

Plut. Sym-
pos. IV. 5.

Tac. Hist.
v. 5.

Joseph.

67. In templo præter candelabrum insigne, mensamque et vasa aurea, magna vis odorum reperta, sacræque pecuniæ ad duo millia talentum.^q Quibus omnibus abstinuit Pompeius: alteroque post captum templum die, repurgari locum ab ædituis, solitoque ritu instaurari sacra voluit. Jusso deinde regnare Hyrcano, præcipuos belli auctores, in quibus et Absalomus fuit,^r Aristobuli socer, securi percussit: Faustum ceterosque virtutis causa donavit: Hierosolyma,^s dirutis oppidi mœnibus, Romanis stipendiaria fecit, procuratore imposito Antipatro.

Euseb.
Chronic.
Sulp. Sever.
Heges. 1. 17

^p *Quingentis . . . talentis*] Marcis argenti 46875. *Crev.*

^q *Duo millia talentum*] Marcas argenti 187500. *Crev.*

^r *In quibus et Absalomus fuit*] Eum Josephus captum quidem esse memorat, securi percussus esse non dicit. *Crev.*

^s *Hierosolyma*] In tota hac rei

a Pompeio adversus Judæos gestæ narratione solum fere Josephum in margine citavimus, ne nimia nominum multitudo confusionem pareret. Usserius in *Annal.* ad annum Mundi 3941. collegit quicquid apud ceteros scriptores de hoc eodem argumento memoriæ proditum

Joseph. 68. Judæorum deinde gentem veteres intra terminos compescens, quos ab Syria populos urbesque superioribus annis avellerant, ademit. Gadara, quod oppidum paulo ante dirutum ab ipsis fuerat, instauravit in Demetrii gratiam liberti sui; cujus tanta erat potentia apud patronum, ut sæpe ad convivas excipiendos discurrente Pompeio, ipse accubuisse memoretur. Unde et apud alios ei adeo nimius honor, ut, quantum Catonem accipere puduisset, homo libertinus admitteret. Aiunt per absentiam Pompeii Catonem ad Antiochiam visendam profectum, cum ante portam virorum agmen cum vestibibus albis, et propter viam hinc quidem adultos, inde impuberes stare vidisset; honore nimio offensum cœpisse stomachari: cum accesserit ad eum dux pompæ, coronatus et virgam tenens, interrogans, 'ubi Demetrium reliquissent? et anne cito esset affuturus?' Ibi amicis Catonis effuse ridentibus, Catonem, hæc tantum effatum, 'O miseram civitatem!' nec alio responso dato, præterisse. Atque hoc idem tanto post tempore Julianus imperator Antiochensium posteris objecit.

Plut.
Pomp.c.66.
et Cat.Min.
c. 17.

Julian.
Misopog.

Joseph. 69. Hujus igitur Demetrii patriam liberam esse jussit Pompeius; et præterea in mediterraneis Hippum, Scythopolin, Pellam, Dium, Samariam, Marissamque et Azotum, et Jamniam, et Arethusam Sampsicerami Arabum phylarchi castellum, prioribus cultoribus restituit. Ad mare vero Gazam, Joppen, Dora, Stratonisque turrim, quæ post Cæsarea fuit, potestate Judæorum liberatas suis legibus reddidit. His ita gestis, M. Scauro quæstori suo duas legiones reliquit, ut Syriam, qua Ægypto et Euphrate terminatur, obtineret: ipse in Ciliciam discessit, vinctum abduicens Aristobulum cum duobus filiis, filiabusque totidem; quorum e numero paulo post major fratrum Alexander, in itinere parum diligenter asservatus, effugit. Festinabat enim Pompeius, ut, rebus orientis constitutis, Romam recurreret.

Strab.xvi.
p. 753.
Joseph.

Appian.
Syriac.
Joseph.

70. Idcirco celeriter pertransitis quæ Ciliciam et Pou-

habetur: nempe apud Cicer. pro Flacco, 28. Liv. Epit. cii. Eutrop. vi. Oros. vi. 6. Strab. xvi. p. 762. et seq. Lucan. l. ii. v. 592.

Plut. Pomp. Appian. Mithrid. et Syr. Tacit. Hist. v. 9. Flor. iii. 5. Dionem denique l. xxxvii. Crec.

tum interjacent provinciis, cum Amisum venisset, regio Plut. Pomp. ibi liberos, qui capti interea fuerant, et ab Pharnace munera reperit, cum cadavere Mithridatis, quod muria Appian. conditum parricida Pharnaces miserat. Pompeius, mor- Mithrid. tuo Sinopen amandato, ut sepulcro majorum inferretur, Dio. sumtu insuper ad regii splendoris exequias liberaliter Plut. Dio. præbito, vestem qua uti consueverat, armorumque ele- Appian. Plut. gantiam et pondus est admiratus. At vaginam gladii, quam aiunt talentis constitisse quadringentis,¹ Publius quidam suffuratus, clam vendiderat: itemque cidarin miri operis Caius, Mithridatis collactaneus, Fausto Syllæ. In quos deinde Pharnaces, re comperta, animadvertit.

71. Idem obsides quoque multos Græci barbarique Appian. generis misit ad Pompeium: adductis etiam qui M'. Aquillium comprehenderant, orans, 'ut sibi aut paternum Ponti regnum, aut saltem Bosporanum, quibus finibus Machares tenuisset, concederetur.' Et Pompeius, illius sane opera Italiam maximo metu liberatam reputans, socium et amicum appellatum regnare in Bosporo jussit; exceptis in libertatem Phanagorensibus, qui defectione sua primi perculerant Mithridatem, causamque præbuerant periculis, quibus ad extremum est obrutus. Ab eodem merito Castor socius amicusque populi Romani appellatus est: et accepta Galatiæ parte, filiam Deiotari regis duxit. Unde subitus ei domui, nec diuturnus splendor.

72. Venerunt deinde præfecti castellorum, qui dedicationem in adventum Pompeii distulerant, ne forte thesauros diriperent quorum in manus traditi forent, et deinde ratio a se reposeceretur. Incredibiles hic repertæ opes, quanquam diuturno et infelici bello maximam vim pecuniæ Mithridates absumserat. Talaura præcipue re-ferta omnis generis opulentia, quæstorem, dum inventa Appian. percenset, ad dies triginta attinuerunt. Duo inde millia poculorum ex onyche Romani sustulerunt, cum multis phialis, sellis, lectis, equorum etiam phaleris aureis gem-

Strabo XII.
p. 568.
Cic. pro
Dej. c. 11.
Dio.

¹ Talentis quadringentis] Marcis argenti 37500. Crev.
Delph. et Var. Clas. Livius.

matisque. Hæc partim a Dario, Hystaspis filio, pervenisse ad ultimum Mithridatem ferebantur: pars cum Alexandro filio a Cleopatra in templo Æsculapii deposita, tradentibus Cois, facta illius erant: nec pauca ipse paraverat, elegantioris instrumenti percupidus.

73. Dum ad hunc modum res Romana tabidæ meretricis instar, insigni splendore et opulento cultu foris enitescit, peste intima propemodum vitalia exedente in id periculum adducta est, ut parum abesset, quin omnibus a se subactis conculcatisque urbibus haberi deberet infelicio. Architectus ejus fraudis Catilina erat, cujus tum maxime, consularibus instantibus comitiis, conjuratio erumpebat. Nam Catilina omni contentione pugnabat, ut prius designaretur, quam venire Pompeius in Italiam posset, cujus unius vires virtutemque maxime metuebat.

Plut. Cic.

Cic. pro Mur. c. 25.
Sall. Cat. c. 28.

Appian. Civ. II.
Plut.

Cic. pro Mur. c. 24.
Dio.

Ideirco contracto consociorum consilio, cum Syllani milites, spe novæ prædæ, quia veteres rapinas luxu et libidinibus dissipaverant, conjurationi faventes, ei totam, in qua plurimum poterant, Etruriam partibus adjuncturi viderentur; consilium ceperunt Ciceronem inter ipsa comitia trucidandi. ‘Hoc summoto cetera facilius successura.’

Plut.

Crass. c. 24.
et Cic. Dio.
Plut.

Cic. pro Mur. c. 25.

74. Hæc primo per literas, incertum unde datas, sunt cognita, quæ erant ad M. Crassum aliosque pari nobilitate scriptæ: quas ad Ciceronem Crassus ipse cum M. Marcello et Metello Scipione detulit. Ob eam rem, comitiorum dies quæ suberat, agente Cicerone, dilata est, ut de his rebus consuli senatus posset. Postridie Catilinam interrogavit in Curia consul, ‘quid de illa causa diceret?’ Atque ille aperte respondit: ‘cum duo sint reipublicæ corpora, debile alterum infirmo capite, alterum sine capite prævalidum, huic se vivo caput non esse defuturum.’ Tum ergo tumultum esse decretum est ab

Dio. Plut.
Cic.

senatu, et in auctores inquisitio jussa. Consul, ut metum et periculum cives animum adverterent, dissuta de industria tunica, loriceæ ostendit particulam. Igitur ad presidium ejus valida se aggregante manu, comitia sine tumultu peracta. D. Silanus, L. Murena designati.

Dio.

Cic. pro Mur. c. 26.
Dio, Plut.

75. Sub hoc demum tempus, dilatatum inimicorum ca-

lunna triumphum L. Lucullus de Mithridate et Tigra- Cic. pro
regibus duxit: quæ ipsa res gloriam ejus miseratione in- Mur. c. 18.
juriae augebat. Pompa uti minime prolixa, ita delecto et Acad.
apparatu spectabilis fuit. Armis machinisque hostilibus Quæst. 1v.
Circum Flaminium exornaverat. In triumpho paucos 1. Eutrop.
cataphractos duxit, decem currus falcatos, amicos duc- Vell. II. 34.
esque regios sexaginta. Naves quoque rostratæ centum Plut. Luc.
decem translatae. Præterea Mithridatis effigies ex auro
senum pedum, et distinctus gemmis clypeus. Fercula
viginti vasorum argenteorum: duo et triginta poculorum
armorumve aut nummorum ex auro. Lectos etiam aureos
octo muli transtulerunt; et alii sex et quinquaginta ar-
gentum infectum; alii centum et septem, signati paulo
minus vicies septies centena millia drachmarum.^u Præ-
ferrebantur et in tabulis summæ quas Pompeio ad bellum
piraticum, deinde quæstoribus ærarii dederat: ascrip-
tum etiam erat, nongenas quinquagenas drachmas^x mili-
tibus divisisse.

76. Inde splendidum epulum populo dedit, in foro et Plin. xiv.
per vicos tricliniis stratis: viniq; Græci congiario divisit¹⁴.
millia cadum amplius centum.^y Statuas permultas in
publico posuit ex manubiis, in quibus eximiæ artis Her- xxxiv. 8.
cules fuit in fatali tunica suprema sentiens, et colossus xxxiv. 7.
Apollinis triginta cubitorum, centum quinquaginta talen-
tis factus,^z quem ex Apolloniatarum Ponticorum insula
advexerat.

77. Hic finis publicorum operum Lucullo fuit. Postea Plut.
sive gloriæ opumque satis adeptum ratus, sive nequicquam
applicari medicamenta desperatis patriæ morbis; abjecta
semel rerum aliarum cura, in otio et luxu vixit: profusæ
in ædificiis conviviisque luxuriæ, quæ mox in immensum
Nicol.
Damasc.
ap. Athen.
vi. fin.

^u Vicies septies centena millia drachmarum] Marcus argenti 42187. uncias 4. Crev.

^x Nongenas quinquagenas drachmas] Marcus argenti 14. uncias 5. grossos 6. Crev.

^y Vini . . . millia cadum amplius centum] Cadus, teste Isidoro, l. xiv. c. 25. Græca amphora est, continens urvus tres. Itaque ca-

cus una urna amphoram Romanam superabat, capiebatque congios duodecim, vini quas dicimus pintas amplius 39. Crev.

^z Centum quinquaginta talentis factus] Sive pondus metalli, sive pretium operis hic æstimatur, talenta 150. paria sunt marcis nostratibus 14062. uncias 4. Crev.

Vell. II. 33. crevit, primus auctor. Quem⁵ ob injectas moles mari, et
 Plin. IX. 54. vicissim exciso ad Neapolim monte mare admissum, Magnus Pompeius haud infacete Xerxem togatum appellavit. Atque ea res etiam incitamento conjuratis fuit, deplorante

Sall. Cat. c. 20. suam suorumque paupertatem Catilina, dum alii sursum deorsumque vexando opes suas, vincere tamen et consumere nequirent.

Sall. c. 29. 78. Sed, augente horum amentia, simul augeri consulis
 Dio. et patrum vigiliæ cœperunt. Jam senatusconsultum fac-
 Cic. in Cat. tum erat ultimæ necessitatis: 'darent operam consules,
 I. 2. Plut. ne quid detrimenti respublica pateretur.' Post paucos
 Cic. Sall. deinde dies, L. Senius senator literas in senatu recitavit,
 Plut. Fæsulis allatas, in quibus scriptum erat, 'C. Manlium,
 Appian. qui sub Sylla duxisset ordines, bellatorem impigrum,
 Dio. postquam male partas divitias pejus etiam decoxisset, ante
 Cic. Sall. diem sextum⁶ Kalendas Novembres arma cepisse cum
 magna multitudine.' Trepididis inde vulgo omnibus, ut
 Plut. solet in tali re, prodigia nuntiabantur. Ingenti motu
 Cic. in quassata tellus Spoletumque totum concussum erat, et
 Cat. III. 8. quædam corruerant. Crebra fulmina ceciderant, quibus
 Jul. Obseq. decussa pleraque, et Vargunteius Pompeiis sereno cœlo
 exanimatus fuerat. Trabs ardens ab occasu ad cælum
 Dio. ferri visa: multisque locis spectra hominum apparuerant.
 Erant et qui salutis augurium rite factum negarent, quod
 eo tempore infaustæ aves visæ dicebantur. Nonnullos
 Claudius augur moverat, consuli bellum domesticum triste
 ac turbulentum prædicendo. Itaque certa incerta rumo-
 Cic. de Div. I. 47. ribus adaugentes, 'conventus factos, arma comportata,
 Sallust. servile bellum in Apulia et Capuæ motum' loquebantur.

79. Multa ob has res decreta in senatu facta. Q.
 Plut. Dio. Marcius Rex, Q. Metellus Creticus, qui duo imperatores
 Appian. adhuc ad Urbem erant, impediti ab adversariis ne triumpharent, ille Fæsulas, Metellus in Apuliam ire jussi. Prætores Q. Pompeius Rufus Capuam, Q. Metellus Celer in Picenum missi cum mandatis, 'uti pro tempore atque periculo exercitum compararent.' Gladiatoria fa-

5 Quæ pro quem legebatur ante Crev.
 6 Ita ex Cic. et Sall. correxit Crev. pro octarum quod in edd. prior. legitur.

milie Capuam, et in cetera municipia, pro cujusque opibus distribui, per totam urbem minores magistratus vigiliis agere jussi. Conjuratiōnis indicibus præmia proposita: servo libertas et centena sestertia,^a libero impunitas et sestertia ducenta.

80. Post hæc per aliquot dies, Catilina nihil auso moliri, tranquillæ res videri multis cœperunt, ut jam Ciceronis calumniam incusarent. Sed Etrusci motus cito fidem fecerunt veris: et Catilinam L. Paullus lege Plautia de vi postulavit. Atque ille, conscientiam dissimulans, 'vitandæ suspiciōnis causa apud M. Lepidum habitare velle' dixit, Paulli fratrem: nec receptus, venit ad Ciceronem, deinde ad Q. Metellum prætorem, et repudiatus ubique, M. Marcello custodiendum se tradidit.

81. Postea cum in senatum venire ausus esset, qui tum in Jovis Statoris habebatur, et omnes subsellia ad quæ sedendi gratia iste accesserat, vacua relinquerent, in aliam partem digressi; Cicero, sive præsentiam ejus timens, sive ira commotus, orationem in præsentem reum habuit, quam adhuc legimus: 'excedere' jubens 'Urbe quam exitio destinasset: nam referre honorum civium, ut inter se et hostem patriæ murus intersit.'

82. Ille, demisso vultu rogatis patribus, 'ne temere de se crederent, clarissimis majoribus orto,' deflexit ad convicia, 'Ciceronem inquilinum Urbis' appellando. Plura deinde maledicta ingerenti cum omnes obstreperent, 'hostem atque parricidam' vocando; furenti similis, 'Quandoquidem,' inquit, 'inimicorum conspiratione præceps agor, incendium meum ruina restinguam.' Proxima deinde nocte cum trecentis armatis egressus Urbe, plerisque consularibus, præterea optimo cuique scribit ex itinere: 'Massiliam se in exilium proficisci, ne, si resisteret inimicorum calumniis, periculum inde reipublicæ oriretur.'

83. Interim cum præcipuis sodalium ita comparaverat, ut 'quamprimum se Fæsulas pervenisse cognoscent, Lentulus atque Cethegus cum sicis domum Ciceronis irent, propter dignitatem minime excludendi, et specie secretio-

^a Centena sestertia] Marcæ argenti 390. uncia 5. Ducenta sestertia. Marcæ 781. uncia 2. Crev.

Sall. c. 43. ris colloqui seductum confoderent : L. Bestia' (is tribu-
 Appian. natum plebis erat initurus)^b ' subito concione vocata Ci-
 ceronem accusaret, meticulosum hominem, et sui timoris
 Sallust. locis urbs incenderetur.' Ei negotio, præter jam dictos,
 L. Cassius, P. Gabinius Capito, L. Statilius erant præ-
 futuri.

Cic. in 84. Hæc vigilantissimi consulis cura in irritum omnia
 Cat. II. reciderunt. Is, in forum progressus, Catilinæ fugam et
 consilia exposuit populo, ita moderans, ut negligentibus
 extrema omnia metuenda, intentis, optimam spem osten-
 deret: neque falli eos pateretur ficta Catilinæ modestia,
 quem exilii causa solum vertisse multi literis ejus decepti,
 aut studio partium dictitabant. Sed paucos post dies
 epistolam ejus in senatu Q. Catulus recitavit hoc exem-
 plo.

Sall. c. 34. 85. ' L. Catilina Q. Catulo salutem. Egregia tua fides
 re cognita, grata mihi magnis in meis periculis, fiduciam
 commendationi meæ tribuit. Quamobrem defensionem
 in consilio novo non statui parare: satisfactionem ex
 nulla conscientia de culpa proponere decrevi; quam me-
 dius fidius veram licet cognoscas. Injuriis contumeliis-
 que concitatus, quod fructu laboris industriaeque meæ
 privatus, statum dignitatis non obtinebam, publicam mi-
 serorum causam pro mea consuetudine suscepi. Non quin
 æs alienum meis nominibus ex possessionibus solvere pos-
 sem, cum et alienis nominibus liberalitas Orestillæ suis
 filiaque copiis persolveret; sed quod non dignos homines
 honore honestatos videbam, meque falsa suspitione alie-
 natum esse sentiebam: hoc nomine satis honestas pro meo
 casu spes reliquæ dignitatis conservandæ sum secutus.
 Plura cum scribere vellem, nuntiatum est, vim mihi pa-
 rari. Nunc Orestillam tibi commendo, tuæque fidei
 trado. Eam ab injuria defendas per liberos tuos rogatus.
 Aveto.'

^b *Bestia (is tribunatum plebis erat initurus]* Recte interpre-
 tatur Freinshemius Sallustium, tum designatus tantum erat, ut
 apud quem legitur, ' L. Bestia tribunus plebis.' Nempe ille fu-
 turnus erat tribunus plebis eo
 tempore quo res ageretur. Sed
 constat ex Plut. in Cic. Vid.
 infra, c. 107. *Crev.*

86. Inter hæc ipse, cum aliquot dies apud C. Flamini-um Flammam in agro Reatino exegisset, vicinitate, quam per emissarios suos antea sollicitaverat, armanda; suntis Plut. Dio. fascibus lictoribusque, signisque explicatis ad paratas a Manlio copias contendit; liberis omnibus, adhuc enim servitia repudiabat, ad societatem armorum vocatis. Hæc ubi Romæ comperta sunt, senatus vestem mutat: Catilinam et Manlium hostes judicat: ceteræ multitudini diem Sallust. statuit, ante quam sine fraude liceret ab armis discedere, præterquam rerum capitalium condemnatis. Præterea decernit, 'uti consules delectum habeant: Antonius cum exercitu Catilinam persequi maturet. Cicero Urbi præsidio sit.' Qui providus futuri provinciam Galliam, se- Plut. Dio. Cic. in Pis. c. 2. natus auctoritate, exercitu et pecunia instructam et ornatam, quod ita reipublicæ ferebant tempora, in concione, licet reclamante populo Romano, deposuerat. Gallia, ne Catilinæ pateret, ipso maxime Cicerone annitente, Q. Cic. in Cat. II. 3. et ad Fam. v. Ep. 2. Metello Celeri, qui in Piceno exercitum habebat, com- Plut. Dio. missa est.

87. Cicero, qui ante etiam contra Catilinæ audaciam clientium amicorumque præsiidiis dissimulanter se muniverat, tum vero palam custodiam circum se habuit equitum Romanorum maxime. Quod nomen, ipse equestri genere ortus, sic in consulatu stabilivit extulitque, ut ab eo tempore tertium hoc in republica corpus cum senatu populoque Romano haberi cœperit. Cic. in Cat. IV. 7. Plin. xxxiii. 2.

88. Cum inter hæc a Ser. Sulpicio competitore suo L. Cic. pro Murena consul designatus legibus ambitus interrogaretur, Cicerone defendente, est absolutus, quod nemo judicum sibi de ambitu audiendum esse putaret, quia, Quint. VI. I. Cic. pro Flac. c. 39. gerente bellum Catilina, sciebant Kalendis Januariis duos Cic. pro Mur. c. 37. in republica consules esse oportere. Dixerat etiam Cato in reum, vir nullius rei, quam legum et æqui studiosior. Is, cum in petendo non obscure vidisset largitionem versari, in senatu dixerat, 'accusaturum se quicumque pecuniam dedisset:?' unum excipiens Silanum, quod is in Plut. Cat. Min. matrimonio Serviliam habebat, Catonis sororem. Ceterum quo tempore Catilina bellum orsus est, magnum Sall. Cat. c. 39. et Dio. severitatis documentum A. Fulvius senator dedit, filium

- necando, quem ad Catilinam euntem e medio itinere retraxerat: præfatus ‘non se Catilinæ adversus patriam, sed patriæ adversus Catilinam genuisse.’
- Val. Max. v. 8. 89. Ceterum Ciceronis in Urbe retinendi consilium salubre reipublicæ fuit. P. enim Lentulus, ceterique conjuratorum principes non cessabant de Catilinæ præcepto adjungere quoscumque novis rebus idoneos judicassent.
- Dio. Plut. Cic. Sallust. Idcirco cum forte duo legati Allobrogum venissent, de magistratuum Romanorum injuriis questum; per P. Umbrenum, qui negotiatus in Gallia fuerat, sollicitantur. Neque parum commoti sunt feroces animi, cum spes libertatis, et ampla alia præmia ostenderentur. Tandem incerta certioribus posthabendo, Q. Fabium Sangam, quod civitas in tutela Fabiorum erat, adeunt, eique rem totam aperiunt: ab hoc Cicero edocetur. Vocantur legati: veniunt cum Murena consule designato, magnisque promissis inducuntur, ut studio conjurationis diligenter simulato, id agant, uti quam certissima coarguendorum noxiorum argumenta indipiscantur. Interea non in Urbe solum, sed per Italiam magni motus erant, ceterum festinatione et amentia conjuratorum fere innoxii: quorum e numero multos Metellus Celer in Piceno; in citeriore Gallia C. Murena, consulis designati frater, qui ei provinciæ præerat, ex senatusconsulto in vincula conjecerunt.
- Cic. pro Font. c. 12. Sallust. Cic. pro Dom. c. 52. Sallust. 90. Sed in Urbe cum A. D. ix. Kalendas Octobres senatus ob instantia pericula vocatus esset, novæ sollicitudinum causæ plerosque terruerunt. P. Nigidius Figulus, quo amico et consiliario intimo consul utebatur, audito C. Octavium ‘uxoris suæ puerperium’ excusare, ‘quod in Curiam tardius venisset,’ exclamavit, ‘Dominum nobis genuisti.’ Ea Figuli existimatio Romæ erat, ut inter doctissimos haberetur: mathematicarum autem rerum peritia sic excellebat, ut prohibitis artibus crederetur uti. Eo majorem in animis patrum timorem ea vox peperit, præcipue quia paucos ante menses constanter jactatum fuerat, ‘naturam regem orbi terrarum parturire.’ Idemque Sibyllæ carminibus comprehensum dicebatur. Præterea passim etiam extremis ab oris in eum sensum oracula affe-
- Cic. pro Mur. c. 41. Sallust. Sueton. Aug. c. 5. A. Gell. xv. 7. Plut. Sueton. Aug. c. 94. Constant. Manass. Dio, XLV. inil. Sueton. Cic. de Div. II. 54. Virg. Ecl. IV.

rebantur. Ob eas causas, maxime quod Romæ etiam factum prodigium esset, senatum exterritum censuisse, ne quis illo anno tolleretur, suppressumque fuisse senatusconsultum per eos qui gravidas uxores habebant, Julius Marathus scripsit, Augusti libertus. Nam ad Augustum hæc postea tracta sunt, ejus ille quem diximus natalis M. Tullii consulatum illustravit.

Sueton.
Aug. c. 79.
Vell. ii. 36.

91. Sed tum quidem ad propiora pericula prævertendum senatui fuit. Lentulus et ceteri, enses, sulfur, stupam in domum Cethegi clam comportari jusserant. Urbem in centum descripserant partes, quas totidem perditis hominibus assignarent sortito, ut multis simul locis incenderetur: paratique erant qui aquæductus obstruerent, et aquam petentes trucidarent. Cetera quoque, ut supra est expositum, administrarentur: et filii familias, quorum multi ex nobilitate inter conjuratos erant, patres suos, fœminæ maritos occiderent. Tantummodo liberis Pompeii parcere Lentulus decreverat, quos adversus iram hominis potentissimi, qui paulo post affuturus dicebatur, haberet obsides. Inter illum tumultum, cæde et incendio percussis omnibus, ad Catilinam debebant erumpere. Sed ceterorum contationem Cethegus sæpe increpabat, præferendo ingenio, promptusque manu, et ad quodlibet facinus præsentis audaciæ. Nam Lentulus et ceteri rem in Saturnalia proferebant.

Plut.

Sall. c. 43.
c. 24.
Plut.

Sallust.

Cic. in
Cat. iii. 4.
Plut.
Sallust.

92. Jam Allobroges ex mandato Ciceronis cum conjuratis egerant. Ab iis ad Catilinam eum Tito quodam Volturtio Crotoniense mittuntur. Eidem literas dat perferendas Lentulus, hoc exemplo: 'Qui sim, ex eo quem ad te misi, cognosces. Cura ut vir sis, et cogita quem in locum sis progressus: et vide quid jam tibi sit necesse. Cura omnium tibi auxilia adjungas, etiam infimorum.' Ad hoc mandata verbis dat, 'ne quod genus auxiliorum in hac necessitate spernat: neve contetur, paratis in Urbe omnibus, propius accedere.'

93. His ita constitutis cum noctu per pontem Mulvium proficiscerentur, excepti sunt insidiis, quas ibi consulis jussu C. Pontinius, L. Valerius Flaccus prætores collocaverant. Ita his comprehensis consul summo mane vo-

Flor. iv. l.
Cic. Plut.
Appian.
Cic. pro
Flac. c. 40.

- cari ad se statim Gabinium, Lentulum, Cethegum, Statilium jubet, itemque Ceparium Terracinensem, qui in Apuliam ad sollicitandos pastores proficiscebatur. Reliqui venerunt. Ceparius, indicio cognito, ex Urbe profugit. Consul senatu in ædem Concordiæ vocato, conjuratos cum custodibus adduci jubet : Lentulum (quia prætor iterum erat, post consulatum senatu motus, deinde ordine recuperato) manu tenens eodem ascendit.
- Plut. Dio. Vell. 11. 34. Plut. 94. Ibi D. Silanus consul designatus dixit, ‘ ex Cethego nonnullos audisse, fore ut brevi consules tres, cum prætoribus quatuor, occidantur.’ Similia C. Piso vir consularis afferebat. Interea C. Sulpicius, quem consul domum Cethegi miserat, redit, magnamque vim ibi telorum armorumque, plurimasque sicas et gladios recens exacutos, reperisse nuntiat. Postremo Volturtius, accepta fide publica, et post hunc Allobroges omnia aperiunt. Auctores sceleris tot indicis, testibus, literis, sua confessione, vultu denique ipso, gestu, colore, convincuntur. Lentulum dissimulantem sermonibus etiam quos habere solitus erat, Allobroges coarguebant, quærentes ab eo, ‘ nihilne secum esset de fati Sibyllinis locutus?’ Nam ex libris earum et haruspicum responsis, ‘ regnum Romæ tribus Corneliis portendi’ confirmaverat; ‘ ante se Cinnam et Syllam fuisse; se tertium, quem necesse esset Urbe potiri. Præterea esse annum ab incendio Capitolii vicesimum, et post Vestalium absolutionem decimum, quem sæpe prædixissent haruspices bello civili cruentum fore.’ Idcirco senatus Lentulum, abdicato magistratu, itemque ceteros in libera custodia habendos cum censuisset; Lentulus P. Lentulo Spintheri, qui tum ædilis erat, Cethegus Q. Cornificio, Statilius C. Cæsari, Gabinius M. Crasso, Ceparius, qui retractus ex fuga fuerat, Cn. Terentio senatori traduntur. Supplicatio etiam nomine Ciceronis decreta, qui honor nemini ante eum togato contigerat, his verbis : ‘ quod Urbem incendiis, cæde cives, Italiam bello liberasset.’
- Plut. Sallust. 95. Cum inter hæc agenda præterisset dies, obscuro jam consul quid actum esset populo exposuit : cujus magna pars paulo ante bello faverat. Tunc autem, subito

Cic. in
Cat. 11. 4.
Sallust.
Plut.
Cicero.
Sall. Cic.

Flor.
Appian.
Plut.
Sallust.

Cicero.

Dio.
Appian.
Plut.
Cic. Sall.

Cicero.
Quint. 11.
16.
Cic. in
Pis. c. 3.

Plut.
Sallust.

commutata mente, Ciceronem ad cælum tollebant laudibus, incendium maxime detestati, quod sibi inprimis calamitosum fore non dubitabant. Forte eodem die, eademque hora diei, qua per forum conjurati in ædem Concordiæ ducebantur, Jovis simulacrum ad ortum solis in conspectu Curiae forique, altioribus quam antea columnis impositum est; cum biennio ante locatum, neque tamen ob tarditatem operis statutum ad eam diem esset. Igitur quod eodem tempore patefacta est conspiratio, quod futurum eo signo sic posito haruspices responderant, non sine numine Deorum tantis periculis ereptam esse civitatem crediderunt.

96. Postridie, cum iterum senatus haberetur, introductus a consule P. Tarquitius, qui professus indicium fuerat, Crassum inter conjuratos nominavit, nobilitate, divitiis, potentiaque summa hominem. Conclamant senatores, 'falsum indicium esse,' deque ea re postulant ut referatur, pars ita sentientes; alii, quod periculosum putabant, potentissimum virum vel vero crimine præcipitem agi; multi privatim obnoxii. Igitur, consulente Cicerone, frequens senatus decrevit, 'indicium falsum videri.' Quidam existimabant machinatorem ejus indicii P. Autronium fuisse, quo Crassi potentia reliquis præsidio esset. Alii Ciceronis dolum, ut Crassus a suscipiendo improborum patrocinio, quod ipsi frequens erat, abstereretur. Ipsum utique Crassum querentem audivisse Sallustius scribit, tantam illam contumeliam sibi ab Cicerone impositam: semperque postea fuit ab eo alienior.

97. Cæsarem quoque nominari per Allobrogas, aut alium indicem, Q. Catulus, C. Piso vehementer optarunt; sed nec prece nec pretio persuaderi Ciceroni potuit, ut pateretur. Cum utroque graves inimicitias Cæsarelebat: Pisonem oppugnaverat modo in judicio propter Transpadani cujusdam injustum supplicium, quo tamen judicio Piso est, defendente consule Cicerone, absolutus: Q. Catulus extrema ætate, maximis honoribus usus, victum se a Cæsare in petitione pontificatus impatientissime ferebat.

98. Nuper enim, Q. Metello Pio mortuo, cum pontificis maximi vacaret locus, T. Labienus legem tulerat, 'ut,

Dio.
Cic. in
Cat. III. 5.

Sallust.

Plut. Crass.
Dio.
Sallust.

Plut. Crass.

Sallust. et
Plut. Cæs.
et Cic.

Cic. pro
Flac. c. 39.
Sallust.
Vell. II. 43.

Dio.

- abrogata lege Cornelia, et revocata Domitia, populus sacerdotia mandaret.' Fiebat hoc in Cæsaris gratiam, quem ita fovebat populus, ut nihil non ad demerendum eum facturus videretur. Itaque, licet duo summi viri Q. Catulus, P. Servilius Isauricus peterent, Cæsar nihil territus, se ostendit competitorem. Et Catulus quanto major annis ac dignitate erat, impensius timens repulsam, per certos homines egisse cum Cæsare dicebatur, magna ostensa mercede, ut a petitione desisteret. Ille contra longe majorem se impensam facturum in comitia declaravit. Nec verbis abfuit fides: tantaque largitione est usus, ut matri descendentem ad comitia cum lacrymis osculanti, magnitudinem æris alieni reputando, dixerit, 'Hodie, mater, aut pontificem habebis filium, aut exulem.' Ideoque duos tam potentes viros ita superavit, ut plura in eorum tribubus suffragia, quam uterque in omnibus ferret.
99. Piso igitur et Catulus, his odiorum causis, cum impellere consulém nequivissent, circummeundo tamen, et velut ex Volturtio aut Allobrogibus audita differendo, tantum illi invidiæ conflarunt, ut equites Romani quidam, ex eo numero qui circum Concordiæ armatus stabat, tanquam hosti publico gladiis minitarentur. Ibi Curio dicitur eum texisse toga sua, et consul, intuentibus in eum equitibus, abnuisse cædem: sive credebat innocentem; sive ille potentiam hominis metuebat, ne causa hujus et ceterorum mixta, potius illos ob Cæsarem servaret populus, quam cum illis interire Cæsarem pateretur. Territus tamen Cæsar, an ut invidiam conflaret inimicis, in reliquum anni tempus Curia abstinuit. Inter hæc liberti et clientes conjuratorum servitia et faciem vulgi commovebant, ut vi Lentulum et ceteros eriperent. Qua re cognita, consul, cujus diligentiam nihil effugiebat, noctu Capitolium forumque præsidii occupat: ipse in domo cujusdam amici presentia in somnis ac sollicitus animo volvebat. Nam suam domum intrare religione vetabatur: quod ibi tum Terentia uxor cum Vestalibus sacrum Bonæ Deæ celebrabat. Detecta conjuratione letabatur: sed nobilissimi deprehensi cives angebant, si tollerentur, invidiam sibi; sin viverent, rei publicæ periculum allaturi.
- Plut. Cæs.
Sueton. Cæs. c. 13.
Plut.
Sueton.
- Sallust.
- Plut. et Sueton.
- Plut. Cic.
- Sueton.
- Sall. et Dio.
- Plut. Cic.
- Dio. Plut.

100. Sub ortam lucem (Nonæ Decembres erant) confir- Cic. ad
matus prodigio, et nuntio Vestalium ‘insistere’ jubentium Fam. 1.
‘consiliis, magnum ei lumen ad gloriam præferentibus, Ep. 9.
quod domi ejus inter sacrificandum ex favilla et cinere Dio. Plot.
luculenta flamma proruperat;’ populum sacramento per
prætores adigit, ‘ubi militibus opus esset, arma capturum :’ Dio.
ipse, convocato senatu, refert, ‘quid de iis fieri placeat, Sallust.
qui essent in custodias traditi.’ Tum Decimus Junius
Silanus consul designatus (hi enim ferme sententiam primi Plut.
rogabantur) ‘de illis, et præterea de L. Cassio, P. Um- Appian.
breno, P. Furio, Q. Annio, cum deprehensi forent, sup- Sallust.
plicium sumendum’ censuit. Assentientibus aliis, Ti.
Nero ‘debellandum antea Catilinam’ dixit ‘videri; ce- Appian.
teros haberi in custodia, præsidiis additis, donec iterum Sallust.
ea de re referatur.’

101. Ubi ventum ad Cæsarem est, qui tum erat prætor Suet. Dio.
designatus, ‘mortem a Diis immortalibus supplicii causa Appian.
constitutam’ negans, ‘sed potius portum quendam misc- Plut. Cæs.
riarum, et quietem laborum esse; vinculis, eisque semp- et Cic.
ternis, coërcendos’ decrevit, ‘bona publicanda, ipsos in Cic. in Cat.
municipiis, quæ Cicero consul probasset, habendos: neu 1v. 5.
quis de iis postea ad senatum referret, neve cum populo Sallust.
ageret: municipibus, si quis eorum vincula rupisset, atroces
pœnæ præstituerentur: sic effugi invidiam, ne quis civis, Dio.
indicta causa, necatus videatur; reos interea gravius plecti, Sallust.
quam si supplicium paterentur.’

102. Adeo commoverat animos tam facundia orationis, Appian.
quam potentia viri, ut non modo ceteri deinceps eam sen- Plut. Suet.
tentiam sequerentur; sed qui sententiam prius dixerant,
et ipse ante omnes Silanus, retractarent quæ censuerant,
aut interpretatione mollirent; cum, post orationem insig- Cic. in
niam a consule interpositam, pæne inter ultimos (adolescens Cat. 1v.
enim adhuc, et tribunus plebis designatus erat) sententiam Vell. 11. 35.
M. Cato rogatus, ita et Silani perstrinxit inconstantiam, Plut. Cat.
et Cæsarem suspicionibus et invidia obruit, ut in ejus sen- Min.
tentiam, ‘sumendum de conjuratis supplicium’ decerne- Cic. ad
retur. Att. x11. 21.
Sall. Dio,
Sc.

103. Etiam bona publicari volebant plerique: sed Plut. Cic.
Cæsar ‘indignum esse’ testatus, ‘id unum ex sententia

sua retineri, quod erat asperrimum,' (nec enim alii hoc censuerant) repugnavit; illisque desistentibus, appellavit tribunos. Cum neque tribuni intercederent, consul sponte cessit, eamque sententiæ partem remisit. Magnam ea dies Catoni celebritatem attulit, adeo incomparabilem pro republica et honesto animum attulisse viso, ut major pars senatus abeuntem domum prosequeretur.

Sallust. Vell. II. 35. Appian. 104. Consul opperiri noctem, ne quid per eam novaretur, inutile ratus, triumviros capitales parare quæ pertineant ad supplicium jubet: et præsiidiis dispositis Lentulum e Palatio per Sacram viam mediumque forum ipse ducit. Principes senatus consulem stipabant: populus, magnitudine rei attonitus, cum horrore et veneratione præteribat. Ut ventum ad carcerem est, demisso in Tullianum Lentulo gula laqueo fraugitur. Idem⁷ fit Cethego, Statilio, Gabinio, et Ceparario, quos prætores adduxerant.

Sallust. Plut. Cic. Consul, spectato supplicio digrediens, cum frequentem adhuc in foro videret turbam, velut noctem effringendi carceris causa expectantium, alta voce pronuntiavit, 'vixerunt:?' hoc enim verbo ad mortis evitandum omen veteres utebantur.

105. Domum deinde jam cœpta nocte redeuntem cum plausu et lætis acclamationibus deduxit populus; matronis etiam honoris ejus causa, simulque servatorem Urbis videndi cupidine, de tectis effèrentibus faces. Prosequerantur eum primarii viri, gestis præclare rebus, et triumphorum splendore nobiles: quibus non alius inter eundem sermo erat, quam 'se quidem et similes alios imperium protulisse populi Romani; servatum populum Romanum cum imperio et imperatoribus, unius Ciceronis opus esse. Hunc non exercitu, neque vi militum, sed suis consiliis togataque nixum industria, tantum incendium, quo conflagratura opulentissima post homines natos civitas fuerit, quinque admodum noxiorum sanguine restinxisse.'

106. Neque deinceps aut in rostris, aut in curia minus ei honoris ab optimo quoque delatum est. Cato Plut. Cic. in Pis. c. 3. certe pro concione, deinde Q. Catulus frequentissimo

senatu, 'parentem patriæ' nominarunt: non ut postea Cæsares idem vocabulum, et quicquid tribuere adulatione potest, habuerunt, sed integra libertate. L. Gellius vir censorius, 'civicam ei coronam deberi' dixit 'a republica.'

Plin. vii.
30. Juven.
Sat. viii.
v. 243.
Cic. in Pis.
Plut. Cic.

107. Cum hic honorum omnium sensus esset, exortus est Q. Metellus Nepos, qui tum tribunatu recens inito, cum L. Bestia collega, et designato prætore C. Cæsare, Ciceronis acta laceraret. Is pridie Kalendas Januarias abeuntem magistratu verba facere ad populum vetuit, 'ei qui in alios animadvertisset indicta causa, dicendi potestatem fieri non oportere' dicitans: tantummodo jurare permisit. Tum Cicero, ut insultaret⁸ inimicorum pravitati, non solenne magistratum ejurantium carmen, sed hoc magna voce juravit, 'republicam atque Romam urbem sua unius opera esse salvam.' Nec indelectatus ea calliditate populus, magna voce et ipse juravit, 'vere hoc ab illo juratum esse.' Ea res adversarios ejus momordit vehementer, utque se magis etiam contra eum intenderent, stimulavit. Sed Ciceronis, ut ipse deinde in senatu dixit, is domum fuit e foro relictus, ut nemo, nisi qui cum illo esset, civium esse in numero videretur.

Cic. ad
Fam. v.
Ep. 2.
Plut. et Dio.
Cic. ad
Fam. v. et
in Pis.

Dio.
Cic. in Pis.

108. Nec sane tanto viro nimius haberi honor poterat, cujus consulatui nullum alium omni memoria conferendum reperio. Nam ceteri sæpe domi bellive egregiam operam navarunt reipublicæ, sed magnis plerumque præsidii instructi. Hic sibi præcipue innixus, adjutus a paucissimis, oppugnatus a magno audacissimorum hominum agmine, et adhuc amplius latentes adversarios timens, atrocissimam post homines natos vaferrimamque conjurationem eruit industria, debilitavit facundia, virtute constantiaque singulari superavit.

⁸ Et in edd. ante Crev. inseritur.

SUPPLEMENTUM

LIBRI CIII.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

1. **T**URBULENTUM et atrocem annum excepit D. Junii M. F. Silani, L. Licinii L. F. Murenæ consulatus,* sicut periculorum oppressa majori parte tutior, ita reliquo adversus Catilinam bello, et gliscentibus in urbe discordiis futurorumque expectatione, haud minus laboriosus et minax. Kalendis Januariis, cum senatum novi consules convocassent, Q. Metellus tribunus plebis Ciceronem vellicans, vicissim acriter est ab illo reprehensus. Et C. Cæsar primo præturæ die Q. Catulum de refectione Capitolii ad disquisitionem populi vocavit, promulgata rogatione, qua curatio ea in alium transferretur, ut Catulum honore dedicationis depelleret.^a

Cic. ad
Fam. v. 2.

Suet. Cæs.
c. 15, et Dio,
xxxvii.

2. Sive enim quædam adhuc, ut ex tanto opere, imperfecta restabant, et depressæ sub area cellæ plures gradus, paremque fastigio suggestum fieri non erant passæ, sive hoc fingebat Cæsar; id certe agebatur, ut peculatus præscriptione remoto Catulo, Pompeii nomen operi absoluto

J. Ryck.
Comment.
de Capitol.
Rom.
Dio.

* A. U. C. 690. A. C. 62.

^a *Ut Catulum honore dedicationis depelleret*] Hæc de suo adjecit Freinshemius. Certe neque Suetonius, neque Dio, Cæsari tribuunt hoc consilium depellen-

di ab honore dedicationis Catuli. Neque id jam fieri poterat, cum jamdiu Capitolium dedicasset, ut supra memoravit ipse Freinshemius, xcviij. 31. *Crev.*

præscriberetur. In ea contentione tam contumeliose tractavit primarium virum, ut purgare se volentem ex inferiore loco juberet dicere. Sed optimates, relicto novorum consulum officio, frequentes accurrisse videns ad resistendum, hanc quidem actionem deposuit: Metelli turbulentissimas actiones pertinaciter cœpit defendere, infimæ plebi totum se applicans, quæ res novare cupientibus in omni magna civitate paratissima semper materies fuit.

3. Igitur M. Porcius Cato, minime alias largitor, ut eriperet homini populum, auctor patribus dividendi in egenos cives frumenti fuit. Ea res licet constaret trecenties sestertio¹ b annui sumtus, tamen quietam eo anno rem publicam a formidata Cæsaris prætura præstitit. Atque is, post aliquot experimenta, cum deseri se a turba videret, reliquum magistratus sui tempus modeste et civiliter exegit. Sed hæc paulo post referentur, ubi Catilinæ, et copiarum quas secum habebat, exitum tradidero.

4. Is jam ex omni numero hominum, quos aut ipse adduxerat, aut coactos repererat a Manlio, duabus expletis legionibus, eventum consiliorum suorum in Urbe expectabat. Ubi deprehensa ea disturbataque, et principes conjurationis supplicio affectos didicit, simul ob eam rem multis deficientibus, res suas quotidie fieri imbecilliores, priusquam relinqueretur ab omnibus, per montes arduos in agrum Pistoriensem duxit, fugam in Galliam trans Alpes moliens.

5. Sed, intellecto ejus consilio, Q. Metellus Celer, castris ex agro Piceno prope motis, in radice montium, qua descendendum Catilinæ erat, consedit. Interea et C. Antonius affluit, qui, eum magno exercitu secutus fugientem fuerat. Ibi Catilina, locorum ingenio, geminisque hostium castris clausus, quamprimum statuit decernere, in Antonium versus: quanquam ille dignitate præstabat, majoribusque et melioribus quam Metellus copiis erat instructus. Sed quia non alienum a pravis consiliis

¹ Sestertiū edd. ante Crev.

^b Trecenties sestertio] Marcis argenti nostratibus 117187. unciis 4. Crev.

noverat, futurum aliquid sperabat, quo ille ultro victoriae occasionem corrumperet. Neque dubitatum est, lentius Cic. pro Sext. c. 5. periculosiusque futurum bellum fuisse, nisi M. Petreius et P. Sextius contanti Antonio stimulos ad rem gerendam admovissent.

6. Quaestor Antonii Sextius erat; Petreius legatus, vir Sallust. mirifico rei militaris usu, qui amplius annos triginta tribunus, aut praefectus, aut legatus, aut praetor cum magna gloria in exercitu fuerat. Unde summa ipsi apud milites auctoritas; simul amor, quod noverat plerosque, et fortia eorum facta subinde commemorabat. Is igitur, exploratis omnibus, (nam Antonius pedibus aeger, aut simulato morbo, Dio. Sall. praelio non affuit) signum pugnae proposuit.

7. Nunquam certatum est pertinacius. Catilinæ exercitus quanquam viribus impar,^c cum perire unusquisque praelio quam supplicio mallet, fugae immemor, vita citius Appian. Flor. Sallust. quam loco depelli potuit. Manlius in primo dimicans, post insignem editam pugnam cecidit. Catilina, post expletas boni militis imperatorisque omnes partes, ubi se relictum cum paucis vidit, in confertissimos hostes impetu facto, longe a suis occisus est. Ceteri quoque omnes, tria Liv. Epit. Plut. Dio. circiter hominum millia, ad unum pugnando interfecti: neque quisquam ingenuus civis aut inter praeliandum, aut Sallust. in fuga captus est. Ex Antonianis quoque haud paucos pugna tam pertinax absumsit. Antonius ex eo praelio, Dio. licet minore hostium interfecto numero, quam ob quem hic honor dari consueverat, imperator est appellatus; triumphum tamen non petiit. Val. Max. II. 8. 7.

8. At Q. Cæcilius Metellus Creticus ex Apulia rever- Eutrop. VI. sus, ante diem Kalendas Junias triumphans Urbem inivit: FastiCapit. serius quam meruerat, ob ejusdem Pompeii invidiam, qua Sall. Cat. c. 30. et Luculli fuerat triumphus retardatus. Quin et Panarem Vell. II. 34. Lasthenemque præcipuos Cretum duces, ne in triumpho et 40. Dio, XXXVI. currum Metelli præcederent, per quendam tribunum plebis eripuit Pompeius, suos dedititios esse causatus.

9. Ceterum in Urbe capite Catilinæ viso, (nam illud Dio, XXXVII.

^c *Quanquam viribus impar]* voluerat, *quanquam et numero et* Priores editiones, *Quanquam et viribus impar.* Crev.
viribus. Fortasse Freinshemius

- certæ securitatis pignus Antonii jussu allatum fuerat,) supplicatio decreta, quod alias ex civili bello fieri non solebat : et sagis positis ad priorem vestitum civitas rediit. C.
- Jul. Obseq. Antonius statim in provinciam suam Macedoniam ; reliqui
 Pigh. Ann. etiam in suas provincias sunt profecti. Galliam cis Alpes^d Metellus Celer habebat ; Transalpina C. Pontinio cessit. Hispaniam C. Cosconius, Q. Pompeius Africam sortiti sunt. L. Valerius Flaccus in Asiam est missus.
- Dio. 10. Reliquiæ deinde conjurationis, cum, ne quiescere possent, metu suppliciorum præcipites agerentur, diversis
 Oros. vi. 6. Italiæ regionibus sunt extinctæ. Præcipui in his Caii Marcelli fuerunt, pater et filius. Sed alterum in Pelignis, alterum in Brutiis, M. Bibulus, Q. Cicero prætores oppresserunt. De his motibus L. Vettii equitis Romani
 Cic. ad indicio fuerat cognitum : quod ab initio salutare, mox varie
 Att. II. 24. corruptum, magnas et ipsum in civitate turbas excitavit. Multi enim affines conjurationi protracti sunt, partimque morte, alii pecunia condemnati. Quod tempus
 Dio. ab inimicis Ciceroni postea objectum est, quasi ‘ domi
 Sall. in Cic. suæ judicia legis Plautiæ exercuisset cum uxore Terentia : ’
 Plut. Cic. ejus alioquin id erat ingenium, ut cupide se publicis
 c. 36. negotiis ingereret. Sed Vettius cum tabulam senatui exhibuisset, qua socios Catilinæ dicebat contineri, ex intervallo eam repetiit, plures ascripturus. Enimvero patres hoc anceps et fraudibus opportunum rati, tabulam, ne forte etiam nomina quorundam expungeret, non reddiderunt : ipsum, si quos præterea indicaturus esset, voce jusserunt edere. Sic ille, pudore et metu perfrusus, pauca addidit nomina.
- Sueton. 11. Sed apud Novium Nigrum quæstorem ab eodem
 Cæs. c. 17. Vettio C. Cæsar erat compellatus : quem etiam Q. Curius, cui primo Catilinariæ conjurationis iudici decreta præmia erant, in senatu nominaverat. Id vero intolerabile Cæsari visum. Ideirco Ciceronem in senatu testatus,

^d Galliam cis Alpes] Hæc provinciarum ordinatio fuse exponitur in Pighii Annalibus, allatis vetustorum scriptorum, ac maxime Ciceronis, testimoniis.

Quæ quoniam plura sunt, quam ut ea marginis angustæ facile capere possint, ad solum Pighium remisimus. Crev.

‘ ad quem ultro quædam de illa conjuratione detulisset,’ effecit ne præmia Curio darentur. Vettium, pignoribus captis et direpta supellectile, male mulctatum, et pro rostris in concione pæne discerptum, coniecit in carcerem: eodem et quæstorem Novium, quod majorem apud se potestatem compelli passus esset. Ab eodem indicio et Dio. per Italiam multa sollicitudo extitit: dum etiam qui non erant nominati, ne essent, metuunt, aut aliorum suspicione notarentur. Ideirco senatus, publicata Vettii tabula, securitatem ceteris et quietem præstitit. At qui nominati erant, vocati in judicium, et præsentem, absentes condemnati sunt.

12. Nec desinebat Ciceronem accusare Nepos, senatum oblique petens, cui negabat permissum, injussu populi civem occidere. Ceterum facto senatusconsulto, ‘ ne cui pestilentes et in conjuratione deprehensos necasse fraudi foret,’ additoque, ‘ si quis contra hæc periculum cuiquam faxit, eum senatui pro hoste futurum;’ ista calumnia citra majorem tumultum conquievit.

13. Illa Metelli ejusdem rogatio maximas turbas dedit, qua² Pompeius una cum exercitu ad constituendam rempublicam vocabatur. Hoc maxime modo Ciceronis se Plut. Cic. potentiam infraacturos rebantur, uti salutarem reipublicæ, ita novatoribus importunam. Metello inter pertinacissimos propugnatores C. Cæsar aderat: patrum seniores Sueton. Cæs. c. 16. resistebant; et amplissimus quisque maxime. His firmis- Dio. Plut. Cic. Plut. Cat. Plut. Cat. c. 27. c. 27. Cic. pro Mur. c. 38. simum præsidium in animo Catonis erat: qui jam a principio Metelli provisus consiliis, non alia de causa, quam ut his occurreret, tribunatum petierat.

14. Forte cum amicis quibusdam et librorum supellectile proficiscebatur in Lucaniam, ubi prædia non contemnenda possidebat: cum, jumentorum sarcinarumque et servorum magna multitudine obvia, Metellum Nepotem in Urbem ire didicit, tribunatus petendi causa. Ideirco cum paulisper restitisset cogitabundus, præcepit suis convertere iter. Mirantibus qui aderant, ‘ Non intelligitis,’ inquit, ‘ stoliditatem Metelli bonis ultro formidabilem,

nunc voluntate Pompeii velut amento concitatum, in rempublicam ferri? Minime vero hic cessandi locus est, sed aut reprimendus ille mihi, aut pro libertate moriendum.'

Cic. ad
Fam. v. 2.

Nam affinis Pompeii Metellus, omnia ex ipsius nutu facere facturusque videbatur. Præterea moribus erat

Val. Max.
ix. 14. 4.

improbis, unde et cognomentum ei Nepotis, licet a majoribus acceptum, mire congruebat. Profectus tamen,

Plut. Cat.

hortantibus illis, quo intenderat, nec multo post reversus in Urbem, petiit tribunatum, et una designatus est.

15. Hic igitur Metellum in senatu compellans, non egit vehementer et illo Catoniano spiritu, sed præter morem lenis, etiam ad preces devolutus, admonuit, 'ne familiæ suæ decus, quæ semper optimarum partium fuisset, abjiceret.' At illi, postquam rogari sensit, crevit animus: Catonisque domitam libertatem cedere sibi et succumbere putans, eo prorupit temeritatis, ut, 'vel invito senatu, cæpta executurum' diceret. Tum vero mutato oris habitu, et vocem ac orationem a priori mansuetudine ad contentionem et vehementiam revocans Cato, acerrime cum illo disputavit de republica. Postremo adjecit, 'Pompeium armatum, se vivo, venturum in Urbem non esse.' Ambo exivisse de potestate videbantur: sed Metellus quadam infernali rabie concitari; Cato cœlitus afflatum furorem furere.

Sueton.
Plut. Cat.

16. Cum deinde cum populo agendi dies adesset, in quem Metellus atque Cæsar vim et arma paraverant, magnusque conflictus expectaretur; domesticos anxios Cato confirmavit, cœnaque de more sumpta quievit ita tranquille, ut a Q. Minucio Thermo collega, arte dormiens, excitaretur. Cum hoc ad templum Castoris progressus, conspecta armatorum multitudine, 'Homines,' inquit, 'timidos et nequam, qui contra unum et inermem tantum præsidium compararunt!' Hoc dicto, perrumpens per densam circumstantium turbam, Minucio comite, et Mumatium amicorum intimum manu vix pertrahens, ceteris exclusis omnibus, medium se Metello et Cæsari interposuit, quo colloquium eorum dirimeret.

Cic. pro
Sext. c. 29.
Plut.

Cicero.
Dio. Plut.

17. Ibi omnibus de vita ejus timentibus, cum Thermo collega intercessit legi. Metellus ferre perseverabat. Illi

recitare scribam vetuerunt. Tum, arrepto codice, Metellus instituit recitare: Cato ei extorsit codicem. Metellus, qui memoriter tenebat verba legis, nihilominus eam populo satagebat exponere; cum Thermus, opposita manu, compressit os homini, farique prohibuit. Ibi Metellus, constantia virorum cognita, signo dato excivit armatos. Hoc metu cum omnes diffugerent, solus Cato resisteret; saxis et fustibus petebatur. At consul Murena, quamquam accusatus a Catone nuper fuerat, obtenta toga pervicit, ut jacere cessarent, Catonemque secum in ædem Castoris abduxit.

18. Metellus vicisse ratus, et legem sine impedimento perferendam, discedere jussit armatos, iterumque cœpit civiliter cum populo agere. Sed adversarii subito recollecti cum magno plenoque fiduciæ clamore affuerunt: vicissimque Metelli operæ, venire illos arreptis alicunde³ armis rati, fuga facta vacuum ad rostra viam reliquerunt. Igitur Cato populum docendo confirmandoque suam in sententiam adduxit: simul patres, eum ob tumultum subito vocati, rempublicam consulibus tuendam permiserunt, addito, ‘ ut omnes qui salvam vellent, pestiferam legem oppugnanti Catoni adessent.’

Dio.

Plut.

19. Ergo Metellus, quamquam ipsum audacia non deseruerat, suis perterritis, imparem se factioni optimatum videns, celeriter convocata concione, multis invectus est in Catonem, ‘ ejusque se tyrannidem, et principum contra Pompeium conjurationem (cujus futurum sit ut brevi eos pœniteat) fugere’ dixit, statimque contendit in Asiam; cum tribunus plebis esset, quibus ne quidem abnuotare Dio. licebat. Senatus molestissimo tribunatu, Catonis opera Plut. et virtute, excusso, decretum contra Metellum et Cæsarem fecit, quo ab administratione reipublicæ ambo removebantur.

20. Cæsar primo resistens, deinde postquam sibi vim paratam sensit, domi se continuit; plebemque biduo post sponte confluentem, operamque sibi in asserenda dignitate pollicentem, compescuit. Hoc facto tam propitium

3 Pro *aliunde* in edd. præcc. correxit Crev. ex Plut.

sibi senatum effecit, qui ad tumultum concurrentis populi celeriter convenerat, ut gratias ei per primarios ageret, accitumque in Curiam, et gravissimis verbis collaudatum, inducto priore decreto, in integrum restitueret. Eadem lenitas erga Metellum adhibita, non tam sponte senatus, quam Catonis precibus, qui nec insultare victo inimico cupiebat, nec utile putabat irritare Pompeium. Et Metellus, iis rebus auditis, eadem levitate, qua ad Pompeium ex Urbe cucurrerat, a Pompeio in Urbem rediit.

21. Pompeius interea, constitutis Asiæ rebus, præter alia quæ dederat amicis præmia, Mithridatium, quod Pontici juris fuerat, Brogodiaturo, Galatarum Trocmorum tetrarchæ dedit, qui Dejotari filiam in matrimonio habebat. Eupatoriam, non eam quæ conjuncta fuit Amiso, sed ubi Lycus et Iris fluvii miscentur, dirui a Mithridate cœptam quod Romanos recepisset, refecit, appellavitque ex suo cognomento Magnopolin. Cabira quoque in urbis formam adornata, Diospolin postea vocari voluit. Sed et aliam Eupatoriam, quæ fuit Amiso juncta, simul cum eadem Amiso vocari Pompeiopolin jussit. Per eundem Phazemon vicus urbs effecta, cognomento Neapolis. Castella circum dejecta, præsertim quæ sita in editis jugis erant, ne prædonum receptacula fierent. Putei quoque qui inerant, obturati. Ad Amniam itidem fluvium, ubi victi a Mithridatis ducibus Bithyni fuerant, Pompeiopolin condidit. Interim ut otio liberaliter uteretur Rhodum navigavit Posidonii causa, quem sapientiæ professorem etiam proficiscens ad piraticum bellum audiverat: tantumque studiis honorem detulit orientis occidentisque victor, ut intraturus domum ejus percuti ex more fores a lictore varet.

22. His per hyemem gestis, decessurus ex Asia, viritum militibus distribuit denarios millenos quingenos,^e et pro portione centurionibus et equiti. Sedecim millia talentorum ea largitione expensa dicuntur. Inde descendit

^e Denarios millenos quingenos] millia talentorum. Marcæ argenti Marcas argenti nostrates 23. 1500000. Crev. uncias 3. semunciam 1. Sedecim

Ephesum, et mox, exercitu in classem imposito, petiit Dio. Italiam. Sub idem tempus præmissus ab eo M. Piso Plut. consulatum petebat. Ideirco Pompeius literas misit ad Pomp. et senatum, ' ut dies comitorum proferretur, quo ipse præ- Cat. sents commendare amicum posset: ' nam hæcenus eo legato erat usus. Tantis rebus gestis nihil sibi denegatum iri putabat: eratque plerisque formidabilis, quod adhuc exercitum habebat, neque dimissurus credebatur. At Cato, ne hoc initio ad majora progredieretur, obstitit, persuasitque senatui ut negaret. Ne tamen queri Pompeius posset, M. Piso consensu omnium comitiis est designatus. Dio.

23. Eodem tempore Pompeius uxori Tertiae, Mucii Ascon. in Scævola filiae, quanquam soror Metellorum erat, cor- Scaur. Cic. ruptam a Cæsare suspicatus, libellum repudiis misit ex ad Fam. v. 2. Sueton. itinere, quod jam erat ingressus; cum, quo propius Ita- Cæs. c. 60. liam accedebat, eo plures et graviores de ea rumores Plut. Pomp. ex- Cic. ad ciperet. Id divortium a plerisque vehementer probabatur. Att. i. 12. Quo iniquiore postea animo Pompeius tulit, M. Scaurum, Ascon. ducta Mucia, iudicium suum traducere.

24. Sed, quasi gentilis sui suamque vindicatura inju- Sueton. riam, Pompeia Quinti filia, L. Syllæ neptis, adulteran- Cæs. c. 4. dam se P. Clodio tradidit, simul publicis violatis cari- Cic. ad moniis. Cum enim, exeunte anno, domi prætoris Cæsaris Att. i. 12. pro populo fieret, P. Clodius App. F. perditissimus ado- et 16.lescens, psaltriæ vestitu in sacrarium (opertum vocabant) Liv. Epit. accessit: neque enim virum, interea dum Vestales ibi Dio. Plut. sacrum Bonæ Deæ facerent, fas erat interesse, aut Cæs. et Cic. omnino sub eodem tecto versari; in tantum ut picturas Plut. quoque masculorum animantium contegi mos esset. In- Quæst. ter hæc tam horribilia arcana, mater Cæsaris Aurelia, Rom. sororque Julia,^f cum ceteris matronis, P. Clodium Sen. Ep. 97. ancillam Pompeiæ opperientem deprehenderant; velatisque Juv. Sat. continuo sacris, a mulieribus domo exactus est. vi. 338.

25. Eam rem eadem statim nocte viro quaque suo in-

^f Sororque Julia] Suetonius retulisse. Hanc solam hujus Cæs. c. 74. memorat sororem fœminæ mentionem in hoc nego- Cæsaris Juliam in iudicio Clodii cio reperimus. *Crev.* omnia ex fide pro testimonio

- dicantibus, cum luce per totam Urbem percrebuit, magnum et atrox admissum piaculum esse. Sacrificium a virginibus instauratum est. In senatu mentionem faciente Q. Cornificio, senatusconsultum factum, 'ea de re ad virgines et pontifices referri oportere:' ab his 'nefas esse' decretum est. Deinde senatus 'quæstionem de pollutis sacris habendam' censuit, 'consulesque' (jam M. Pupius M. F. Piso Calpurnianus, M. Valerius M. F. Messala Niger iniverant)* 'rogationem ea de re promulgare' jussit. Cæsar uxorem tanta coopertam infamia dimisit.
26. Cum deinde de provinciis ornandis ageretur, C. Antonio, qui multa facere injuste et illiberaliter dicebatur, successor dabatur, ni fuisset a Cicerone defensus. Sic ille Macedoniam retinuit. Q. Metellus Galliam citeriorem: C. Pontinius Transalpinam. Utrobique bellum erat, ortum auctumve ex conjuratione Catilinaria: et Helvetios novis rebus studere nuntiatum ab sociis. Igitur senatus censuit, 'uti quicumque Galliam provinciam obtineret, quod commodo reipublicæ facere posset, Æduos ceterosque amicos populi Romani defenderet.' C. Cæsar Hispaniam ulteriorem,⁴ Q. Tullius Cicero Asiam sortiti obtinuerunt.
27. Dum ista maxime fiunt, Pompeius ad Urbem venit, non, ut plerique crediderant, armatus; sed Brundisii dimisso, sic tamen ut ad tempus triumphi præsto esset, exercitu.⁵ Vitare invidiam et certamina maluerat, quæ utraque prægravia et acerba imminabant. Nam quæ esset omnium de Marii Syllæque actis sententia, non ignorabat: movebaturque, quod et M. Cras-
- Dio.
Cic. ad Att. i. 13.
Marian. Scot.
Cic. Asc. in Milon.
Plut. Dio. Sueton.
Cic. ad Att. i. 9. et ad Fam. v. 6.
Cic. de Prov. Cons. c. 13.
Cæs. de B. Gall. i. 2. et 35.
Sueton. Cæs. c. 18.
Cic. ad Att. i. 15.
Plut. Pomp.
Vell. ii. 40.
Plut. Dio.
Plut.

⁴ In *ulteriorem* pro *citeriorem* editionum priorr. mutavit Crev. ex Suet.

* A. U. C. 691. A. C. 61.
⁵ *Dimisso, sic tamen ut ad tempus triumphi præsto esset, exercitu*] Sic quidem Plutarchus. At Dio Pompeium scribit ita dimisisse exercitum, ut eo ne ad triumphum quidem utendum sibi putaret: et Appianus, qui accu-

ratissime Pompeiani triumphum pompam recenset, legatos ac præfectos currum Pompeii ambisse memorat; de exercitu silent; eumque et Dionem sequitur ipse Freinshemius infra c. 49. Crev.

sus cum liberis et pecuniis, velut vim Pompeii timens, ex Urbe profugerat: et Cato haudquaquam spernendus adversarius, tum alios principes, tum maxime Lucullum, ad resistendum Pompeio excitabat. Ferunt Catonis tantam jam tum fuisse Pompeii aestimatione auctoritatem, ut ad hunc conciliandum, sibi filioque duas Catonis propinquas in matrimonium peteret: repudiatusque a Catone est, qui pararium ejus Munatium nuntiare Pompeio jussit; ‘Catonem per feminas capi non posse: ceterum recte agenti ultro amicum et adiutorem fore.’

Plut. Luc.
et Cat.

Plut.
Pomp. et
Cat.

28. Sed hanc undecumque profectam Pompeii modestiam tantus hominum favor excepit, ut cum paucis et inermibus, tanquam ex qualibet peregrinatione, redeuntem, aggregata per viam maxima hominum multitudo deduxerit, nihil magnopere desideratum pristinas copias, si quid novare cupisset. Ex Urbe quoque frequenter obviam itum: longissime a juventute; post hos, ut cujusque aetas aut dignitas tulerunt; proxime portam senatus occurrit.

Plut. Pomp.,
Vell.
Plut.

Appian.
Mithrid.

29. Non erat obscurum, quamcumque in partem vir eo robore inclinasset, momentum ingens fore: idcirco qui Clodium salvum volebant, non omiserunt ad hunc se protinus convertere. M. Piso consul, quam ipse ferebat ex senatusconsulto de religione violata rogationem, amicitia Clodii adductus, antiquatam cupiebat. Ejus impulsu Q. Fufius tribunus plebis Pompeium in concionem produxit, cum die mundinarum in Circo Flaminio maxima frequentia populi esset, quaesivitque; ‘Placeretne ei iudices a praetore legi, quo consilio idem praetor uteretur.’ Pompeius ‘senatus auctoritatem semper sibi maximam visam esse, ejusque decretis obtemperandum’ respondit. Ad extremum Fufius obtinuit, ut de iudicium genere (in quo erant omnia) ipsi concederetur.

Cic. ad
Att. 1. 13.

14.

16.

30. Accusavit Clodium tribunus plebis P. Lentulus Spinther,^h duobus ex eadem gente subscriptoribus usus.

Plut. Cæs.
et Val. Max.
iv. 2. 5. et

^h *Tribunus plebis P. Lentulus Spinther*] Hic multipliciter peccat Freinshemius. Primo P. Lentulus nec fuit tribunus plebis, nec esse potuit. Cornelii enim Lentuli patricii fuere. Secundo accusatorem Clodii Cicero quidem et Valerius Max. Lentulum vocant. Sed eum fuisse Lentulum Spintherem minime

Cic.de Har. Q. Hortensius præcipue, ut hæc sineret, auctor senatui
 Resp.c. 17. fuit; infensus Clodio, et nullis illum aut iudicibus, aut
 Cic. ad Att. i. 16. accusatoribus effugiturum putans. Itaque ne Fufius ro-
 gationi consulum intercederet, ita transactum, ut ipse
 ferret eadem omnia, præterquam ut iudices a prætore
 legerentur.

Sen. Ep. 31. Testimonium in hoc iudicio Cato et Cicero dix-
 97. Cic. ib. runt: Clodius 'Interamnæ se fuisse' pugnabat, 'qua die
 et proDom. incestasse sacra diceretur.' Sed Cicero vere quidem, sed
 c. 40. et impulsus ut putant a Terentia ut eum testimonio læderet,
 pro Mil. c. 17. Plut. 'Romæ apud se fuisse' juravit. Multi præterea princi-
 Cic. pum, perjuria ejus, testamenta supposita, Nisibenam se-
 ditionem, homines centuriatos, supra matronarum atque

Dio. Plut. virginum suis testimoniis exposuerunt.
 Cæs.et Cic.

32. Lucullus etiam ancillas produxit, 'adulteratam a
 Clodio sororem germanam esse,' quam de tribus minimam
 idem Lucullus in matrimonio habuerat. Putabatur etiam
 cum duabus reliquis sororibus suis consuetudinem stupri
 habere, quarum Tertia Q. Marcio Regi nupta erat, Q.
 Metello Celeri major Clodia, profligatissimi pudoris fæ-
 mina, quam vulgus Quadrantarianⁱ cognominabat: quod
 ei quidam aliquando mœchus, cum aureos dare putaretur,
 loculos quadrantibus impleverat. Eandem et Catullo
 poëtæ sub Lesbiæ nomine fuisse adamatam, Apuleio pro-
 dente, cognovimus.

Apul.
 Apolog.

Dio. Plut. 33. Inter hæc testimonia Cæsar quoque citatus nega-
 Cæs.et Cic. vit se quicquam comperisse; quamvis et mater Aurelia,

est verisimile. Cicero enim de illo acensatore agens in Orat. de Harusp. Resp. eum laudat tantummodo tanquam 'gravem ac disertum oratorem:' nimis jejune profecto, si de parente et auctore salutis suæ dixisset. Denique Plutarchus memorat quidem ab tribuno plebis Clodium violatæ religionis acensatum esse. Sed, præterquam quod haud semper accuratam in his minutis rebus diligentiam Plutarchus præstat, spectare ille potuit legem a Q. Fufio in Clodium latam, de qua ita scribit

Cic. ad Att. i. Ep. 16. 'Hortensius excogitavit, ut legem de religione Fufius tribunus plebis ferret, in qua nihil aliud a consulari rogatione differret, nisi iudicium genus.' Itaque hac lege tribunitia iudicium violatæ religionis constitutum est. *Crev.*

ⁱ Quadrantarian] Olim Quadrantulam, quod nomen ex interprete Plutarchi sumpsit Freinshemius. At illo altero quod edidimus utuntur Cic. pro Cælio, c. 26. et Cælius ipse apud Quintilianum, l. viii. c. 6. *Crev.*

et soror Julia, apud eosdem iudices, omnia ex fide retulissent. Interrogatusque, cur igitur repudiasset uxorem; 'Quoniam,' inquit, 'meos tam suspicione quam crimine iudico carere oportere.' At iudices, cum initio se valde severos exhibuissent reo, præsidiumque ab senatu, non nisi damnaturis necessarium, postulassent; M. Crasso suscipiente negotium, pars major ita turpiter sunt corrupti, ut, præter pecuniam, noctes etiam certarum mulierum, atque adolescentulorum nobilium introductiones nonnullis iudicibus pro mercedis cumulo fuisse Cicero scripserit. Igitur Q. Catulus cum vidisset eorum aliquem, 'Quid vos,' inquit, 'præsidium a nobis petebatis? An, ne nummi vobis eriperentur?'

Appian.
Civ. II.
Sueton.
Cæs. c. 74.
Cic. ad
Att. I. 16.

Senec.
Ep. 97.
Plut. Cic.

34. Neque diu post Catulus senex admodum extinetus est: vir summis honoribus in republica usus, optimarum semper partium, et incorrupta integritatis fama. Paulo ante mortem dedicato Capitolio^k consummasse felicitatem vitæ visus est, præcipuo tum honore, et usque ad aliud incendium Vespasianique tempora mansuro.

Dio.

Tac. Hist.
III. 72.

35. Nec omiserim quæ tum ei per somnium oblata futuri species dicitur. Namque post dedicationem duabus continuis noctibus somniasse dicitur: prima, Jovem Optimum Maximum prætextatis compluribus circum aram ludentibus, unum secrevisse, atque sigillum Romæ, quod manu gestabat, in ejus sinum deposuisse. At insequenti, animadvertisse se in gremio Capitolini Jovis eundem puerum: quem cum detrahi jussisset, prohibitum monitu Dei, tanquam is ad tutelam reipublicæ educaretur. Ac die proximo, cum adoraturus in Capitolium ascendisset, obvium⁵ sibi C. Octavium, qui postea est Augustus appellatus, nunquam antea visum, non sine admiratione conutitus, similem dixit puero de quo somniasset. Quidam

Sueton.
Aug. c. 94.

Tertul. de
Anim. c. 46.
Dio, XLV.
iuit.

5 *Obriam* edd. ante Crev.

//////////

^k *Paulo ante mortem dedicato Capitolio*] Immo nono ante mortem anno. Vide supra XCIII. 31. Circa hanc Capitolii dedicationem parum constare sibi Freinshemius nobis visus est su-

pra in not. ad c. I. hujus libri. Inde et arguitur falsi lepida illa fabella quæ mox sequitur de Octavio; qui, consule Cicerone, septimo post dedicationem Capitolii anno, natus est. Crev.

aliter somnium Catuli exponunt, sed eodem recedente significato.

Dio,
xxxvii.

36. Inter hæc pons Fabricius ad insulam Tiberinam pertinens, exstructus est: qui ad nostram ætatem incorrupta structura hæc inscriptionem pertulit: L. FABRI-

Pigh. Ann.

CIUS C. F. CUR. VIAR.⁶ FACIUNDUM CÆRAVIT.

Liv. Epit.
Dio,
xxxvii.

37. Dum in Urbe ista fiunt, Allobroges quam diu voverant animis rebellionem cœptavere, facto in Galliam Narbonensem impetu. Sed C.⁷ Pontinius, idoneo loco castra metatus, ut ad omnia quæ tempus postularet præsto esse posset, Manlium Lentinum cum copiis ad oppidum Ventiam recipiendum misit. Ventini, repentino hostium adventu territi, oppidum reliquerunt. Qui relictis erant, missis oratoribus, petierunt pacem. Interea totis agris ad auxilium concurritur: fit in Romanos ex improvise impetus: oppidumque in potestatem Allobrogum redit.

38. Agrum tamen impune Romanus populabatur, donec multi ad Isaram flumen accolentium cum Catugnato gentis universæ duce affuerunt. Ibi Manlius, cum transitu prohiberi hostes, propter multitudinem navigiorum, non possent, veritus si aperte strueret aciem, ne conferti unitique incumberent, in propinquis flumini nemoribus occultus consedit, ut dissipatos et sine metu se trajicientes exciperet. Satis feliciter processit aliquamdiu dolus. Sed ubi fugientes quosdam insecutus, in ipsum Catugnatum temere incidit, cum omnibus suis perierat, ni repentina tempestas hosti suam occasionem eripuisset. Postea Catugnato longius abscedente, rediit ad Ventiam Lentinus, obsessamque et oppugnatam vi cepit.

39. Servius autem Galba et L. Marcius legati, Rhodano transmissio, populabundi agros Allobrogum Solonium oppidum pervenerant, castello munito haud procul inde potiti. Occurrentes deinde hostes prælio fuderunt, oppidique partem incenderunt, (nam pleraque ædificia ligno exstructa fuerant,) ne universam caperent Catugnati superventu prohibiti. His rebus auditis, Pontinius cum

⁶ Ita ex ipsa inscriptione edidit Crev. In edd. priorr. legitur CUR. VICAR.

⁷ C. pro Q. editionum priorr. emend. Crev. ex Cic. et Sall.

toto exercitu movit, obsessosque hostes, præter Catugnatum, in deditionem recepit.

40. Dum hæc geruntur, Romæ comitorum fervebat ambitus, non sine gravi culpa Pompeii, qui ut Afranium Metellumque consules efficeret, largitione magis, quam vel auctoritate, vel gratia pugnabat. In eo negotio M. Pisone consule uti credebatur. Contra hæc tam adulta vitia parum aut veteribus legibus, aut novis profectum est. Nam Lurco tribunus plebis de ambitu ferebat hoc novum, 'ut qui nummos in tribu pronuntiavit,⁸ si non dederit, impune sit: sin dederit, ut, quoad vivat, singulis tribus sestertium terna millia¹ debeat.' Sed minime lex perlata. Comitia in A. D. XI. Kalendas Sextiles dilata sunt.

41. Cato, ut semper, pugnabat pro republica, eodemque tempore propinquis, maxime mulieribus, quæ repudiata Pompeii affinitatem ægre tulerant, probavit consilium suum; ostenditque, 'siquidem accepta conditio foret, nunc ipsis una subeundam fuisse tantæ turpitudinis infamiam:' quod in hortis Pompeii dividi pecuniam crebro vulgi rumore jactabatur. Ciceronem quoque mordebat in Afranii honore consulatum suum sugillari: quem magistratum velut usucaptum a nobiles, duo novi homines Arpinates, C. Marius eccellente belli gloria, M. Cicero pacis artibus, meruissent.⁹ At Afranium neutro præstantem æquari sibi ægre ferebat. Sed potior his omnibus pecunia consules, quos volebat, Pompeius designavit, Q. Metellum Celcerem, L.¹⁰ Afranium.

42. Censores eo anno quinam fuerint, haud dixerim: fuisse certum est. Nam et senatus recensitus est, solito quidem numerosior, quod omnes qui magistratum quandoque gessissent, allecti erant: et vectigalia locata a censoribus. Lustrum neque tum, neque post Cn. Lentulum,

⁸ *Pronuntiavit* legebatur ante Crev. qui mutavit ex Cic.

⁹ *Meruissent* edd. ante Crev.

¹⁰ *A.* pro *L.* legebatur ante Crev.

¹ *Sestertium terna millia*] Marcas argenti 11. uncias 5. grossos 6. Crev.

Infra,
CXXXIV.
80.
Plin. VIII.
36.
Juv. Sat.
IV. 99.
Solin.
c. 29.
Plin.
Fulv. Ursin.
Dio.

L. Gellium censores factum est, donec Augustus sextum consul fecit. Eodem anno L. Domitius Ahenobarbus ædilis curulis ursos Numidicos centum, et totidem Æthi-
opas venatores in circo dedit, A. D. XIV. Kalendas Octobres. Sic quidem in annalibus est annotatum. At leones intelligi putant,^m quod constet Africam ursos non gignere. Sed et in nummis Domitii leonum, non ursorum expressa effigies cernitur. Ludis ¹¹ tum populus primum praudendi causa surgere instituit, prius sine interruptione perspectare solitus.

Plut.
Pomp.
Vell. II. 40.
Plin. VII.
26. et
XXXVII. 2.
Plut.

43. Triumphum deinde tertium Pompeius biduo duxit, A. D. III. et pridie Kalendas Octobres, cum una dies tot transehendis opibus non sufficeret. In id tempus incidebat natalis ejus, ut consulto huc distulisse pompam videatur. Biduum quoque non cepit magnitudinem apparatus: et, quantum alii cuilibet instruendo triumpho fuisset satis, relictum et omissum est. Ejus triumphi hæc

Plin. VII.
26.

fuit præfatio: ‘Cum oram maritimam a prædonibus liberasset, et imperium maris populo Romano restituisset, ex Asia, Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Scythis, Judæis, Albanis, Iberia, insula Creta, Basternis, et super hæc de regibus Mithridate et Tigraue triumphum ducere.’ At in concione, cum de rebus suis dissereret, ‘cum duobus et viginti regibus bellum se gessisse’ dixit; ‘et Asiam, quam provinciarum ultimam accepisset, mediam patriæ reddidisse.’

Val. Max.
VIII. 15.
Oros. VI. 6.

Plin.

44. Ceterum in templo Minervæ, quod ex manubiis dicabat, hunc inscripsit titulum: ‘Cn. Pompeius Magnus imperator, bello triginta annorum confecto, fuis, fugatis, occisis, in deditionem acceptis hominum vicies semel centenis LXXXIII. millibus,ⁿ depressis aut captis na-

11 Ita ex Dione correxit Crev. *Ludis* in edd. priorr. legitur.

^m *Leones intelligi putant*] Multi docti viri, inter quos Vossius et Lipsius. Vid. not. Harduini ad hunc Plinii locum. Crev.

ⁿ *Fuis, fugatis... LXXXIII. millibus*] Hæc omnia, librarium vel Freinshemii incuria o-

missa, ex Plinio huc revocavimus. Numerus navium qui sequitur, ex Plinio quoque emendatus est, cum hic justo antior esset, edereturque DCCCXLVI. Crev.

vibus DCCCXLVI. oppidis, castellis MDXXXVIII. in fidem receptis; terris a Mæotis lacu ad Rubrum mare subactis, votum merito Minervæ.⁷ Cognomen ex tot victoriis multum ascivit, quanquam plurima offerrentur, contentus appellatione Magni, quam olim meruerat. Sed tum a tota concione sic consulatus est: hactenus familiaris magis assentatio, quam consentientis famæ iudicium fuerat.

45. Nunquam antehac tanta spectata Romæ opulentia fuit, neque tam exitiosa moribus, ad margaritarum gemmarumque studium hinc præcipue inclinatis: quarum rerum maximam ille copiam conspicuæ magnitudinis æstimationisque in triumpho tulit. In acta relatus est alveus lusorius e duabus gemmis, latus pedes tres, longus quatuor. In eo fuit luna aurea pondo xxx.^o Præterea lecti trieli-niæ tres, in quibus unus Darii fuisse dicebatur, Hystaspæ geniti: vasa ex auro et gemmis abacorum novem: signa aurea tria, Minervæ, Martis, et Apollinis: coronæ ex margaritis triginta tres: mons aureus quadratus cum cervis et leonibus, et pomis omnis generis, circumdata vite aurea, Aristobuli donum: Museum^p ex margaritis, in cuius fastigio horologium erat: imago Cn. Pompeii e margaritis.

46. Tituli quoque præferbantur pecuniæ quam impenderat: ‘Reipublicæ causa, legatis et quæstoribus, qui oras maris defendissent, datum mille talentum,^q militibus singulis sena millia sestertiorum.’^r Erat ascriptum ‘universos populi Romani redditus antea fuisse bis millies: nunc suis victoriis Pompeium adjecisse millies quadringenties.’

47. Præter hæc translata est Mithridatis regis dactylitheca, quam mox dedicavit in Capitolio,^t cum illa quam modo diximus aurea vite, aliisque donis. Naves in por-

^o Pondo XXX.] Marcarum nostratum pondo 46. unciarum 7. *Crev.*

^p Museum] Interpretatur Harduinus ædiculam Musis dicatam. *Crev.*

^q Mille talentum] Marcas argenti nostrates 93750. *Crev.*

^r Sena millia sestertiorum] *Mar-Delph. et Var. Clas.*

cas argenti 23. uncias 3. grossos 4. *Crev.*

^s Bis millies] Marcarum argenti 781250. Millies quadringenties. Marcas 546875. *Crev.*

^t Dactylitheca, quam mox d-dedicavit in Capitolio] Decet Plinius solitos esse annulos indui Deorum simulacris. Inde ortum

Livius.

Dio.

Liv. Epit.
Liv. xxx.
45.

Entr. vi.
Plin.
xxxvii. 1.
et 2.

Appian.
Mithrid.
Plin.

Joseph.
Ant. xiv.
4.
Plin.

Plin.
Strab. xii.
p. 556. et
ap. Joseph.
xiv. 5.

Appian. tum adduxit integras septingentas. Transvexit et sellam ac sceptrum Mithridatis, cum effigie illius aurea cubitorum octo, quanquam non totus, sed pectore tenus expressus erat; itemque statuam argenteam Pharnacis, qui primus regnavit in Ponto; currusque aureos et argenteos.

Plin. Arborum etiam genera tum primum ostensa Romæ, ebe-
 xxxiii. 12. nus, quam sola ferre putabatur India; et, uni quondam
 Plin. xii. terrarum Judææ concessa, balsamum.
 4. et 25.

Appian. 48. Inter hæc innumeri currus transvehebantur arma portantes, et navium rostra. Captivorum deinde ingens multitudo, sine vinculis, patrio habitu cultuque. Proxime currum reges aut liberi regum ducesque ibant, capti bello, aut obsidum loco traditi. Horum illustrissimi Tigranes minor, ejusque conjunx et filia, et regina Zosime, patris Tigranis uxor: et Artaphernes, Cyrusque, et Oxathres, et cum Dario Xerxes, sororesque eorum Orsabaris et Eupatra, Mithridatis liberi. Sed et Olthaces ducebatur, qui in Colchis regnaverat: et Judæorum rex Aristobulus cum Antigono filio, et puellis duabus. Præterea Cili-cum tyranni et archipiratae: Scytharum regiae mulieres: tres Iberorum, duo Albanorum duces; earundemque gentium, et Commageni regis obsides: itemque Laodicensis Menander, qui præfectus equitum Mithridatis fuerat. Absentium quoque imagines, Tigranisque ac Mithridatis pugnas et clades pictura repræsentabat. Omnium item præliorum, quibus per se legatosve victor extiterat, tabulæ antelatae. Mithridatis præcipue postrema obsidio, et nocturna fuga, sed et exitus spectabatur, virginesque mortis paternæ comites. Etiam reliquorum ejus filiorum filiarumque ante patrem mortuorum, nec non Deorum barbaricorum effigies transferebantur.

Dio. Plut.
 et Appian.

Joseph.
 Ant. xiv.
 8. et de B.
 Jud. i. 5.
 Appian.
 et Plut.

49. Titulus quoque visebatur conditarum urbium. Octo in Cappadocia Pontoque ædificaverat: in Cilicia et Cava Syria viginti: in Palæstina quoque aliisque regionibus nonnullas: in universum undequadragenta. Reges victi

esse morem dactylithecas, sive annulorum thecas, consecrandi in templis suspicatur Justus

Rycnius, libre de Capit. c. 22. Crev.

memorabantur, ‘Tigranes Armenius, Artoces¹² Iberus, Oræses Albanus, Darius Medus, cum Areta qui Nabatæis Arabibus, et Antiocho qui Commagenæ imperabat.’ Ipse triumphator, junctis exemplo Liberi elephantis,^a gemmato curru vehebatur, chlamyde, ut ferebatur, Alexandri Magni amictus, quam apud Coos in thesauris Cleopatæ Mithridates invenerat. Currum socii ministrique victoriæ sequebantur, legati tribunique, pedites partim, alii in equis. Nam exercitum diu ante dimissum non acceperat: quanquam veteri more Romano, sine exercitu triumphare imperatorem, bello confecto, absurdum habebatur. Mitior hic solito triumphus in captivos fuit: omnes dimissi sunt ad suos sumtu publico; præter Aristobulum et Tigranem in custodia servatos, ne ille fratris, hic patris pacem turbarent.

50. Majorem hic triumphus pecuniam in ærarium, quam ulla ætate quisquam intulit: non comprehensa, quæ ex manubiis est in Capitolio reposita, signati argenti septingentis quinquagies semel centena millia drachmarum^x translata¹³ Appianus auctor est: Plutarchus in auro et argento facto signatoque in ærarium illata ad viginti talentorum millia. Multis novis inusitatisque ornamentis insignis iste triumphus cum haberetur, nihil illustrius visum, quam quod tribus triumphis totidem terrarum orbis partes devictæ causam titulosque præbuerunt. Ter enim et alii triumphantes Capitolium ascenderant: hic, quod antea contigerat nemini, primum triumphum ex Africa, secundum ex Europa, tertium ex Asia duxit.

51. Ob tam celeres grandesque victorias a plerisque Magno Alexandro conferebatur: et, quo similior ei videretur, ut fit ubi suis inventis homines blandiuntur, quatuor et triginta annis minorem finxerunt quidam; cum quin-

¹² *Artoces* edd. ante Crev.

¹³ *Translatum* legitur in edd. ante Crev.

^a *Junctis . . . elephantis*] Hoc de Africano Pompeii triumpho Plinius memoravit: nec, quo auctore id transferat ad hunc de Mithridate triumphum Freinshemius, compertum nobis est.

Crev.

^x *Septingentis quinquagies semel centena millia drachmarum*] Marcas argenti 1173437. uncias 4. *Viginti talentorum millia.* Marcas argenti 1875000. Crev.

Plin. VIII.

2. Appian.

Dio.

Appian.

Vell. II. 40.

Val. Max. VIII. 15.

Cic. pro Balb. 4. ct 6. et pro Sext. c. 6.

Albin. in Corp. Poët. p. 1542.

Plut. Vell.

Plut.

Vell. II. 53.

Plut. tum atque quadragesimum explevisset : felix opinione
Liv. ix. 17. hominum futurus, si quem gloriæ, eundem et vitæ finem
habuisset, neque vertentem fortunam esset, jam ætate
provector, expertus.

Cic. ad 52. Mense Decembri cæpit agitari in senatu causa
Att. i. 17. publicanorum, qui, redemptis Asiæ vectigalibus, ut induce-
et 18. et retur locatio postulabant. Erat res invidiosa, et turpis con-
ii. 1. fessio temeritatis. Tamen Crassus ut peterent fuit auc-
tor : Cicero adjuvit petentes, ut concordiam ordinum re-
tineret, quam in consulatu stabiliverat. Sed Cato sem-
per adversus iniqua flagitantibus, summopere resistebat.
Idemque præterea, quod alterum ab senatu valde abalie-
navit equites, censuit assentiente senatu, ' ut de iis qui ob
judicandum pecuniam accepissent quæreretur.'

Cic. pro 53. Ea de re certatum et olim fuerat; honestissimis
Cluent. c. 56. equitum hanc conditionem recusantibus, ' ut in dispari
fortuna, dignitate, honoribusque ac præmiis, paria ipsis
atque senatoribus pericula proponerentur : cum præsertim
ita lex Sempronia primum, dein Cornelia, conceptæ es-
sent, ut senatores complexæ de ceteris non cogitasse vide-
rentur.' Sed tum hoc agebatur, ut etiam equites nova
lege illigarentur. Placebant hæc et Metello, qui desig-
natus tum consul, cum potestate nondum uteretur, aucto-
ritate permultum poterat : adeo quidem, ut sub finem hu-
jus anni, Compitalitios ludos, quos, auctore tribuno quo-
dam plebis, magistri vicorum facturi erant, privatus adhuc
feri prohiberet.

Cic. in 54. Eodem anno M. Æmilius Scaurus, qui relictus a
Pis. c. 4. et Pompeio cum legionibus in Syria fuerat, Petram, Ara-
ibi Asc. bium Nabateorum metropolim, aggressus, cum famem ex-
ercitus pateretur locis difficilibus, Antipatrum ad Aretam
misit, qui ¹ deditioem suaderet.² Hoc internuntio pac-
tum, ' ut trecenta talenta ² Romano darentur.'

Joseph. 54. Eodem anno M. Æmilius Scaurus, qui relictus a
Antiq. xiv. Pompeio cum legionibus in Syria fuerat, Petram, Ara-
9. et de B. bium Nabateorum metropolim, aggressus, cum famem ex-
Jud. i. 6. ercitus pateretur locis difficilibus, Antipatrum ad Aretam
Heges. i. 18. misit, qui ¹ deditioem suaderet.² Hoc internuntio pac-
Joseph. tum, ' ut trecenta talenta ² Romano darentur.'

14 Quo edd. ante Crev.

¹ Qui deditioem suaderet] Jo-
sephus nullam deditiois men-
tionem facit, sed componendæ
pacto et pecunia pacis, ut reve-

ra factum est. Crev.
² Trecenta talenta] Marcæ ar-
genti 25125. Crev.

Areta Scauroque volentibus, diremtum est; idque adju- Cic. ad
mento fuit Scauro, ut destinatam M. Pisoni provinciam, Att. 1. 16.
in alterum annum, amittente Cicerone, retineret.

55. L. deinde Afranius, A. F. Q. Cæcilius, Q. F. Me- Dio,
tellus Celer consules inierunt:* pro quibus, uti desig- xxxvii.
narentur, maximis largitionibus pugnasse Pompeium
narravimus. Sed illi plus molestiæ et impedimenti, quam
quod speraverat auxilii, tantis impensis quæsitum est.
Nam horum opera, tum alia quæ vellet assecuturum Dio,
rebat, tum uti acta sua confirmarentur: eo magis xxxvi. fin.
quod legati sui ad exercitum operum summorum præ- et xxxvii.
cipii ministri iidem illi fuerant. Ceterum Afranius sal- versus init.
tandi quam negotiorum peritior, nihil ei profuit. Dio,
Metellus etiam obfuit ab ira dimissæ Muciae, quam xxxvii.
rorem Metelli, cum haberet ex ea liberos, Pompeius
repudiaverat. Accedebat excellentis gloriæ perpetua Vell. 11. 40.
comes invidia: præterea simultates cum maximis viris Flor. 1v. 2.
Lucullo Metelloque, graves potius quam iniquæ, quos
prior et sine causa offenderat.

56. Igitur Lucullus, qui de cetero se penitus otio ac Plut. Luc.
voluptatibus tradiderat, præter pristini doloris stimulos, et Pomp.
ab optimatibus nonnullis incitatus, in senatum venit,
Pompeioque rata haberi acta sua postulanti acerrime res-
stitit; 'æquum esse prius ut senatus cognoscat de singulis' Dio.
dictitans: 'nam ut promiscue omnia ignaris, qualia
quæque sint, patribus confirmanda obijciantur, id vero
incivile prorsus, et dominationi proximum. Præterea,
quod a se constituta pleraque Pompeius labefactaverat,
arbitrari' jubebat 'senatum, utrius potiora esse decreta
deberent.'

57. Hæc cum per se non iniqua principes senatus M. Appian.
Crassus, duoque Q. Metelli, Creticus et consul, sed et M. Civ. 11.
Cato, enixe defenderent, inferior in curia Pompeius, ad Dio. Vell.
tribunos plebis confugit, ut, quod per senatum nequiverat, Plut. Cat.
populi favore consequeretur. Idcirco quo infimi vulgi Plut. Pomp.
promptiora et plura suffragia quærerentur, L. Flavius Dio.
tribunus plebis promulgavit rogationem, 'uti Pompeianis

Cic. ad
Att. i. 18.
et 19.

militibus certus agri modus daretur : utque quibus civitatis, iisdem et suffragii jus omnibus esset.^a Ea tota ratio senatui displicebat. Cicero ut populo simul Pompeioque et possessoribus satisfaceret, secunda concionis voluntate tollebat ex lege, quæ ad incommodum pertinebant privatorum, ‘ ne quid mutaretur de agro qui P. Mucio L. Calpurnio consulibus publicus fuisset,’^b quo anno Ti. Gracchus agrarias leges tulerat : ‘ neve Syllanorum hominum possessiones moverentur.’ Volaterranos et Arretinos, quorum agrum publicarat Sylla, neque dividerat, defendebat : id solum concedens, ut ex ea pecunia quæ ex novis vectigalibus per quinquennium redigeretur, agrorum emptiones fierent.

Cæs. de
B. Gall. i.
Cic. ad
Att. i. 19.

58. Sed hæc contentio cum maxime ferveret, Gallici belli metu paulisper remissa fuit. Nam Helvetii in armis esse, atque excursionses in provinciam facere nuntiabantur. Idcirco senatus decrevit, ‘ ut consules duas Gallias sortirentur : delectus haberetur : vacationes ne valerent : legati cum auctoritate mitterentur, qui adirent Galliæ civitates, darentque operam, ne se cum Helvetiis jungerent.’ Cum in sortitione legatorum, prima de consularibus sors Ciceronis, deinde Pompeii exisset; senatus una voce ‘ retinendos hos in Urbe’ censuit. Legati sunt

^a *Utque quibus civitatis, iisdem et suffragii jus omnibus esset*] Sequitur interpretem Dionis, et Pighium, sive Schottum, Freinshemius. Sed longe alia mens est Dionis ipsius, ejus integram periodum hic repræsentabimus, ut clarius eluceat, quid ille voluerit. Τοῦ γοῦν δημάρχου τοῦ τὴν γῆν τοῖς τῷ Πομπηίῳ συνεξητασμένοις κατανεῖμαι ἐσηγουμένου, προσγράφαντος τῇ γνώμῃ, τὸ καὶ πᾶσι τοῖς πολιταῖς, ὅπως τοῦτο τε αὐτὸ βῆρον ψηφισῶνται, καὶ τὰ πραχθέντα αὐτῷ βεβαιώσωσι, κλήρους τινὰς δοθῆναι. Sensus est, Cum is tribunus plebis qui de agro militibus Pompeianis dividendo rogationem tulerat, etiam hoc addidisset, ut prædia quædam omnibus darentur civibus, quo nimirum illi facilius et de Pompeianorum militum agris

juberent, et Pompeii acta confirmarent. Metuebat scilicet tribunus, ne, si solis Pompeii militibus agri lege sua darentur, ceteri cives, qui longe longeque plures erant, cum nihil ipsi ex ea commodi caperent, rem totam aspernarentur. Vox κλήρους male intellecta, et in alienum detorta sensum, fraudi fuit Freinshemio, iisque quos secutus est duces. Illi interpretati sunt suffragia, cum evidens sit intelligi debere prædia, agros. Crev.

^b *Ne quid mutaretur de agro qui P. Mucio L. Calpurnio consulibus publicus fuisset*] Quique tum fuisset concessus privatis. Volebat nempe Cicero hujus agri possessionem iis qui haberent certam et immotam relinqui. Crev.

Q. Metellus Creticus, L. Flaccus, et Lentulus Clodiani filius. Pacata tamen provincia mansit, cum victoria C. Pontinii facilem ad reliquias pacandas viam paravisset: atque ille, contentus domuisse qui rebellaverant, non la-

Dio.
Cic. de
Prov. Cons.
c. 13.

59. Igitur cum motuum Gallicorum vanus rumor fuisset, et otium e Gallia nuntiaretur, ad civiles contentiones acrius reditum, tam vehementi concertatione, ut Q. Metellus consul lapidibus appetitus^c percuteretur a seditionis; deinde a tribuno in carcerem duceretur. Sed neque consul eo terrore flecti potuit; neque tanti viri causam deseruit senatus, quin apud illum in carcere convenire cuperet.

Cic. ad
Att. 1. 20.
Id. ib. 11. 1.
Dio.

60. Ibi Flavius, sella tribunitia ad fores collocata, jure inviolabilis potestatis clausit aditum, per murum intrare jubens senatum, si vellet; tam pertinaciter oblectans ut eodem loco pernoctaturus videretur. Tum vero Pompeius pudore ductus, et quia res perquam invidiosa etiam ad populum erat, discedere Flavium jussit, id a se petiisse Metellum mentitus. Sed notam animi magnitudinem Metellus effecerat, cum eum reliqui tribuni eximere vellent e carcere, id beneficium recusando. Postea quoque cum Flavius denuntiasset non passurum ut in provinciam iret, nisi legi consensisset, quanquam cupidior triumphi haberetur, manere potius in Urbe quam de sententia dimoveri sustinuit. Pompeius igitur principum invidia potentiam suam urgeri videns, interdum pœnitentia ducebatur, quod exercitum dimisisset: postremo quamlibet rationem inimicos reprimendi honestam arbitratus, plane descivit ab optimatibus, stulto consilio, ut dignitatem tueretur, stolidis turbulentisque adolescentulis indigne se summittens: quæ potissima ipsi seque et rempublicam perdendi causa extitit.

Cic. ad
Att. 1. 20.
Dio.
Plut. Pomp.

^c Ut Q. Metellus consul lapidibus appetitus] Hic requirimus Freinsheimii diligentiam, qui in Metellum Celerem id transfert, quod ejus fratri Metello Nepoti quarto post hunc anno accidisse Cicero memoravit in Orat. pro

Domo, c. 5. Allegabatur hic Ciceronis locus in margine: nos sustulimus, et exiguum, quod huic rapiti præfigebatur, breviarum immutavimus, cum scriptum esset *consul lapidibus pctitur*. Crev.

- Cic. ad Att. 11. 1. Pigh. Ann. Dio. Cic. ad Att. 1. 18. et 19. 61. Commodum sub ea tempora P. Clodius ab Siciliensi quæstura reversus, conceptum ex iudicio suo adversus optimates odium, tribunatus viribus exequi gestiebat. Et ne, propterea quod erat patricius, impediretur petere, per C. Herennium tribunum plebis legem promulgandam curaverat, ut 'universus populus in campo Martio suffragium ferret, quo P. Clodius, ejurato patriatiu, plebeius esset.'
- Cic. ad Att. 11. 1. Sueton. Tiber. c. 2. Cic. ib. Cic. pro Cœl. c. 24. Dio. 62. Hoc perfecto, jam pro plebeio se gerens, cum omnes semper Claudii patriciæ gentis acerrimi propugnatores assertoresque juris optimatum fuissent, tribunatum cœpit petere. Sed Q. Metellus consul, vir egregius, et patriæ amans, impediēbat, tanta contentione animi, ut 'eum sua se manu interfecturum' diceret, quanquam frater ejus patruelis erat. Sed maximum ei contra Herennii rogationem argumentum erat, quod negabat, 'nisi Curiata lege, recte de illa causa ferri potuisse.' Igitur, tribunis aliis intercedentibus, tum quidem irrita P. Clodii astutia fuit.
- Dio. Cic. ad Att. 1. 19. 63. Lex deinde, auctore Q. Metello Nepote, qui præturam gerebat, 'de abrogandis Urbis et Italiæ portoriis perlata est. Cum grata lex esset omnibus, non tam ob portorium, quam nonnullas injurias portitorum, tamen auctor displiceret; eo senatus inclinabat, ut, exemplo Lacedæmoniorum, qui commodam sententiam, ab improbo viro dictam, repeti a probato, atque huic ascribi jusserunt, alterius quam Nepotis nomen legi præscriberetur. Sed id quidem omissum: voluntas tamen spectata senatus est.
- Cic. in Vat. c. 13. Plin. xix. 1. Plin. xxxvi. 7. Dio. 64. Eodem anno Faustus, Syllæ dictatoris filius, munere gladiatorio, quod in patris honorem edebat, populo magnificentissimum epulum, balneumque et oleum dedit. Apollinæ quoque ludi magnifice facti: primusque tum P. Spinther theatralia vela ex carbaso duxit. Ostendit et amphoras ex onyche, Chiorum magnitudine cadorum: quod magnæ tum admirationi, nec diuturnæ fuit; cum intra quintum deinde annum, columnæ triginta duorum pedum magnitudine ex eodem lapide monstrarentur.
- Dio. 65. Dum hæc in Urbe gerebantur, Caesar Lusitanos

insulasque nonnullas in oceano sitas subegit, cum in ul-
 teriorem Hispaniam ex praetura venisset, M. Crassi ope
 profectioe maturata, qui sibi Cæsarem contra Pompeii
 prægraves opes cupiebat adungere. Igitur cum a cre-
 ditoribus retineretur Cæsar, Crassus pro eo spondit
 ducenties.^d Nam per ambitionem effuso patrimonio,
 contractoque gravi aere alieno, multo plus debebat, quam
 redigi ex bonis ejus potuisset. Auditaque vox est di-
 centis, ‘opus sibi esse millies, ut habeat nihil.’ At tum
 Crassi opera onerosissimo quoque importunissimoque cre-
 ditorum levatus, priusquam provinciæ ornarentur, contra
 morem ita celeriter profectus est, ut ambiguum relinque-
 ret, metune judicii, an quo maturius sociis implorantibus
 subveniretur, festinarit.

66. Aiunt in itinere per Alpes, cum ad conspectum
 pauperis vici comites ejus per jocum inter se controver-
 terent, ‘an illic etiam sit ambitioni locus?’ serio dixisse
 Cæsarem, ‘malle se ibi primum, quam Romæ secundum
 esse.’ Nam ingenium dominationis avidum, ne quic-
 quam cogitare aliud posset, omnibus variis erectum in
 spem potiundi fuerat.

67. Cum adhuc quæstor in eadem Hispania conventus
 circumiret, jussu Veteris Antistii prætoris sui; visa Ga-
 dibus in Herculis fano Alexandri Magni imagine, inge-
 nuit, nec sine lacrymis dixit ad amicos conversus, ‘Me
 miserum! qui hac ætate, qua iste terrarum orbem subegit,
 nihil adhuc gesserim memorabile.’ Neque distulit mis-
 sionem efflagitare, quo regressus in Urbem, majorum
 rerum captaret occasiones: maxime postquam absurdo
 proximæ noctis somnio,^e et conjectorum promissis inflatus
 majorem in modum animus fuit. Quod enim ille cum
 matre concubuisse per quietem sibi visus erat, ‘Imperium
 orbis terrarum portendi, quod omnium mater terra esset,’
 interpretati sunt. Spem deinde confirmavit insolitæ figuræ
 ac ingenii equus, quem erat nactus, fissis prioribus un-
 gulis, neque sessoris nisi Cæsaris patientem.

^d *Ducenties*] Marcus argenti 78125. *Millies*. Marcus 390625. Plutarchus id somnium refert ad eam noctem quæ præcessit transitum a Cæsare Rubiconem.

^e *Absurdo proximæ noctis somnio*] *Crev.*

68. Idcirco cum latrocinia, locis illis solennia, minore negotio compescere prætor posset, bellum maluit: no-
 Plut. vaque legione paucos intra dies supra priores duas con-
 Dio. scripta, contendit ad Herminium montem, et habitatores,
 situ loci ad prædas agendas incitari causatus, in plana
 jussit descendere. Sic initio belli quæsito, et hos armis
 domuit: et vicinos populos, qui, relictis oppidis suis, trans
 Durium amnem cum uxoribus liberisque fugiebant, op-
 pressit.

69. Rebellantes deinde montis Herminii incolas cum
 iterum subito adortus profligasset, atque illi, fuga ad
 oceanum facta, in quandam insulam transjecissent; partem
 militum ratibus impositam, quia navigia deerant, immisit.
 Sed ille cui commissum hoc negotium fuerat, in scopulo
 quodam vicino insulæ exposuit copias, pedestri deinde
 itinere perrecturas ad hostem: ^f ipse, priusquam faceret
 excensionem, abreptus æstu recurrente, relinquere ex-
 positos coactus est.

70. Ibi milites circumventi cæsique sunt, cum fortiter
 aliquamdiu se defendissent: neque, præter P. Scævam,
 prodigiosæ virtutis hominem, quisquam servatus est. Is
 cum diu magnam hostium multitudinem sustinisset, sau-
 cius fessusque, scuto, quod jam inutile innumeri excepti
 ictus fecerant, relicto, se coniecit in æstuarium, et interim,
 ubi profundior aqua occurrebat, natando vix evasit in
 littus; conspectoque Cæsare, qui hæc omnia cum admi-
 ratione viderat, genibus accidens veniam amissorum ar-
 Val. Max. morum supplex petiit. Cæsar, non modo virtute hominis,
 111. 2. 23. sed etiam disciplinæ reverentia probata, centurionatum ei
 præmii loco dedit. Sed hoc quidem alii Britannico factum
 Plut. bello tradiderunt: quod si ita esset, vix fuisset a Cæsare
 Val. Max.

^f *In scopulo quodam vicino in-
 sula exposuit copias, pedestri
 deinde itinere perrecturas ad hos-
 tem] Hic antea legebatur vicina
 et perrecturas. Correximus ex
 Dione. Sed et in his quæ se-
 quantur, totum hoc membrum,
 'priusquam faceret excensio-
 nem,' ab Freinshemio haud sa-
 tis commode additum est, et
 prorsus reseccandum, ut sua nar-*

*rationi perspicuitas constet.
 Dux ille, quisquis fuerit, expo-
 snerat milites eo loci, unde pe-
 destri itinere ad hostem pergere
 possent. Ipse in animo habebat
 ibidem stare in salo cum ratibus
 suis, ut eos, ubi opus esset, re-
 ciperet. Sed æstu abreptus,
 expositos relinquere coactus
 est. Crev.*

prætermisum. Ceterum Cæsar, classe Gadibus advehi Dio.
jussa, totum trajecit exercitum; hostesque penuria rerum Plut. Dio.
omnium pressos in deditionem accepit. Inde in Gallæcos
transtulit bellum, qui Brigantium oppidum habebant:
hominesque non ante visa classe sic exterruit, ut imperata
promte facturos pollicerentur.

71. Sic pacata provincia, gentibusque aliquot novis Plut.
imperio adjectis, juri dicundo conventibusque dedit ope-
ram, ut concordiam civitatum stabiliret, quæ propter æris
alieni magnitudinem plerisque locis convellebatur.¹⁵
Igitur constituto, ut 'ex debitorum redivisibus bessem cre-
ditores perciperent, donec dissolutum æs alienum esset,'
cum magna gratia sociorum, se exercituque locuplete
præda aucto, præterea imperatorium nomen bello adeptus, Dio, Suet.
non expectato successore, ad triumphi simul consulatusque
petitionem decessit.

72. Et quidem, quod grandem pecuniæ summam ad Appian.
ærarium miserat, decretus ei triumphus est. Sed erat Civ. II.
improba hominis et intricata ambitio: nam postulaturio Plut. et
triumphum extra Urbem manendum, candidato honoris Sueton.
petendum in Urbe erat. Igitur ab senatu contendit, 'ut
absentis et per amicos petentis rationem haberi liceret.'
Neque deerant qui faverent, nulla id lege prohibitum, Appian.
præterea et aliis concessum jactantes. Sed multi contra- Cic. in
dicebant, et ante omnes Cato, qui ne decretum ea de re Rull. II. 9.
fieret, diem quæ postrema erat temporis intra quod pro- Appian.
fiteri candidatos oportebat, dicendo exemit. Sueton.
Plut. Cæs.
et Cat.

73. His cognitis, Cæsar, ne consulatu excluderetur, Dio.
unde plus sibi virium, et ampliorem triumphi materiam Plut. Cæs.
pollicebatur, dimisso triumpho, Urbem ingressus, eam Appian.
continuo¹⁶ suscepit actionem, qua rempublicam captans Sueton.
invadere, præter Catonem atque Ciceronem, omnes fe- Dio.
Plut. Liv. Epit.
Plut.

¹⁵ *Convellebantur* edd. ante Crev.

¹⁶ *Continue* legitur in edd. ante Crev.

§ *Nulla id lege prohibitum*] Id advocatur, ex quo colligitantum
contra morem ac leges fuisse potest, profiteri licuisse per
docent Plutarchus, Appianus, amicos, id est, denunciare se
Suetonius. Et frustra Ciceronis petitorum, non vero petere.
in Agraria II. testimonium hic Crev.

Cic. Phil. 11. 10. Plut. Appian. Dio. Sueton. fellit. Namque Pompeium et Crassum æmulatione potentiae discordes inter se et sibi conciliavit, his legibus, ' ut omnibus in rebus adjumento invicem essent; ne quid quod cuilibet horum displicisset, in republica ageretur.'

Liv. Epit. Appian. 74. Hæc libertatem Urbis deglutiit triceps conspiratio: quam exinde velut infernale monstrum Cerbereo rictu absorbentem omnia, M. Varronis satira, sub titulo Tricareni, perstrinxit; qui, sub id temporis ædilis cum C. Murena, Lacedæmone excisum lateritiis parietibus opus tectorium, propter excellentiam picturæ, formis inclusum, ad Comitium exornandum deportavit. Quod opus per se mirum hominibus; sed magis admirationi fuit, transferri potuisse.

Vell. 11. 44. 75. Ceterum tres illi principes suis quisque causis societatem inierant: Pompeius, ut tandem acta sua confirmarentur: Cæsar nondum adultum robur committere cum viro tantis radicibus^b immaturum ratus, ipsius illius opibus ut se muniret abutebatur, omni interim illi delegata invidia: simul Crassi retinebat studia, graviter adversaturi, si Pompeium sibi antepositum a Cæsare vidisset. M. Crassus cupidus primi loci, sed retinendo impar, ad rem pertinere credebat, si duorum potentissimorum viribus fulciretur; sperabatque Cæsaris crescentem potentiam cum matura Pompeii auctoritate ita commissurum, ut, his mutuo se atterentibus, majores ipse opes consequeretur. Nam huc omnia sua consilia olim retulerat; neque optimatibus prorsus addictus, neque vicissim ita popularis, ut oblitus curiæ videretur. Tantum hoc agebat, ut quicquid utrislibet gratum accidisset, id se auctore; quæ contra essent, invito aut ignaro facta censerentur.

76. Atqui reliquorum etiam principum nemo sincerum ad rempublicam studium, nullis admixtis ambitionis avaritiæve sordibus, afferebat; uno excepto Catone, cujus invicta ad extremum constantia, quanquam nudata præsidii omnibus, in tuenda republica perstitit. Ceterum, quo majores acquireret vires tardius animadversa conspi-

^b *Cum viro tantis radicibus*] Videtur excidisse vox *nixo*, vel alia aliqua similis. *Crev.*

ratio, dederunt diligentem operam, ut tegerent eam dissimularentque: neque eo secius communicabant consilia, et quicquid conducere suis rationibus visum erat, conjunctis opibus exequabantur.

77. Jam primum in petitione consulatus, cum haberet Sueton. competitors duos Cæsar, L. Lucecium historiarum scriptorem, et M. Bibulum, per Arrium cum Lucecio coivit, Cic. ad Att. 1. 17. Sueton. Appian. Civ. 11. Sueton. pactus, ‘ut is, quia gratiæ quam Cæsar minus, pecuniæ plus habebat, nummos de suo, communi nomine, per centurias pronuntiaret.’ Contra optimates, nihil non in consulatu Cæsaris timentes, si concordem collegam nactus esset, auctores Bibulo fuerunt tantundem pollicendi: ac plerique contulerunt pecunias, ne Catone quidem inficiente, esse e republica, largitionem eam fieri. Hæc tum erant tempora. Cæsar cum Bibulo designatur. Igitur optimates dederunt operam, ut provinciæ futuris consulibus minimi negotii, id est, sylvæ callesque, decernerentur.

78. Interim C. Octavius ex prætura summa cum laude Cic. ad Q. Fratr. 1. 1. 7. Sueton. Aug. c. 3. Dio, xxxviii. Sueton. gesta, Macedoniam sortitus, (quod C. Antonio male provinciam administranti successorem mitti placuerat,) negotio sibi ab senatu extra ordinem dato, agrum Thurinum purgavit, jam olim infamem latrocinii, residuamque ex Spartaci et Catilinæ copiis fugitivorum manum delevit.

79. Sequitur jam non ¹⁷ consulatus C. Cæsaris, sed regnum: quo tempore collegam potestatis M. Calpurnium Bibulum nomine, re et opere Cn. Magnum, M. Crassum habuit.* Ideirco, nullo jam veteris et probi moris respectu, tantum ea quæ ad fundandas conjurationis opes pertinebant, ingenio Cæsaris, auctoritate Pompeii, divitiis Crassi perficiebantur: neque Romanis fiebat injuria libertatem amittentibus, quam ingratus stolidusque populus accepta mercede vendiderat. Prodigia tum multa, Dio. non sine minis et horrore malorum imminuentium, nuntiata aut visa sunt. Procella repens in Urbe et circum arbores extirpavit, ædificia scidit, naves in Tiberi juxta Ur-

17 Non jam legebatur ante Crev.

* A. U. C. 693. A. C. 59.

bem et ad ostia fluminis mersit, pontem sublicium rupit. Theatrum quoque ad ludos quosdam e ligno structum corruit: omnibusque his cladibus magna hominum absumpta multitudo est. Sed prima honoris initi, antiquitatis specie decora, aut, latente adhuc Cæsaris proposito, pro innoxiiis fuerunt: ut, quo mense fascēs non haberet, accensus ante eum iret, lictores pone sequerentur; quod ex vetustate relatum: ut tam senatus quam populi diurna acta conficerentur et publicarentur; quod ipse instituit primus, quo per provincias et exercitus nosceretur, nihil agi Romæ, nisi ex voluntate trium principum, posse.

Appian. 80. Inter hæc Bibulum, ut concorditer secum rempublicam gerere velit, in senatu rogans, ab intentione muniendi sese advocatum, ipse, clam paratis subsidiis, fallacibus blanditiis mulcebat: donec, provisus, quæ voluerat, ad Plut. Cæs. et Cat. et Pomp. Liv. Epit. Dio, xxxviii. majora itum, legesque promulgari a consule cœptæ, quales vix tribunus plebis paulo modestior tulisset; agrariæ ante omnes, quæ maximam contentionem, quod invito senatu ferebantur, habuerunt. Sed nimirum Cæsar ita se fore popularem semper erat professus, ut nihil esset acturus, quod non ad senatus quoque commodum pertineret. Igitur sic conceperat verba legis, ut nihil in his reprehendendum videretur; et tamen, ne sic quidem laturum testabatur, nisi senatu auctore.

81. Sed optimates non fallebat, hæc omnia non alia causa fieri, quam ut abductam a patribus plebem Cæsar hæc largitione sibi auctoraret. Ideoque hoc ipsum erat dolori, quod ita scripta lex esset, ut, qui eam impedirent, non tam voluntati plebis, quam æquitati manifestissimæ utilitatique publicæ refragari viderentur. Namque multitudo illa numero et egestate Urbi intoleranda exhauriebatur; frequentabantur Italiæ regiones inopia hominum desertæ: consulebatur annonæ, instaurata passim agricultura: et hæc sine impensa reipublicæ, sine incommodo principum fiebant: immo his ultro honor et emolumentum adjiciebatur, quod ex eorum numero viginti viros dividendis agris creabat Cæsar, seque nominatim excipiebat, ne scilicet suum in usum aliquid ferre existimaretur.

82. Cetera quoque ita complexus erat, ut neque prudentiam, neque æquitatem desiderares. Publicum agrum omnem dividebat, Campano, ob præstantiam regionis, ad subsidia reipublicæ reservato : privatum non nisi a volentibus emi jubebat, neque minoris plurisve, quam æstimatus in censu esset. Pecuniam autem affatim subministrabat cum triumphus Pompeii, tum recens ab eo constituta vectigalia ; quæ civium usibus, quorum et periculis parta forent, non immerito dicebat impendi. Hæc utrumne placeret ferri, singulos interrogabat, correcturum si quid secus scriptum videretur, aut plane deleturum pollicitus. Illi cum nec incusare legem possent, nec ferri vellent, promisso auctorem senatum fore, quæsitis impedimentis morabantur.

83. At Cato, pro libertate ingenii sui palam, quæ sentiret, præferens, legem non damnabat ; ceterum negabat ex his quæ antea constituta essent moveri quicquam oportere : ducebatque dicendo diem, ne perfici res ea posset. Quippe sententiam rogato senatori licebat etiam aliis de rebus, quoad vellet, disserere. Tum Cæsar ira commotus, simul ut ceteris incuteret metum, Catonem extrahi curia per lictorem, ducique in carcerem jussit. Nam illum tribunos appellaturum sperabat. Cato, nulla voce missa, sequebatur : neque pauci, relicto senatu, comites ei ibant : quorum M. Petreius, objurgatus a Cæsare, quod nondum misso senatu discederet, ‘Malo,’ inquit, ‘esse cum Catone in carcere, quam tecum in curia.’ Ob hanc invidiam, et quia plebem quoque gravatim hæc ferre animadvertebatur, destitit Cæsar, summissoque tribuno plebis dimittendum Catonem curavit.

84. Eo tempore, cum senatum mitteret, lætus contigisse quem optaverat ad plebem se applicandi colorem, hoc tantum adjecit : ‘Equidem vos et judices legis et auctores esse volui, priusquam cum populo agerem, patres conscripti : sed quoniam vobis tam bona conditio displicet, et pro honore quem vobis habebam, tantum injurias rependitis, age, jubebit populus quod ei videbitur.’ Exinde, senatu prorsus neglecto, ferre ad populum cæpit. Quo tamen honestiores haberet auctores, in concione in-

A. Gell.
iv. 10.
Sueton.

Plut. Cæs.
et Cat.
Dio.
Val. Max.
ii. 10.
Dio.

Plut.

Dio.

terrogavit collegam, ‘*ecquid ei in lege displiceret?*’ Ille nihil, ‘*nisi non permissum, ut aliquid novetur se consule.*’ Tum Cæsar rogare illum cœpit, idemque faciendi auctor populo fuit. Nec mollior inde Bibulus, sublata voce, ‘*Ne si omnes quidem volueritis, legem habebitis:*’ et cum dicto discessit.

Plut. Cæs.
et Pomp.
Appian.
Dio.

85. Cæsar, reliquos magistratus interrogare intutum putans, cum hujus esset contra spem expertus constantiam, Pompeium Crassumque produxit, privatos quidem, sed opibus et auctoritate principes. Ibi Pompeius, ‘*Ego vero, Quirites, omnia hæc summopere probo: nec ego solum, sed jam tum universus probavit senatus, cum et meis et Metelli militibus agrum decerneret. Sed eo quidem tempore propter inopiam reipublicæ ea largitio dilata est. Eadem nunc, beneficio Deorum et opera mea locupletior, et illis præstare promissa, et reliquis reddere fructus communium laborum potest.*’ Hæc locutus, singula legis capita recensens dilaudabat.

86. Id cum cupientissimo populo fieret, adjecit Cæsar; ‘*Quæro igitur ex te, Magne Pompei, quoniam legem probas, an ei defensor sis futurus, si quam adversarii vim fecerint?*’ Simul versus ad plebem, orare Magnum hortabatur. Pompeius hoc honore valde elatus, quod consul populi Romani, atque ipse, populus ad auctoritatem privati confugeret; multa de rebus suis magnifice locutus,

Plut. Cæs.
et Pomp.
Dio.

postremo dixit, ‘*si quis sumere gladium ausus esset, se cum scuto et gladio affuturum.*’ Quo uno dicto nihil unquam exciderat Pompeio immodestius. Et offendebantur quidem haud perfunctorie optimates. Sed cum hæc omnia M. Crasso probarentur, alii quoque minus tetenderunt in re populo gratissima, hisque duobus accesserunt, qui et boni viri, et Cæsari non amicissimi putabantur: adhuc enim conspirationem suam occultabant.

Cic. ad
Att. ii. 17.
Plut. Dio.
Sueton.
Cæs. c. 20.
Vell. ii. 11.
Plut. Cæs.

87. Sed eruperunt paulo post ejus rei manifesta indicia, cum Cæsar filiam Cæpioni Servilio, cui desponsa fuerat, ejusque præcipua opera Bibulum impugnaverat, ademptam, Pompeio collocavit; Pompeii filiam Cæpioni pollicitus, quanquam et illa sponsum haberet Faustum Syllam. Hæc faciebat provinciam cogitans; simul, ne, se absente,

Pompeius aliquid novaret per Gabinium, fœdissimum adulatorem suum, qui consul in sequentem annum destinabatur. Ipse Calpurniam duxit, ut patrem ejus L. Pisonem, quem alterum facturi consulem erant, hac affinitate pignoratim haberet: non dissimulante Catone, talibus nuptiis dotem a republica imperium et exercitus dari. Post hanc affinitatem Cæsar in senatu Pompeium primum sententiam rogare cœpit, cum M. Crassum soleret: cujus rei rationem senatui reddendam putavit, quia moris erat, ut quem quis rogandi sententias Kalendis Januariis instituisset ordinem, eum toto anno servaret: id quoque novo more, cum olim qui princeps in senatum esset lectus, etiam sententiæ dicendæ esset princeps.

38. Ne sic quidem mutavit sententiam Bibulus, quin ope trium tribunorum plebis, Cn. Domitii, Q. Ancharii, C. Fannii, suffultus, legem impediret tanta pervicacia, ut consumtis omnibus moræ causis, ad extremum in singulos consulatus sui reliquos dies ferias indiceret: ne enim feriis coiret populus, legibus vetabatur. Sed Cæsar, spreto Bibulo, nihilominus prædixit comitiis legis ferendæ causa diem: inque idem tempus Pompeius, jam ducta Julia Cæsaris gener, armatis Urbem compleverat.

39. Affuit et Bibulus, instigantibus patribus, qui domum consulis venerant, quod, altero impediente consule, convocari senatus nequibat; ut potius aliena improbitate victus esse, quam sua sponte cessasse videretur: et per densam multitudinem, quæ siccas sub vestibis ferens forum de nocte occupaverat, ad ædem Castoris, Lucullo et Catone comitantibus, contendit; aliis reverentia potestatis, multis, quia sententiam mutasse crediderant, viam dantibus. Sed ubi ex superiore loco impugnare legem cœpit, tanta est commota seditio, ut ipse de gradibus deturbaretur, cophinus stercore repletus in caput consulis effunderetur, fasces frangerentur, multi comitum atque inter alios duo tribuni verberibus vulneribusque afficerentur.

90. Inter hæc Bibulus insigni constantia nudabat jugulum, offerebat, ad cædem magna voce invitabat Cæsar's satellites, 'Ego vero,' inquit, 'si Cæsarem, ut juste agat, movere nequeo, id saltem efficiam ut mea mors see-

lestiorem invisiolemque omnibus reddat.' Hæc vociferantem in vicinam Jovis Statoris ædem amici rapuerunt. Tum in Catonem versus impetus, qui ut erat juvenis et robusto corpore, per medium agmen via facta, cum verba cœpisset facere, sublimis a factione Cæsaris est elatus. At ille, diversa fori parte recurrens, convicia Cæsari ingerebat: donec iterum priorem ad modum est elatus. Ita per vim perlata lege, jurare populum jussit Cæsar, perpetuo ratam fore. Idem deinde jusjurandum a senatu exegit.

Plut. Cat.

Dio.

Sueton.

Dio.

Sueton.
Plut. Pomp.
Appian.
Vell.
Dio.Cic. in
Vat. c. 9.Cic. ad
Att. II. 12.Cic. in
Vat. c. 7.

Dio.

91. Bibulus, ægre vitato exitio, postridie in curia conqueritur, rescindere acta parat; Pompeio Crassoque resistantibus, plerisque metu aut errore quietis, nihil promovetur. Igitur Bibulus, in reliquum anni tempus (menses autem octo supererant) domi se continens, tantum agenti aliquid Cæsari 'ferias esse' obnuntiabat per edicta. Sed P. Vatinius, tribunus plebis levissimus, qui et nuper consulem in vincula ducere conatus erat, viatorem misit, qui eum domo vi extraheret. Nam hic se ad omnia Cæsaris cupita signiferum præstabat, unde Cicero occultius ad Atticum de his temporibus scribens Athenionem vocat, cum illo servorum in Sicilia duce, vilissimæ plebis concitorem Vatinium comparans. Nec ex toto illo collegio quisquam illo anno legem tulit, cum nemo non haberet promulgatas, præter Vatinium, qui nec auspicia, nec Æliam Fusiamque leges curabat. Ceterum, collegis Vatinii intercedentibus, Bibulus, omissus in præsentia, nihil postea neque ipse, neque tribuni qui cum eo senserant, publicæ rei egerunt.

Appian.
Plut. Cat.
Cic. pro
Sext. c. 28.
Dio.
Appian.Plut. Cat.
Dio.
Sueton.

92. Adhuc in legem aliqui senatorum non juraverant, Q. Metellus Celer, exemplum Numidici referens, M. Cato, et hujus imitationem affectans M. Favonius. Idcirco Cæsar legem tulit, 'ut qui certam ante diem non jurasset, capitalem fraudem fraus esset.' Hic metus, an quia lege jam perlata nihil ex sua calamitate commodi perventurum ad rempublicam erat, et illos, et tribunos plebis ad jurandum adegit.

93. Sic ille non modo agrum de quo pugnatum erat, divisit; sed etiam, qui exceptus antea fuerat, Campanum Stellatamque extra sortem dedit patribus familias quibus

terni, aut eo plures liberi essent. Horum ad viginti milia reperti: et ab eo primum tempore coloniis Romanis communerata Capua est, cum circiter annos centum quinquaginta praefecturae formam nomenque habuisset. His legibus ingenti ad populum quaesita gratia, quo equestrem ordinem adjungeret, publicanis (erant enim ex eo ordine) trientem plebiscito remisit: haec enim resistentibus quibusdam, et praecipue Catone, nihil ab senatu impe-

Cic. ad Att. n. 16. et 17.
Appian.
Dio.
Sueton.
Vell. n. 44.
Dio.
Appian.
Sueton.
Dio.

94. Sic in ordinem redactis patribus, reliqua civitate devincta, quicquid voluit, cui voluit, dedit. Acta Pompeii, ne ipso quidem ultra renitente Lucullo, quem ita calumniarum metu exterruerat ut ad genua sua accederet, nedum aliis, confirmavit: provincias, ut Spintheri Hispaniam, dandas quibus ipse cuperet curavit: de variis rebus, ex suo conjuratorumque arbitrato leges tulit, de majestate, de sacerdotiis, de provinciis, de repetundis; paratis in quodlibet populi suffragiis, quae praeter cetera ludorum et venationum mercede quaesiverat. Totam denique rempublicam, latente collega, solus administravit. Unde homines urbani, quae gesta eo anno essent, non, ut solitum, duobus consulibus, sed ejusdem nomine ac cognomento signabant, 'Julio et Caesare consulibus.'

Sueton.
Cæs. de B. Civ. 1. et Cic. ad Fam. 1. 9.
Dio.
Pigh. Ann.
Appian.
Sueton. et Dio.

95. Hunc rerum statum cum multi gravarentur, et aliquando Caesar in senatu de infrequentia quereretur; Q. Considius, 'arma nimirum et milites timere,' respondit. 'Quin igitur te,' inquit Caesar, 'eadem formido¹⁸ continuit domi?' Tum ille: 'Hoc metu senectus me liberat; quae gladiis tuis parvam reliquit vitae, nec dignam cautione, particulam.' Inter quae Q. Fufius Calenus praetor, animadverso, in suffragiis promiscue latis, bene consulta sibi quemque ascribere, deteriorum¹⁹ culpam transferre in alios, legem tulit, uti 'singulorum corporum suffragia seorsim colligerentur,' quo intelligi possit, si non quid viritum unicuique, nam id ad leges solvendas tabellarias pertinebat, certe quid cuilibet ordini placuisset.

Plut. Cæs.
Dio.

96. Nihil id Caesaris intererat, qui, se praesentibus abunde

18 Insereretur ante Crev. partic. neg. non.

19 Deteriorem edd. ante Crev.

contentum ferens, quicquid cupiebat aliorum opera, nec a plebe solum, sed postea etiam a senatu consequabatur. Nam Illyricum Galliamque Cisalpinam, quam ex omnibus provinciis elegerat, socero generoque suffragantibus, cum legionibus tribus in quinquennium accepit rogatione Vatinia: mox quarta legio, et quæ trans Alpes est Gallia senatusconsulto accessit. Verebantur enim patres, ne, contentibus ipsis, et hanc populus daret, qui jam contra legem Semproniam juris hujus usurpationem primam gustaverat. Neque dissimulavit hujus victoriae gaudium, paucisque interjectis diebus, frequenti curia, 'omnium se capitibus illusurum' jactavit: ac, negante quopiam, 'facile hoc ulli fœminæ fore;' respondit, 'in Assyria quoque regnasse Semiramis, et magnam Asiæ partem olim paruisse Amazonibus.'

97. Neque contentus domesticis præsiidiis, regna sociorum omnibus modis studuit adjungere. Ariovistum Suevorum regem, itemque Ptolemæum, cui et magnam pecuniæ summam crediderat, socium et amicum appellandum, et lege et senatusconsulto, fœdusque eum eo in Capitolio feriendum curavit. Inter hæc consules designati sunt, uti convenerat, L. Piso, A. Gabinius. Gabinium de ambitu interrogare C. Cato adolescens cupiebat. Sed cum per aliquot dies copiam sui prætores non facerent, in concionem ascendit Cato, et Pompeium privatus dictatorem appellavit.¹ Unde magnus exortus tumultus est, propiusque nihil factum, quam ut homo temerarius et nullius consilii occideretur.

98. Sed aciores sub idem tempus turbas excitavit L. Vettius Catilinariæ conjurationis index, qui subornatus a Cæsare, sollicitatum se a quibusdam de inferenda Cn. Pompeio et C. Cæsari nece dicebat. Ea fabula aliquanto aliter, quam ornata putabatur, acta est. Vettius enim cum pugione, servique ejus cum telis in foro deprehendi,

¹ Et Pompeium privatus dictatorem appellavit] Quæ vis, quæ mens hujus dicti fuerit, non sane assequimur. Gruterus ex uno codice subjicit *privatum dictatorem*, quod verum nobis videtur. Nempe hic Cato invidiose arguebat Pompeium, licet privatum, dictatoria tamen esse potentia, qui Gabinium ambitus manifestum accusationi et judicio eriperet. *Crev.*

mox Vettius indicium profiteri debuerat. Sed ille, quo Curionem adolescentem in suspicionem adduceret, familiaritate ejus affectata, dixerat sibi certum esse cum suis servis impetum in Pompeium facere, idque ille ad patrem, pater ad Pompeium detulerat. Erat autem Curioni filio Cæsar offensus, quod aperte triumvirorum nimias opes traducens, assensum habere multitudinis videbatur, eique ludis Apollinaribus equites stantes plausebant, cum, ingrediente theatrum Cæsare, quievisset.

Cic. ad Att. II. 18. et 19.

99. At Vettius, in senatum introductus, fide publica postulata exposuit, ‘manum fuisse juventutis, duce Curione, in qua Paulus initio fuisset, et Q. Cæpio Brutus,^k et Lentulus Flaminis filius conscio patre. Postea C. Septimium scribam Bibuli, pugionem sibi a Bibulo attulisse.’ Quod totum irrisum est, Vettio pugionem defuisse, nisi dedisset eum consul: præsertim cum ipse Bibulus Pompeium, ut caveret insidias monuisset, eoque nomine Pompeius ei gratias egisset. Introductus Curio filius refellit Vettium eo maxime, quod Paullum ille dixerat afferre manus Pompeio voluisse, quo tempore Paullum constabat fuisse in Macedonia. Fit senatusconsultum, ‘uti Vettius, quod confessus esset se cum telo fuisse, in vincula conjiceretur: qui cum emisisset, eum contra rempublicam esse facturum.’

Cic. ad Att. II. 24. et in Vat. c. 10.

Cic. ad Att.

100. Non obstitit senatusconsultum Cæsari, quominus postero die produceret in rostra Vettium, et tribuno plebis P. Vatinius secundas agente, dicere juberet ex eo loco ad quem consuli Bibulo non licebat accedere, quemque Cæsar in prætura Q. Catulo præcluserat. Igitur Vettius auctores impulsoribusque sceleris nominavit M. Bibulum, C. Curionem cum filio, L. Paullum, qui tum quæstor in Macedonia aberat: præterea L. Lucillum, L. Domitium, quos in senatu ne tenuissima quidem suspicione aspersionem. Contra Cæpionem, quem ibidem acerrime nominaverat, in foro omisit; ut appareret noctem, et nocturnam deprecationem intervenisse Serviliæ, quæ mater

Cic. in Vat. et ad Att.

^k Q. Cæpio Brutus] Brutus pio, quia adoptatus fuerat ab ille, qui postea Cæsarem interfecit. Ideo vocabatur Q. Cæpio, quia avunculo Q. Servilio Cæpione, Crev.

Cæpionis cum Cæsare habere consuetudinem putabatur. Ciceronem non nominavit, sed dixit, ‘Consularem disertum, vicinum consuli, sibi dixisse, Aham Servilium aliquem, aut etiam Brutum opus esse opperiri.’ Deinde cum jam descendisset de rostris, collocutus cum eo Vatinius, revocavit, interrogavitque, ‘ecquosnam alios posset nominare?’ Tum ille C. Pisonem generum Ciceronis, et M.^f Laterensem conscios edidit.

Sueton.
Dio,
xxxviii.
Cicero,
Appian.

101. Quanquam in his multa erant, quæ falsum indicium proderent, tamen promulgata lex est a Vatino, ‘ut Vettio præmia decernerentur; deque nominatis ab eo quæstio haberetur.’ Interim Vettius apud Crassum Divitem de vi postulatus, cum fraudis architecti consilii tam præcipitis eventum desperarent, in carcere occisus est: Cæsare suspicionem in alios transferre niso, quanquam ipse necis auctor crederetur. Impetravit tamen ab addicta plebe, ut illius voluntate jussuque præsidium sibi circumdaret: verbo adversus insidias; revera, ut opprimendis inimicis se muniret.

Cic. ad
Att. ii. 20.
Cic. ad
Att. ii. 19.

102. Erat plane miserabilis temporum status, cum parerentur homines quæ nollent, omitterent mederi cum possent, et tamen ne taciti quidem sortem suam indignarentur. Ludis Apollinaribus maxime perspecta populi voluntas est: cum neque Cæsari præsentis plausum, et in

Val. Max.
vi. 2.

Pompeium, (coloniam enim Capuam deducebat,) petulantissime invectus Diphilus tragædus ita placuit, ut sæpius a populo juberetur repetere: ‘Nostra miseria tu es magnus,’ et, ‘Virtutem istam veniet tempus cum graviter gemes.’ Edicta vero Bibuli probrorum in illum et Cæsarem plena, tam erant jucunda populo, ut locum ubi proponebantur, præ multitudine legentium, transire nemo posset.

Cic. ad
Att. ii. 21.

Val. Max.
iv. 2.
Cic. in
Vat. c. 11.
et pro Cæl.
c. 31.
Cic. pro
Cæl. c. 7.
Dio.

103. Cum ista maxime fierent, C. Antonium ex provincia reversum accusatores corripuerunt L. Caninius Gallus, Q. Maximus Æmilianus, et M. Cælius admodum adolescens, apud Cn. Lentulum Clodianum. Catilinariam conjurationem objiciebant: nec eo crimine convictus, ob alia quæ proprie in iudicium deducta non erant, est con-

denuatus, male gestis in Thracia rebus. Macedoniam provinciam obtinuerat, eoque, statim ut in agro Pistoriensi victus fuerat Catilina, cum laureatis fascibus profectus (quæ res post eventum in omen tracta est, quasi victoriam hostibus, ad quos laurum victricem tulerat, portendisset) multa sociis finitimisque, tum adhuc pacatis, incommoda per avaritiam intulerat.

104. Non tulerunt Dardani prædas ex suis finibus agentem : suoque et vicinorum contracto exercitu iverunt obviam. Sed ille, non ausus expectare quos lacessiverat, tanquam ad alia prævertens, cum equitatu profugit. Pedestres copię cæsæ fugatæque sunt : præda omnis amissa. Simili causa eventuque commovit timuitque Mysiæ bellum, postquam ad Istriarum urbem Scythæ Bastarnæque incolis auxilio advenerant. Hujus damnatione Catilinæ sepulcrum floribus ornatum, justaque ei a perditissimis hominibus facta sunt. Ipse Cephalleniam legit exilii sedem, ibique urbem instituit condere, totam insulam tanquam suam possessionem tenens : ut jam tum appareat majora fuisse exulum viatica, quam fuerint principum antiquorum patrimonia. Hujus deinde filiam accusator ejus Caninius duxit.

105. Sed Antonium, in consulatu collegam, Cicero defenderat, quanquam aspersum se suspitione gravatus, quod inter rapinas suas partem quæri Ciceroni jactaverat. In eo judicio forte quædam de præsentis reipublicæ statu questus erat Cicero, quæ ad Cæsarem Pompeiumque delata, graviter eos offenderunt. Et erat jam aut iratus Ciceroni Cæsar, quod in viginti viris dividendo agro Campano esse nolisset. Magnum enim inimicitiarum argumentum putabatur edere, qui ne honorem quidem delatum ab illo accipere vellet. Igitur nihil ultra contandum rati, ut simul potentiam suam vimque adversariis ostentarent, eadem adhuc die horaque nona, cum illa sub sextam a Cicerone dicta essent, acerbissimum ejus inimicum P. Clodium ad plebem transduxerunt.

106. Id olim agitabat Clodius, sed varie frustrato proposito, nihil dum promoverat. Nuper autem Q. Celer,

Liv. Epit.
Jul. Obscq.

Dio.

Cic. pro
Flac. c. 38.

Strab. x.
p. 455.

Val. Max.
iv. 2.

Dio.
Cic. ad
Att. i. 12.
Cic. pro
Dom. c. 16.
Dio. Suet.
Cic. ad
Att. ii. 19.
et ix. 2. et
de Prov.
Cons. c. 17.
Vell. ii. 45.
Cic. ad
Att. ix. 2.

Dio. Suet.
Cic. pro
Domo.

Supra, c. 62.

- Cic. pro
Cœl. c. 24. qui fortissime proposito Clodii restiterat, morte subductus erat, tam opportune et velociter, ut scelus uxoris, quæ fratri et in aliis nimis dicebatur esse morigera, plerique suspicarentur. Tum vero, agente Cæsare, inventus est P. Fonteius quidam ex plebe Romana, qui lege Curiata Clodium adoptaret, statimque emitteret manu : quod per se evidens erat elusarum legum commentum, et sanequam rationi et juri repugnans, quod major natu Clodius a minori adoptabatur. Exhinc multa injecta sunt in rempublicam, et integerrimos quosque custodes ejus fulmina, patefacto ad tribunatum aditu, quem mox petiit Clodius ; et designatus est.
- Cic. pro
Dom. c. 13.
et 14. 107. Petierat et M. Laterensis egregius adolescens. Sed quia lex de agro Campano execrationem habebat in coitione candidatorum,¹ ' si mentionem fecerint, quo aliter ager possideatur, atque ex legibus Julii,' petere destitit, ne juraret. Post Antonii damnationem reus ex Asia L. Valerius Flaccus ab eodem Cicerone apud T. Vettium felicius est defensus, et opportunitate joci cujusdam absolutus. Eodem quoque patrono bis hoc anno judicum suffragiis liberatus est A. Minucius Thermus. Inito deinde tribunatu P. Clodius M. Bibulum verba facere in deponendo magistratu incipientem prohibuit, et solenni jurejurando jussit esse contentum.
- Plut. Cæs.
et Cic.
Appian.
Cic. ad
Att. II. 18. 108. Eodem anno Q. Metello Celeri,^m cum in Galliam proconsule profectus esset, rex Suevorum Ariovistus homines quosdam ex India dono dedit, qui cum e patria commercii causa navigarent, tempestatibus erant in Germaniam abrepti. Marcius Philippus, qui Syriam ex prætura obtinebat, cum Arabum prædonibus, provinciam
- Cic. pro
Flac. c. 38.
Id. ib. c. 34.
Macrob.
Sat. II. 1.
Cic. pro
Flac. c. 39.
Dio.
- Plin. II. 67.
et Pomp.
Mela, III. 5.
- Appian.
Syriac.

¹ *In coitione candidatorum*] Explodit hanc scripturam Grævius in nota ad hunc Ciceronis locum ; et ex uno codice edidit *in concione candidatorum*. Nempe ille vult intelligi concionem in qua profitebantur candidati apud populum, se petituros esse hunc vel illum magistratum. In illa ipsa concione, antequam

admitterentur in eorum munierum quibus petere liceret magistratum, cogebantur jurare se nihil novaturos circa illam Campani agri divisionem, quam Cæsar instituerat in suo consulatu. *Crev.*

^m *Q. Metello Celeri*] Cujus mors supra, c. 106. per anticipationem memorata est. *Crev.*

incursantibus, parum prospere bellum gessit : alioquin etiam haud optima fama agendo, ut clarissima C. Octavius,^u qui Macedoniae non minore justitia, quam fortitudine praerant. Atque is Bessis, ferocissimis Thracum, magno praelio fuis, imperator appellatus est.

Cic. ad Q. Frat. l. 2. Sueton. Aug. c. 3. Vell. 11. 59.

109. At Clodius, omni ad opprimendum Ciceronem intento nisu, favorem sibi ordinum prius parandum rogatione ratus, annonariam legem, itemque aliam de instaurandis collegiis tulit, triduo postquam L. Calpurnius L. F. L. N. Piso Caesoninus, A. Gabinus A. F. consulatum inissent.* Erant haec summe popularia. Nam frumentum populo, quod antea semissibus et trientibus in singulos modios dabatur, gratuitum fiebat : et collegia non tantum quae senatus sustulerat, restituebantur ; sed multa praeterea, quae nunquam fuerant, ex face plebis constituiebantur. Ut autem senatu placato uteretur (nam consules, Pisoni Macedonia, Gabinio Syria, datis provinciis, emerat) tulit, ‘ ne quem censores in senatu legendo praeterirent, neve notarent, nisi qui apud eos accusatus, et utriusque censoris sententia damnatus esset.’ Ne autem cum plebe acturo de caelo servantium obnuntiatio noereret, unam maximam perniciosarum legum remoram, Fusiam et Aeliam leges,^o quae erant de auspiciis latae, abrogavit ; cauto, ‘ ne quis magistratus, per eos dies quibus tribunus plebis cum populo ageret, de caelo servaret.’ Nam antiquitus obtinuerat, ut, cum ²⁰ plurimum auguriis omnibusque Romani tribuerent, infinita haberent singulis negotiis, ut putabant, significantia eventum. Sed augurium de caelo praecipuum habebatur, idque semel captum in totam eam diem et ad omnia negotia valebat. Eadem rogatione Clodii comprehensum, ‘ ut omnibus fastis diebus legem

Marmor. ap. Pigh. Plut. Cic. l. io. Cic. in Pis. c. 9. et ibi Asc.

Cic. passim in Orat. Dio. Cic. passim. Asc. in Pis.

Dio.

Cic. post red. in Sen. et de Har. Resp. et pro Domo, &c.

20 *Quam pro cum legebatur ante Crev.*

//////////

^u C. Octavius] Augusti pater. Ei suum praenomen hoc loco restitimus, cum male ederetur Q. Octavius. Crev.

* A. U. C. 694. A. C. 58.

^o Fusiam et Aeliam leges] De harum legum, quas sapissime appellat Cicero, vi ac sensu latissime disserit Manutius libro de Legibus Romanis. Crev.

ferre liceret,'¹ etiam intercessione sublata: ne quid divini humanive juris morari præcipitem hominis furorem posset.

Dio.

110. Nec fallebat Ciceronem adversus se omnes istas machinas comparari; quapropter L. Mummius^p Quadratum tribunum plebis invenit, qui Clodianis actionibus omnibus intercederet. Hic et Kalendis Januariis, cum in id tempus Compitalitiorum dies incidisset, Sex. Clodium, operarum Clodianarum ducem, prohibere tentaverat, ne ludos faceret: et P. Clodio se adversarium ubique intendebat.

Cic. in
Pis. c. 4. et
ibi Ascon.

Dio.

111. Idcirco Clodius, et qui occulte in perniciem Ciceronis conspiraverant, Pompeius atque Cæsar, dolum instruunt. Pompeius, cui Cicero fidem habebat, 'Clodium a se, uti ne in tribunatu contra Ciceronem faciat quicquam, omni cautione, fœdere, execratione devinctum,' confirmat; præterea præclare atque magnifice omnia pollicetur. His uti color constaret, ipse jam Clodius remissius leniusque incessere Ciceronem: magis incusare Terentiam; sæpe desiderium instaurandæ gratiæ profiteri. Ita decepto Cicerone, et quiescente Mummius, leges istæ perferuntur.

Vell. ii. 54.
Cic. ad
Att. ii. 19.
et 20. et pro
Sext. c. 7.

Dio. Plut.
Cic.

Dio. Plut.
Vell.
Liv. Epit.
Dio.

112. Continuo promulgatur, 'uti aqua ignique interdiceretur eis qui civem indemnatum occiderent, occidissent.' Hoc crimine, si crimen esset, totus senatus tenebatur: sed Cicero solum se aut primum peti gnarus, qui Lentulum ceterosque Catiliniaræ conjurationis antesignanos de sententia senatus supplicio affecerat, priusquam cum eo nominatim agi cœptum esset, vestitu mutato, populum rogare cœpit: quod consilium, sejuncta causa sua, perniciosum fuisse postea ipse agnovit.

Plut.
Appian.
Cic. ad
Att. iii. 15.

Plut.

113. Mutavit cum eo vestem omnis pæne Romanorum equitum multitudo: nec minus viginti millia juvenum,

¹ *Liberet* edd. ante Crev.

^p L. Mummius] Hic tribunus tissimis editionibus, modo Mummius vocatur Ninnius a Dione. Sed Ninnius legitur, et in Ciceronis ipsius vel accurata Crev.

promisso capillo, cum eo circumibant rogabantque, **P. Cic. post**
Crasso M. F. auctore ac duce. Sed omnibus viis qua red. ad
 incederet, **Clodius** cum ingenti perditorum hominum ag- Quir. c. 3.
 mine occurrebat, percusso insultantium, lapidesque et cœ- Plut. Cras.
 num in eum jactantium. **Senatus** quoque ‘vestem mu- Appian.
 tare populum, velut in publico luctu,’ jubebat: sed con- Plut. Cic.
 sules refragabantur, et cum armatis curiam obsidens **Clodius**. Sic quoque erupit magna pars patrum, scissis
 vestibus, invidiam adversariis cum clamore cientes.

114. At ubi ne ista quidem tam lamentabilis facies ad
 movendum aut misericordiam plebis, aut pudorem, satis Dio.
 efficax fuit; cedendumque Urbe **Cicero**ni, aut pugnandum
 armis apparuit: tum **Cicero**, crescente anxietate, inten-
 tius etiam rogabat primores civitatis, noctu atque interdiu
 circumiens domos. Sed ceteris plus voluntatis quam po-
 tentiæ aderat: **Crassus** palam oppugnabat eum: **Pompeius** atque **Cæsar** scelestius tegebant odia quam fovebant, Plut. Dio.
 certique illum perdere, quo magis illicerent in fraudem,
 quanquam ipsi unanimes, discordia consilia dabant. **Cæsar**
 secum ire jubebat in Gallias, legatione oblata, sic Cic. ad
 honeste declinaturum pericula. **Pompeius** id quidem Att. II. 18,
 magnopere dissuadebat, fugam appellando, neque consi- et 19.
 lium aliunde quam ab inimico animo profectum subinnu- Plut. Dio.
 ens. ‘Quin ille pro se atque senatu fortiter propugnaret.
 Nec suum ei, nec ceterorum bonorum auxilia defutura,
 quibus haud ægre superaturus **Clodium** esset.’ Accessit
 haud invitus huic sententiæ **Cicero**, semper in **Pompeium**
 pronior. Præterea opes ejus, quibus supra omnes emine- Flor. IV. 2.
 bat, intuitus, per hunc maxime retineri **Clodium** posse Dio.
 putabat, qui affinis ei per **Muciam**, et sub ejus imperio diu
 in exercitu fuerat. Consules autem, **Gabinium** quidem, Cic. ad
 totum noverat esse **Pompeii**; **Pisonem** non inhumanum, Fam. V. 2.
 et propter affinitatem sui studiosum rebatur. Dio.

115. Ergo, resumta fiducia, se parabat ad pugnam, mul- Cic. ad Q.
 torum adjutus insignibus studiis. Nam per ea tempora Frat. I. 2.
 equites **Romani** frequentes in **Capitolio** congressi, depre- ad Att. et
 catores ad consules et senatum cum alios ex suo ordine, in Pis. 5.
 tum principes civitatis **Q. Hortensium**, **C. Curionem**, mi- et pro Sext.
 c. 11. Dio.

serunt. L. Mummius tribunus plebis, præter alia quæ studiose pro Cicerone factitaverat, etiam plebem ad vestem mutandam est adhortatus : quod senatores itidem plebique fecerunt, donec edicto consulum ad vestitum redire compulsi sunt. Major enim adversariorum potentia fuit : et, intercessione sublata, parum L. Mummii valebat auctoritas : et equites per Gabinium consulem aditu curiæ sunt prohibiti : Lucius etiam Ælius Lamia, quod vehementius institerat, relegatus : Hortensius et Curio, ad populi concionem a Clodio rapti, per homines ad id præparatos contumelias et verbera, susceptæ legationis præmium, retulerunt.

Cic. in
Pis. c. 8.
Dio.

Cic. in
Pis. c. 27.
et pro Sext.
c. 12. et
pro Mil.
c. 14.
Dio.

Plut. Cic.

116. Igitur, rebus ad extrema deductis, Cicero ipse, aut per amicos Pompeio supplicabat. Ille, quo pudorem improbe deserti amici saltem absentia tegetet, in Albano degebat. Eo primum Ciceronis gener C. Piso, deinde ipse quoque Cicero venit; cum ille hominis ante amicissimi, et qui pro se multas contentiones suscepisset, vultum non sustinens, ne in conspectum veniret, per alias fores se subduxit. Postremo accesserunt ad eum L. Lentulus tum prætor, Q. Fabius Sanga, et ex consularibus L. Torquatus, M. Lucullus. Sed remissi sunt ad consules, negante Pompeio, 'se, nisi relatum ea de re, senatusqueconsultum factum esset, arma capturum.' Itur ad consules, quorum non erat ignota Pompeio sententia. Gabinius duriter respondet: lenius in speciem, sed eodem animo L. Piso, 'nihil opus esse contentione: posse iterum a Cicerone servari rempublicam, si cedat. Ni faxit, infinitam eandem, et ipsi inevitabile periculum fore.'

Cic. in
Pis. c. 31.

Plut.

Cic. in
Pis. Dio.

117. Jam dies a Clodio perferendæ legi dicta aderat, et concio, quo Cæsar, qui jam paludatus profectus ex Urbe fuerat, interesset, extra pomeria habebatur. Ibi producti ad populum consules, et interrogati, 'quid de lege sentirent?' Piso respondit, 'nunquam sibi placuisse crudelitatem?' Gabinius non Ciceronem modo, sed etiam equites ac senatum inculpavit. Cæsar deinde iussus dicere, 'Lentulum, Cethegumque, et ceteros jure necatos videri' negavit: 'neque obscurum cuiquam esse, quid de ea causa

Cic. in
Pis. c. 6.
Dio.

Cic. post
red. in Sen.
c. 5.
Dio.

semper sensisset. Pœnam tamen ejus facti non probare : præterita mala oblivione sepelienda.' At Crassus, quamquam filium suum, quam posset, opem ferre Ciceroni pateretur, ad populi sensum, ut solebat, accommodavit orationem. Pompeius, ore magis quam animo verecundo, per simulationem aliorum negotiorum abfuit.

Sall. Incert. 1.
Dio.
Plut.

118. Inter hæc Ciceronem consilii incertum Lucullus vim vi repellere hortabatur : ceteri, et maxime M. Cato, Q. Hortensius, Q. Arrius, bellum civile abnucebant. Cato tum in Cyprum proficiscebatur, arte tyrannorum, qui non nisi duobus his publicæ libertatis amotis assertoribus, consiliorum suorum, qualem volebant, eventum opperiebantur. Neque enim dubio illorum impulsu P. Clodius de Ciceronis oppressione desperans, donec in Urbe Cato esset, hanc ejus per speciem honoris amoliendi astutiam est commentus.

Dio.
Cic. ad Q. Fratr. 1. 3.
Cic. pro Domo, c. 9.

Plut. Cat.
Dio.
Cic. pro Sext. c. 28.
Vell. 11. 45.

119. In Cypro Ptolemæus regnabat, omnibus contaminatus morum vitiis. Ceterum nec id ad populum Romanum pertinebat; neque is erat Clodius, ut alienas vitas, omni ipse turpitudine coopertus, castigare deberet. Sed ille Ptolemæum oderat, quod se captum a piratis redimere neglexisset; promulgabatque de Cypro ei adimenda. Magna paupertas erat tum ararii, magna Cypriarum opum fama: civitatis corrupti mores, populus injustus, principes avari. His omnibus de causis injustissima rogatio cupide accepta est.

Strabo, XIV. p. 681.
Vell.

Dio.
Plut.
Marcellin. XIV. 27.
Flor. 11. 9.

Cic. pro Sext. c. 27.

120. Ea de re cum Catone non multo post initum tribunatum collocutus, 'ei se curationem illam daturum' dicebat, 'quem Romanorum omnium innocentissimum, ideoque beneficio illo dignum arbitraretur.' Reclamante Catone, 'se vero insidias et injuriam, non beneficium Clodii agnoscere;' tum ille arroganter et aspere, 'Quando igitur volentem,' inquit, 'emittere nequeo, nolentem expellam.' Continuoque profectus in concionem legem tulit, 'uti Cato quæstor^a cum jure prætorio, adjecto etiam quæstore, ad exuendum regno Ptolemæum, in Cyprum

Vell. 11. 45.

^a Uti Cato quæstor] Observat fuisse. Itaque emendat quæstorius. Crev.
Lipsius ad hunc Velleii locum, diu ante Catonem quæstorem

Plut. mitteretur : idemque Byzantinorum reduceret exules.¹ Quo nimirum diutius absens in tribunatu grassandi locum Clodio daret.

Dio. 121. Hoc igitur tam firmo propugnaculo cum se destitutum Cicero reputaret, signo Minervæ, quod diu habuerat domi, in Capitolium cum inscriptione Custodis Urbis posito, nocte profectus ex Urbe, deducente amicorum præsidio, Siculos petiit, publice privatimque devinctos plurimis beneficiis, et quia provinciam eam C. Virgilius obtinebat, vir meliorum partium, et vetusta amicitia Ciceroni conjunctus. In illo itinere, dum in villa quadam Atinatis agri diversatur, primam ei meliorum temporum spem oblatus per quietem C. Marius cum laureatis fascibus obtulit, a quo, consulatus insignibus ornato interrogari se putavit, 'quid ita tristis incerto itinere pergeret?' Deinde proximum sibi lictorem ab eo datum, qui se in monumentum Marii deduceret, adjecto, 'in eo salutem fore.' Id somnium cum fugæ comiti Sallustio narrasset, 'reditum ei celerem et gloriosum paratum esse' Sallustius exclamavit. Et eventu comprobata rem ferunt : idque senatusconsultum, quo reditus Ciceroni procuratus est, in æde Jovis Mariana factum esse.

Val. Max. 122. Sub idem tempus obtinenti Asiam fratri Ciceronis Quinto visus per quietem Marcus erat equo ad ripam magni fluminis adveli ; deinde lapsus in flumen disparere ; postremo redditus esse mœrenti lætus, eodemque² equo adversam ascendisse ripam, et venisse in fratris amplexus. Cognito Ciceronis discessu, Clodius exilium ei scivit, aqua et igni interdicto, vetitoque, 'ne a quoquam intra quingentesimum ab Urbe milliare³ tecto reciperetur. Si quis intra eos fines ipsum, aut a quo receptus tecto esset, occidisset, ut impune esset.' Quæ tanto omnium metu perlata rogatio est, ut etiam strenuissimi quique Ciceronis

2 Ex Cic. emend. Crev. pro *idemque* in edd. priorr.

¹ *Intra quingentesimum ab Urbe milliare*] Sic Plutarchus. Dio 3750. stadia, quæ æqualia sunt milliariibus fere 469. At Cicero ipse testis est ita correctam esse legem, ut sibi ultra quadringenta millia liceret esse. Quadringenta millia efficiunt leucas nostrates plus 133. Crev.

defensores assentirentur. Senatus tamen publice regibus civitatibusque commendavit virum.

Appian.
Cic. pro
Planc. c. 32.
Plut.

123. Ob eam rem, et propria merita famaque, plurimorum obviis studiis exceptus adjutusque, tamen cum Vibonem venisset, a Vibio, quem multis affecerat beneficiis, præfectumque fabrum habuerat in consulatu, domo exclusus, etiam a C. Virgilio literas accepit, abstinere Sicilia jubentes. Igitur a Brundisio transmittens, ventoque rejectus, iterato cursu Dyrrhachium tenuit. Ibi quia inter exscendendum terra tremuerat, et reciprocaverat æquor, celerem ei reditum vates prædixerunt. Ipse tamen tristis et abjectus animo, quanquam Græciæ civitates studiis in eum certabant, privatimque amicorum officia supererant; non aliorum consolationibus, non sapientiæ monitis, quanquam id studium præcipue jactare solitus, allevabatur.

Cic. pro
Planc. c. 40.
Plut.

Cic. ad
Att. ad Terent. ad Q.
Frat.
Plut.

124. Interea Clodius bona ejus subjecerat hastæ, nec sectorem reperiebat. Incendit ergo villas, diruit, velut publicatam, domum, area Libertati consecrata. Hæc omnia cum, territis optimatibus, tam celeriter ex voto confecisset; præfidens animo, neminemque superiorem potentia ratus, in Pompeium insurgere, et ipsius sollicitare acta cœpit. Præterea Tigranem, qui ductus in triumpho tum adhuc in custodia apud L. Flavium amicum Pompeio detinebatur, acceptis pecuniis, liberavit emisitque. Erat eo anno prætor L. Flavius, a quo forte supercœnam Clodius petiit, 'ut Tigranem adduci juberet,' cupidum se videndi ejus simulans. Adductum deinde collocavit in convivio, neque Flavio statim, neque postea Pompeio repetenti reddidit; sed apud se aliquamdiu habitum imposuit in navem, et profugere jussit. Sed ille tempestate relatus, cum a Sex. Clodio missu tribuni receptus ad Urbem reduceretur, Flavius, re cognita, ad eum diripiendum excurrat. Ad quartum ab Urbe lapidem, pugna facta, multi ex Clodianis, plures a parte Flavii ceciderunt, inter quos et M. Papius, eques Romanus, publicanus, familiaris Pompeii. Flavius sine comite Roman vix perfugit.

Dio.
Appian.
Cic. pro
Dom. c. 43.
Plut.
Cic. pro
Dom. c. 25.
Ascon. in
Milon.
Plut. Pomp.
Dio.
Ascon.

Cic. pro
Mil. 7. et
14.
Ascon.
Vell. Plut.
Cicero.

125. Tum demum deserti Ciceronis pœnitentia Pom-

Dio. peium subiit, dolentem ita sibi cecidisse nequiter omnia, ut cliens modo suus Clodius ad se opprimendum tribunatus a se restituti viribus abuteretur: statimque cœpit revocandi Ciceronem agitare consilia. Estque eo res perducta, cum atrociter repugnante Clodio, perfici nihil posset, ut tamen senatusconsultum fieret, 'ne quicquam prius publicæ rei, quam de reditu Ciceronis decerneretur.'

Plut.

Cic. ad Att. III. 24. et in Pis. c. 13. &c. Dio.

Cic. in Pis. c. 12. Dio.

Cic. pro Dom. c. 47.

Cic. pro Sext. 31. et 32.

Cic. pro Dom. c. 48. Plut. Pomp.

Cic. pro Mil. c. 14. et de Har. Resp. c. 23. Asc. in Mil.

Cic. de Har. Resp. c. 23. et pro Dom. c. 15.

Plut. Cæs.

Cæs. de B. Gall. 1. Dio.

Sueton. Cæs. c. 22. Appian. Celt.

126. Ob eas res quotidiana in Urbe prælia fiebant, Pompeium, Gabiniumque consulem, qui pro Pompeio stabat, fœdissimis conviciis proscindente Clodio. Multi mortales inter eas rixas verberati vulneratique sunt: fasces consulis fracti, bona a tribuno consecrata. Contra L. Mummius, adjutus a collegis septem, resistebat acriter. Hic enim Kalendis Juniis de reditu Ciceronis retulit, quæ res intercessione P. Ælii Liguris est sublata; et bona P. Clodii, illius exemplo, Cereri consecravit.

127. Pompeius, sive contumeliarum impatiens, quod a Clodianis in medio foro sæpe conviciis spurcissimis exagitatus erat; sive metu insidiarum, post deprehensum in turba cum gladio Clodii servum; quamdiu fuit in tribunatu Clodius, domi suæ se tenuit. Ibi quoque obsessus est ab homine audacissimo, liberto Clodii, Damione, qui et L. Novium tribunum plebis ferro vulneravit. Sed nec a Cæsare vellicando Clodius abstinens, leges Julias contra auspicia latas in concionibus jaectabat; quanquam in his esset curiata illa, qua adoptio Clodii continebatur: interrogabatque productum in rostra M. Bibulum, 'utrumne leges ferente Cæsare, semper de cœlo servasset?' Interrogabat augures, 'quæ ita lata essent, rectene lata essent?'

128. Interea Cæsar, qui proficisci noluerat, donec relegatos a republica Ciceronem Catonemque vidisset, alterius ingenium, alterius animum, non fraude, non vi superabilia, metuens; sub initium Aprilis in provinciam iit. Pacatissima ibi erant omnia, minime ex voto Cæsaris, qui rebus turbatis ex ditissimis nationibus prædam, et de pugnacissimis materiam triumphorum quærebat. Igitur de motu Helvetiorum lætus audivit, qui ab Orgetorige principe gentis incitati, quanquam illo defuncto,

consilium, ejus auctorem damnaverant, executi, incensis sedibus suis, alias quæsitum ad ripam Rhodani contendebant.

Dio. Cæs.
Oros. vi. 7.
Cæs.

129. His Cæsar auditis, tanta festinatione peregit iter, ut octavo die, quam erat ab Urbe profectus, ad Rhodanum flumen perveniret. Cujus adventu cognito, legatos Helvetii mittunt petitum, ut sibi per provinciam eundi copiam faciat, sine maleficio transituris. Cæsar quasi deliberabundus,* reverti legatos A. D. Idus Aprilis jubet. Interim contrahit strenue copias, provincie indicit delictum, murum fossamque a lacu Lemano ad montem Juram ducit, quo Helvetiis Rhodanum ad Genèvam transmissuris iter præcluderet. Igitur illi cum se delusos intelligerent, et vim tentantes repellerentur, per Sequanos et Æduos in Santonum fines penetrare institunt. Hoc impediturus Cæsar, T. Labieno legato ei munitioni quam ad Rhodanum fecerat imposito, celeriter in Italiam regressus, duas legiones novas conscribit, easque cum tribus, quæ circa Aquileiam hyemabant, per Alpes non sine certamine transducit in Galliam.

Plut. Cæs.
Flor. iii. 10.
Plut. Cæs.
Dio. Cæs.
Liv. Epit.
Cæs.

130. Inter hæc Helvetii Æduorum agros populando, coegerunt illos, Ambarrosque, et Allobrogum, quæ trans Rhodanum colebat, partem, auxilium a Cæsare petere. Nec abnuit ille, quo potius his sociis bellum adversus Helvetios, quam neglectis et alienatis, adversus hos simul illosque gereret. Ad Ararim sive Sagonam (utroque enim nomine appellatur flumen) prima commissa pugna est: ubi quarta ferme pars Helvetiorum, (pagus Tigurinus erat,) cum ceteri annum transissent, a Cæsare profligata est. Ceteri per Diviconem legatum, qui bello Cassiano dux Helvetiorum fuerat, pacem a Cæsare postulando verius quam petendo, conditiones ferebant, 'uti sibi sedes constitueret: ibi futuros, ubi ipse voluisset.' Recusanti minas ingerunt, pristinarum populi Romani

Dio.
Cæs.

* *Cæsar quasi deliberabundus*] In reliqua hac rerum gestarum Cæsaris narratione ipsum solum testem in ora libri citavimus: ceteros initio narrationis nominare satis esse visum est, nisi si

forte aliquid ex ipsis depromitur, quod apud Cæsarem non reperiat. Idem institutum et in ceteris mox libris sequemur, ubi de rebus Cæsaris agetur. *Crec.*

cladium admonent, 'neque magni facere' ostendunt, 'quod nocturno Cæsaris furto partem suorum desiderent: virtute reparaturos, quod hostili dolo damnatum sit.' Cæsar, ad hæc dato, quali opus erat, responso, 'si quidem dent obsides, facturum quæ peterent,' ostendit. Helvetius contra, 'sic se a majoribus suis institutos, ut obsides accipere, non dare consueverint.'

131. Sic abjecto pacis negotio, cum hostes progredirentur, Cæsar sociorum equitatum præmittit, exploraturum hostium iter. Quatuor millia equitum erant, qui numero confisi, cum longe paucioribus Helvetiis alieno loco pugnam couseruerunt. Paucis cadentibus, fit fuga a Dumnorige, præfecto equitatus, quem Ædui auxilio Cæsari miserant, quique, Orgetorigis ducta filia, clam rebus Helvetiorum studebat.

132. Helvetii, quod eorum equites quingenti admodum multitudinem tantam fuderant, majore cum fiducia cæpta prosequuntur. Subsequitur iter facientes cum suis copiis Cæsar, ita ut per dies præterpropter quindecim, inter novissimum hostium, et primum illius agmen, non amplius quinque aut sex millibus passuum interesset. Cum ita ad duodevicesimum milliare ab oppido Æduorum Bibracte perventum esset, Cæsar rei frumentariæ causa eo digressus, opinionem injecit hosti, timore correptos Romanos, et adversi prælii memoria, discedere. Igitur omisso itinere, insequi Cæsarem atque lacessere cœperunt. Ille, subductis in collem copiis, dum aciem instrueret, equitatum ad sustinendos hostes emittit: sarcinas in summo colle unum in locum conferri, eumque ab auxiliaribus copiis, ad viginti hominum millia erant, duabusque nuper conscriptis legionibus muniri jubet. Interea Helvetii cum omnibus suis carris suggesti, postquam seorsim impedimenta collocaissent, rejecto Cæsaris equitatu, ad collem instructa phalange processerunt.

133. Cæsar, suo primum equo, deinde omnium, e conspectu amotis, ut æquato periculo spem fugæ tolleret, quatuor veteranis legionibus prælium committit. Ab hora septima usque ad vesperam ita certatur, ut terga neutri

verterent: Helvetii, pars major, in montem se quendam recipere vulneribus onerati: Boii Tulingique ad impe- Plut. dimenta carrosque se referrent. In hos ad mediam usque noctem¹ pugnatum, non viris tantum, sed fœminis atque pueris acerrime se defendentibus. Postremo tamen capta impedimenta, et cum his Orgetorigis filia, atque unus e Cæs. filiis ejus. Hostes qui prælio superfuerunt, ad centum triginta hominum millia, quauquam labore et vulneribus fessi, tota nocte continenter ierunt: et quartum intra diem in fines Lingonum sunt delati. Cæsar, qui propter vulnera militum et sepulturam occisorum tridui moram fecerat, literas ad Lingones mittit; Helvetios frumento ullave alia re juvari vetat: secus facientes pro hostibus habiturum minatur.

134. Ea res cum ad extremam inopiam Helvetios rede- gisset, legatos ad Cæsarem de deditioe mittunt. Cæsar eodem loci adventum suum præstolari jubet: ubi venit, arma, obsides, servos, qui ad eos per fugissent, postulat. Inter hæc conquirenda cum nox incidisset, Verbigeni pagi homines, sex circiter millia, ad Rhenum finesque Germanorum ituri, clam excesserunt castris. Hoc ubi Cæsar rescivit, iisdem per quorum agros inces- serant, denuntiat cum minis, ut illos reducant: reductis pro hostibus utitur: reliquos omnes, obsidibus, armis, per- fugis traditis, in deditioem accipit.

135. Helvetios, Tulingos, Lacobrigos ad sua reverti jussit, pristinasque sedes instaurare: Allobrogibus impe- rat, ut frumenti copiam his faciant, quod nihil haberent domi quo famem tolerarent. Nolebat enim Helvetiorum vacuos fines a Germanis occupari, quos graves provinciis Romanis futuros accolos metuebat. Boios, quod egregia virtute erant, petentibus Æduis dedit, quos in finibus suis præsidium contra Germanos collocarent: eosque postea Ædui in parem juris atque libertatis conditionem, qua

Strabo iv.
p. 193.
Cæs.

¹ *Ad mediam usque noctem]* Cæsar modestius, *ad multam noc- tem.* Plutarchus, *εἰς μέσας νύκ- τας.* Nempe in parvis magnis- que rebus etiam summo ingenio ac judicio viri temperare sibi vix

possunt, quin accepta ab aliis in majus efferant. Ut et hoc quod sequitur de fœminis pne- risque acerrime se defendenti- bus Cæsar ne verbo quidem in- dicat. *Cæs.*

ipsi agerent, receperunt. In castris Helvetiorum tabulas repertas esse Græcis literis confectas Cæsar tradidit, harundem rerum auctor idem scriptorque incomparabilis, quibus ratio contineretur generum capitumque Helvetiorum et sociorum, quæ domo exissent. Summa erat Helvetiorum millia ducenta sexaginta tria : Tulingorum millia triginta sex : Lacobrigorum quatuordecim : Rauracorum tria et viginti : Boiorum duo et triginta : horum, qui arma ferre possent, ad millia duo et nonaginta. Ex omni hoc numero tantum centum et decem millia domum redierunt.

136. Hoc primum Cæsar in Gallia bellum fuit, unde mox alia aliaque secuta, quibus ille per annos novem, totam ad Rhenum oceanumque perdomuit ; etiam semel iterumque trajecto Rheno Germaniam ingressus. Hæc omnia quo facilius meliusque noscantur, regionum illarum situs,^u et quibus sub ea tempora gentibus inhabitatæ fuerint, operæ pretium est exponere.

Sueton.
Cæs. c. 25.
Eutrop. vi.

137. Galliam Romani duplicem antiquitus fecerunt, Alpiibus discretas. Harum quæ ab Roma est remotior, ea hoc vocabulo hodieque censetur. At quam illi Togatam vocarunt, eam posterior ætas ab novis incolis nominavit Longobardiam : nunc Italiæ pars est. Veram Galliam vetus ætas in Braccatam, Comatamque divisit. Braccata, quæ et Narbonensis, vetus populi Romani provincia fuit. Comatam Cæsar triplicem fecit, Belgas a Rheno ad Sequanam, Celtas inter Sequanam et Garumnam ; reliquam partem, quæ Garumna, Pyrenæisque, et oceano clauditur, attribuit Aquitanis. Sed ea cum videretur ineptior divisio, quod et Narbonensis excludebatur provincia, et Aquitanicæ fines, ceterarum comparatione partium, nimis exiles viderentur ; Augustus Cæsar, quicquid intra Alpes, mare Mediterraneum, et oceanum, et Rhenum, terrarum jacet, uno Galliarum nomine complexus, Aquitanicæ nationes adiecit quatuordecim : uni-

Scalig.
Notit. Gall.

^u *Regionum illarum situs*] Nullos hic auctores in margine allegamus. Nempe Galliarum descriptiones multo auctiores a geographis, qui hoc ex professo agunt, Cluverio, Cellario, aliis-

que exarata, omnium manibus teruntur. Hic sequitur Freinshemius ac fere exscribit Notitiam Galliarum a Jos. Scaligero delineatam. *Crev.*

versæ Galliæ provincias constituit quatuor, Narbonensi addita: quæ iterum sub tempora Constantini discesserunt in partes septemdecim: quæ deinde partitio a Romanis semper est retenta. Ejus hæc est notitia: Viennensis, Lugdunensis, Germania prima, Germania secunda, Belgica prima, Belgica secunda, Alpes Maritimæ, Alpes Penninæ et Graiæ, Maxima Sequanorum, Aquitanica prima, Aquitanica secunda, Novem populorum, Narbo- uensis prima, Narbonensis secunda, Lugdunensis secunda, Lugdunensis tertia, Lugdunensis Senonia.

138. Harum Viennensis hodie Delphinatus vocatur, inter fluvios Isaram Rhodanunque ad fines Allobrogum sita; cujus etiamnum caput Vienna est, Archiepiscopi sedes, sicut olim consularis fuit. Pleraque enim omnes urbes, quas Romanum imperium metropoles fecit, archiepiscopales postea extiterunt.

139. Ceterum urbes Viennensis provinciæ in Itinerario, quod Antonini vocant, notantur quatuordecim: Vienna metropolis, civitas Genevensium, Gratianopolitanorum, Albensium, seu Vivario, Deensium, Valentinorum, Tricastinorum, Vasionensium, Arausicorum, Carpentoracensium, Caballicorum, Massiliensium, Avennicorum, Arelatensium. Quæ omnes suis adhuc, aut paulum deflexis nominibus noscuntur; totidem nunc episcopatus, præter duas ultimas archiepiscopalibus infulis insignes. Gratianopolis etiam tribunal habet, Parlamentum vocant. Sequitur Lugdunensis in quatuor tributa partes, universa nomen a metropoli habens. Prima partium, præter metropolin, quatuor habebat civitates, quæ et ipsæ nunc episcopatus sunt, civitatem Æduorum, hoc est Augustodunum, Lingonum, (nunc Langrensem episcopatum vocant,) Castrum Matisconense et Cabillonense.

140. Germanias duas in Rheni ripa citeriore vocarunt Romani, quod eam Galliæ partem Germanicæ nationes insederant. Earum quæ prima vocabatur, a meridie Burgundos respicit, et montem Juram, Rhenum ab ortu habet, ad occasum Lugduenses Senones colunt. Metropolis huic est Maguntiacensium civitas: reliquæ, præter alia municipia, Argentoratensium, Nemetum, qui nunc

‘Spirenses’ sunt, et Vangionum, in quorum urbe hæc scribebamus, quæ hodie ‘Vormatia’ vocatur (Borbetomagum fuisse opinantur); et hæ quoque omnes, præter metropolin archiepiscopalem, episcopos suos habent. Inferior Germania post metropolin Coloniam, civitate Tungrorum, quam Cæsar Atuaticum vocat, insignitur.

141. Belgica fluminibus Mosella, qui et Obringa^x vocabatur, et Sequana terminatur; Mosa dividitur. Primæ Trevirorum est civitas metropolis, mox Mediomatricum, id est Metis, Leucorum, sive Tullo, et Verdunensium. Secunda Belgica nobiles civitates antiquitus habuit duodecim: civitatem Remorum, quæ nunc etiam est metropolis; Suessionum, Catalaunorum, Veromanduorum, Atrebatum, (nunc Arras vocant,) Cameracensium, Tornacensium, Silvanectum, qui nunc episcopatus Seulisiensis^y est, Bellovacorum, Ambianensium, Morinorum (Teroanensis episcopatus intelligitur) et Bononiensium, ubi Gesoriacum fuit.

142. Ad oceanum deinde Britannicum secunda Lugdunensis Rotomago metropoli, et sex præterea civitatibus, nobilis: Baiocassium, Abricantum, Sajorum, Eburovicum, Lexoviorum, Constantiensium. Tertiam deinde Lugdunensem, cui caput Turonum, constituebant civitates Cenomanorum (Mansensis episcopatus hodie), Redonum, Andegavorum, Nannetum, Curiosopitarum, (is est Cornavallensis episcopatus), Ciautium, id est, Venetum, (Vennensis episcopatus) Osismiorum, Diablintum,³ quas duas civitates ignoramus. Quarta Lugdunensis, quæ et Senonia, inter Sequanam et Ligerim has amplectebatur civitates, Senonum metropolin, Carnutum, Altisiodorum, Treca-

3 In edd. ante Crev. legitur *Diablintum*, id est, *Carifes*, quas, &c.

^x *Obringa*] Cellarius, Geogr. Ant. l. II. c. 3. pp. 268. et 371. editionis Lipsiensis anni 1701. probat eos errare qui Obringam a Ptolemæo memoratum eundem esse cum Mosella putent. Ex ejus mente Obringa, sive Abrinca, est fluvius ignobilior, qui nunc *Are* nominatur, in Rhe-

num influens inter Bonnam et Andernacum. *Crev.*

^y *Episcopatus Seulisiensis*] Passim in hac descriptione legebatur *episcopa* et *archiepiscopa*. Subjecit Clericus usitatiora vocabula *episcopatus* et *archiepiscopatus*. *Crev.*

sium, Aurelianorum, Parisiorum, Meldorum, quos hodie Meauseuses pronuntiant.

143. Alpium Maritimarum civitates, obscuri hodie nominis, Rigomagensium, Solliuensium, Cemelenensium referuntur: notiores præterea, Ebrodunensium metropolis, (Ambrunum hodie vocant, archiepiscopalem urbem) Diniensium, Saniciensium, (Senes appellant vulgo) Glauatenna, et Venciensium, qui S. Pauli Venciensis episcopatus nunc usurpatur. At in Penninis Graivise Alpibus, ubi sunt Allobrogum Sabaudi, et Helvetiorum particula, metropolis Centronum, id est, Tarantasia, locatur, et præter hanc Vallensium civitas Octodurus, hodie S. Mauricii nomine notior.

144. Maxima Sequanorum, Burgundiam Helvetiosque complexa, Crispolinorum civitatem agnoscebat metropolin, quæ Vesuntio est, vel, ut hodie pronuntiant, Besançonensis archiepiscopatus. Huic civitates octo suberant, Equestrium, id est Noviodunum ad lacum Lemanium, quæ Genevam et Lausannam interjacens, hodie Nion appellatur: Elvicorum, id est Aventicum, nunc Avanches: Basiliensium, Castrum Viridunense, Castrum Ebrodunense, Castrum Argentariense, ejus ex ruinis Colmaria surrexisse putatur: Castrum Rauracense, ceteris oppiditum illustrius, hodie nomen Augustum, sed sine specie retinens, prope Basileam, in quam vetustioris et dignitas et appellatio translata videtur sub Græcis imperatoribus: et portus Abucina. Hi Belgarum Celtarumque nobiliores populi fuerunt.

145. Aquitaniam ad mare sitam, eoque vetusta incolarum lingua appellatam *Aremoricam*,^z oceanus ab occasu claudit: boreale latus ortumque solis Ligeris fluvius terminat: a meridie Pyrenæis montibus et Narbonensi Gallia finitur. Hoc spatium terrarum Garumna fluvius, ex Pyrenæo monte delapsus, in duas provincias secat. Primæ caput Biturigum Cuborum civitas est, nunc Bourgenis archiepiscopatus: quanquam Biturigas Lugdunensi primæ

^z *Aremoricam*] Celta, ut et Cellar. Geogr. Ant. l. ii. c. 2. p. Teutones, *mar* mare appellabant. 195. Crv.
Eorum lingua *ar mar* est ad mare.

Marcellinus accensuit. Huic junguntur civitates Arvernorum, Rutenorum, Albigenſium, Cadurcorum, Lemovicum, Gabalorum, Velaunorum. Quod deinde a ripa Garumnae ad Ligerim fluvium protenditur, sub Aquitaniae ſecundae vocabulo ſex civitates habuit, Agennenſium, Encoliſmenſium, (Angulema hodie eſt) Santonum, Pictavorum, Petrocoriorum, cum metropoli Burdegala.

146. Novem populos prope Aquitaniam, proptereaſque tertiam a multis dictam, in qua Vascones habitant, Auſcii commendant et Vaſatae: reliquorum ſeptem haec fuerunt nomina, Vibisci, Meduli, Boatae, Convenae, Conſaranni, Bigerriones, Tarbelli. Horum duodecim recensentur in veteri itineralio civitates: Auſciorum metropolis, Convenarii, (quae duae jam aetate Strabonis juſ Latii habebant) Aquenſium, Lactoratium, Conſaramorum, hodie Couſerans, Boatum, Benearnenſium, Aturenſium, nunc Aire, Vaſatica, Turba vel caſtrum Begerra, nunc epiſcopatus Tarba-Bigorrenſis, Eloronenſium, id eſt Oleron, Eluſatium, id eſt Eauſe, quam Narbonenſis partem facit Ammianus.

147. Sed alii Narbonenſem et ipſam duplicem ita diſtinguunt: ut primam, Cebennis montibus^a ab aquilone, Pyrenaeis et mari Gallico a meridie incluſam, ſeptem inſigniant civitatibus. Nam praeter metropolin Narbonenſium, civitates ei tribuunt Tolosatium, Beterrenſium, Agatenſium, Nemaufenſium, Magalonenſium, Lutevenſium, ſive caſtrum Lutevam, Ucetiſium. Secundam Nar-

^a *Ut primam, Cebennis montibus*] Miſerandum in modum confuſa hic erant omnia, finesque alterius Narbonenſis alteri circumſcripti. Nempe hoc loco legebatur, *ut primam, quae a Varo flumine uſque ad Rhodanum verſus ortum porrigitur, a meridie mare Gallicum habet, tredecim inſigniant civitatibus. Nam, &c.* Et paulo infra: *ſecunda Narbonenſis, cui metropolis eſt Aquenſium civitas, Pyrenaeis et Cebennis montibus ab aquilone, mari Gallico a meridie incluſam, ſex praeterea civitates ho-*

neſtabant. Ubi praeter limitum confuſionem, etiam ſaedus ſolaeiſmus occurrebat: *ſecunda Narbonenſis . . . incluſam . . . honeſtabant.* Haec omnia correximus, neque committendum duximus, ut lectorem in contextu ipſo primum offenderent praeva et abuſurda, quae in notis demum emendarentur. Sed et paſſim in tota hac Galliarum deſcriptione, vel nomina in pravum diſtorta, vel vitioſas orationis ſtructuram, partim mutavimus ipſi, partim mutanti Clerico obſecuti ſumus. *Crev.*

bonensem quæ a Rhodano flumine usque ad Varam versus ortum porrigitur, a meridie mare Gallicum habet, cui metropolis olim Arelate fuit, nunc Aquensium est civitas, sex præterea civitates honestabant, Aptensium, Reiensium, Forojulensium, Vapincensium, Segesterorum, Autipolitana.

148. Hæc ferme fuit Galliarum, sub initia Constanti-nopolitani imperii, descriptio : sed idem situs gentium, ple-rarumque civitatum eadem fuisse nomina Cæsare bellum gerente videntur : quanquam gentium numerus, ut solitum est, cresceret, aut contraheretur. Nam ara quæ apud Lugdunum Augusti Cæsaris fuit, inscriptionem habuit gentium sexaginta : nec multis post annis universæ Galliæ quatuor et sexaginta civitates^b numerabantur. Sed Ap-pianum, qui sub Adriano Cæsare scripsit, pacatos a C. Julio populos quadringentos, oppida octingenta, tradidisse putant. Mihi numerorum potius errorem intervenisse li-quet, ut pro *v'* aut *o'* Græcorum litera, quarum illa quin-quaginta, hæc septuaginta notat, *ρ'*, quæ est quadringen-torum nota, temere scripta lectave videatur : idque tum ex consensu veterum, tum adjecto numero oppidorum, quæ tantæ gentium multitudini pro portione parum re-spondet, haud difficile arbitrato est. Ceterum tractus ille terrarum, soli bonitate, et incolarum abundantia, maxi-marum opum famam, nec falso, adeptus, invitavit Cæsa-rem, ut hanc unam, præ ceteris omnibus provinciis, suo proposito commodissimam crederet. Nam divitiis ad emendum imperium indigebat : militem duraturus erat ad civilia bella ; famam reportaturus ex victoria clarissimam, periculisque et laboribus ampliorem ; quod tum adhuc durabat Gallicæ fortitudinis opinio, virtus paulatim defi-ciebat.

Strabo 17.
p. 192.

Serv. æEn.
1. 290.
Appian.
Celt. et de
B. Civ. 11.
p. 523.

Suet. Cæs.
c. 54. et
Tac. Ann.
x1. 23.

Tac. Germ.
c. 28.

^b Quatuor et sexaginta civita-
tes] Hujus numeri non alium tes-
tem novimus, quam Servium, quem in ora libri allegamus. A-
lium aliquem videtur intuitus
esse Freinshemius. *Crex.*

SUPPLEMENTUM

LIBRI CIV.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

1. C. CÆSAR, Helvetiorum gente perdomita, quod ea fortissima totius Celticæ habebatur, ingentem apud Gallos gloriam meruit. Ideirco passim ex civitatibus gratulatum venerunt principes; simul petatum, 'ut bona cum ipsius gratia concilium totius Galliæ sibi liceat indicere.' In illo, ut postea apparuit, de Germanorum amolendo jugo deliberatum: et ab iisdem principibus flentibus et ad pedes prostratis rogatus est Cæsar, 'ut oppressis auxilium ferret.'

Cæs. de B.
Gall. 1. 30.
Id. ib. 1. 1.
Id. ib. 1. 30.

2. Ariovistus Suevorum rex, per Arvernorum Sequanorumque contentiones, cum centum viginti millium exercitu Galliæ partem occupaverat: Æduos eorumque clientes semel terumque magnis præliis vicerat: iis quoque gravis, a quibus erat accitus, universæ Galliæ imperio imminabat. Cæsar, cum in suo consulatu petentem cupide Ariovistum socium amicumque populi Romani appellandum curasset, causam belli a se removens, Ariovistum ad se venire jubet, ut de presentibus colloquantur: ratus, quod accidit, regem moleste laturum, atque inde causam belli exituram. Nam Ariovistus Cæsarem, si quid vellet, ad se jussit accedere. Tum Cæsar postulata

Plut. Cæs.
Dio,
XXXVIII.
Cæs. Plut.
Dio. Cæs.
Dio.
Flor. III. 10.
Cæs.

sua per legatos edidit : ‘ ne quos præterea Germanos trans Rhenum arcesseret : ne sociorum populi Romani fines armatus ingrederetur : obsides etiam ab illis acceptos redderet.’ Ad hæc ferociter ab Ariovisto responsum : oblataque Cæsari conditio, ‘ amico se an hoste uti mallet.’

3. Sub idem tempus quo hæc sunt renuntiata Cæsari, Æduorum etiam et Trevirorum legati affuerunt. Illi querebantur Harudes nuper in Galliam transportatos fines suos populari : Treviri centum pagos Suevorum ad Rheni ripam consedissee nuntiabant, hoc animo ut amnem transirent. Igitur Cæsar minime differendum ratus, ad Ariovistum, priusquam novæ copię cum veteribus ejus se conjungerent, magnis itineribus contendens, Vesontionem Sequanorum, ne ab hoste occuparetur, præcepit. Quæ deinde gesta sunt, quoniam multorum Germaniæ populorum mentionem continent, obscuram molestamque futuram legentibus, nisi commoda explicatione illustrentur ; locus hic desiderat, ut veteris Germaniæ situm moresque exponamus.

Liv. Epit.

Tac. Germ.
1. 1.

4. Igitur Germaniam ad occidentem a Gallis Rhætisque Rheus, ad orientem a Pannoniis Danubius^a certissimi limites separabant : septemtrionale latus vocatus inde Germanicus oceanus ambit : a meridie montes claudunt Alpibus ita propinqui, ut pars earum videantur appellenturque : a Sarmatis versus solem orientem, montium, qui proprie Sarmatici vocabantur, asperitate, et anne Vistula dirimebatur. Eodem pertinebat et Hercynia sylva, quæ tum novem dierum iter habebat in lati-

^a *Ad orientem a Pannoniis Danubius*] Pannonii, si respicias Germanos et Danubium, non ad orientem, sed ad meridiem siti sunt. Ceterum in hac Germaniæ descriptione, idem institutum, quod in Galliæ, tenebimus, ut omittamus nomina auctorum, quæ in Doujatianæ editionis margine, confusa admodum, manca partim, partim omissa, inextricabiles prope errores habent. Id sine ullo lectotis incommodo facere posse videmur. Qui enim accuratam

Germaniæ veteris cognitionem adipisci volet, non hinc illam petet, sed ex iis qui rem fuse et ex professo tractaverunt. Qui autem hæc rapido oculo festinanter perlustrare satis habent, iis sane parum curæ est scire quo ex auctore quidque petitum sit. Nobis igitur satis esse visum est dare operam, ut quam emendatissima hæc Germaniæ descriptio legeretur : de cetero remittere lectorem ad Claverium et Cellarium. *Crev.*

tudine, et ab Helvetiorum, et Nemetum, et Rauracorum finibus, secundum flumen Danubium ad fines Dacorum Anartiumque pertinebat: deinde sinistrorsum flexa multos attingebat propter magnitudinem populos, ultra sexaginta dierum iter porrecta.

5. Hoc spatio multæ tum gentes coluere, veteribus non satis cognitæ, quod asperæ bellis, in pace commerciorum negligentes, ab aliis populis haud facile adibantur. Quod tamen inter antiquos constat, initium Germaniæ qua Sarmatas attingebat, mons Sevo fuit, sinum Codanum, id est, Cdanum sive Danicum efficiens, insulis refertum. Quarum clarissimam nominabant Scandinaviam, tria borealia regna amplectentem, ideoque veteribus incomptæ magnitudinis, falso tamen insulam creditam: cujus partem Hellevionum gens, sic rupium incolas indigena sermo vocabat, quingentis pagis, scribente Plinio, obtinebat. Ab eodem auctore Germanorum genera quinque sic ponuntur, ut excludi Scandinaviæ gentes appareat: primum Vindilos vocat, 'quorum pars Burgundiones, Varini, Carini, Guttones fuerint.' Vandalos intelligi putant, quorum sedes a Poloniæ finibus atque Vistulæ capite per Megaloburgensium, Pomeranorum, Prutenorumque regiones, et Marchiam, Saxoniamque partem extentæ fuerunt.

6. Alterum genus Peucini Bastarnæque Peucen insulam ad ostia Danubii positam, et vicina inter Sarmatas Dacosque loca occupabant. Cetera Germaniæ tres habebant ex situ loci habitatorum differentias, totidemque nomina. Ingævones qui scribuntur apud Plinium, eos Vigævones non absurda conjectura Rhenanus intelligit, sic appellatos, quod ad sinum maris incolerent. Ejusdem Plinii Istævones, occiduos interpretantur, quod ea parte fluit Rhenus, quem accolebant. Inter hos intercepti veteribus Hermiones vocabantur, incertum unde: et qui detorquendis vocabulis sine alio indicio conjecturæ nimis indulgent, eos proclivius est in mille errores incidere, quam unam veritatem.

7. Ex his gentes nobiliores ad Rheni ripam, præter quas in Galliæ descriptione retulimus, Batavi non multum ex ripa, sed insulam Rheni annis colebant, Cattis

orti. At dextrum Rhēni latus, quod Germaniæ prætextur, incertæ olim possessionis fuit; eoque notitia illius obscurior. Rhēnus ipse a Rhæticiis Alpibus et monte Gothardi per abrupta devolutus Curicensem agrum percurrit; mox duos efficit lacus, Acronium et Venetum: hinc modico flexu in occidentem pronior, juxta Rauracos ad septentriones redit, agrum Helvetium a Germanico dividens: quæ res olim perpetuis duarum gentium bellis occasiones præbuit. Nec alia major causa fuit, cur Helvetii, sedibus suis incensis, alias instituerint in Gallia interiori quærere.

8. Ibi jam antiquitus initium Germaniæ fuit: sed ea loca incerti erant juris, quod nunc a Gallis invadebantur, nunc recipiebantur a Germanis. Ibi Decumates agri fuerunt postea trans Rhenum Danubiumque; cujus in propinquo fontes sunt, vix duorum milliarium a ripa Rhēni spatio diremti. Hegoviam nostrates vocant, oppositam Helvetiorum Turgaviæ. Infra Hegoviam Clegovia jacet, Martiano nemore, (quod Hercyniæ sylvæ caput est,) et Rheno amne terminata. In illis regionibus, et quæ præterea usque ad Cattorum fines descendunt, Decumates agros fuisse intelligo, sinum imperii, et Rhæticiæ provinciæ partem.

9. Ultra hos Catti tenuerunt iis finibus, quibus nunc Turingi sunt, Hassique, et ad Rhenum fluvium porrecta Westphalorum portio. Eorum pars Mattiaci, cum Tacitus scriberet, Romanis subditi, dictum ab oppido Mattio agrum coluerunt: cujus oppidi nomen adhuc et vestigia servare tenuis ad Adranam vicus traditur. In eorum agro calidissimi fontes visebantur, quos hodie frustra nisi apud Visbadenses contra Moguntiam situs requiras. Neque moveor quod apud Ptolemæum Mattiaci et Moguntiaci ad millia passuum centum septuaginta disjungi videntur. Nec enim ignotum est, ne auctori culpam imputemus, quam proclivis sit in notis numerorum, atque in illius præcipue scriptoris opere, frequens librariorum aberratio. Cattos penitus fuisse deletos quorundam opinio est: mihi verius videtur, Hassos nunc esse, qui olim Catti fuerunt; neque aliud nomen, sed tantummodo pronuntiatione dif-

ferens, non aliter quam et ¹ alia multa vocabula, quæ apud ejusdem gentis varios populos aliter atque aliter efferruntur.

10. Sub Cattis Usipios Tencterosque ad Rhenum locans Tacitus, haud dubie tractum illis assignat, ubi nunc Franci colunt ad Salam Mænumque flumina: inter Bohemos Noricosque et Rhenum, a meridie Sueviam spectantes, ab aquilone Turingiam. Sed et Clivensium fines tenuisse videntur: et quæ ad Rhenum inde loca versus Francofordiam usque pertinent, Hassorum hodie ditio.

11. Juxta Tencteros Brueteri occurrebant, quorum agrum inter Amisiam Luppianque amnes a Germanico vastatum Tacitus retulit. Hi tum ultimi Brueterorum erant. Pars alia late terras inter Salam Westphaliæ fluvium ac Rhenum interceptas possidebat. Ita Juliæcensis Bergensisque et Clivensis ditionum partes, Comitatumque Marcanum, et Lippensem usque in Westphaliam, a Brueteris habitatum fuisse, non absurda opinio est. At Ubiorum sedes Colonia monstrat, certum clarumque monumentum.

12. Ab his juxta Rheni ostia et Frisiõs Sicambri, mox Chamavi et Angrivarii, deinde Tubantes, postea Usipii, tum Franci, ad extremum Westphali, Monasteriensem agrum Cliviæque et Geldrorum partem tenuerunt. Ab Angrivariis certe Angriæ ducatus ad Visurgium amnem, qui nunc inter titulos archiepiscopi Coloniensis est, nominatus creditur. A quibus diversi Ausibarii, quondam a Chaucais pulsî, vacuos juxta Frisiorum regiones agros insederunt: quos deinde Francis Marcellinus accensuit. Angrivarios a tergo Dulgibini et Chasuarii claudebant. In fronte Frisii usque ad oceanum pertingunt, populosum genus, in majores minoresque distinctum: nunc orientaliæ et occidentaliæ nominibus dividuntur. Hæc ad occidentem solem veteris Germaniæ tabula est.

13. A septentrione Chaucorum gens a Frisiis incipiens, partemque littoris occupans, terga gentium Rhenanarum claudit, usque dum in Cattos ingenti sinu redeat. Hi quoque majores minoresque appellabantur. Majores

¹ *U* pro *et* legebatur ante Crev.

prope Angrivarios, ultra Visurgim, ad Albim usque tenuerunt; quorum oppidum fuit Fabiranum, quæ hodie Brema putatur. Minores a Visurgi ad Rhenum Westphaliæ Frisiæque partem versus Issalam Rheni amnis ostium sedes habuerunt. Cherusci, mediterraneus populus, Hercyniæ partem, quæ vulgo Hartz² nuncupatur, accoluerunt, cis Albim fluvium, ubi nunc Misni Turingique et Ascanienses sive Anhaltini habitant. Cheruscis conterminos fuisse Fosos ex uno Tacito discimus: quo latere fuerint, incertum. Sed Cimbri proxime oceanum colebant, et inter duo maria, orientale Germanicum et occidentale Britannicum, peninsula Cimbricæ Chersonesi nomine nobilitata est.

14. Præ cunctis istis populis uti maxima potentia, ita nomen quoque clarissimum Suevorum fuit, majorem Germaniæ partem occupans, et multas in nationes distributum. Nam a Rheno usque ad Albim protenta, parte sui etiam trans Albim jacentes campos obtinuit. Generis Suevici gentes quatuor et quinquaginta suo tempore numerabat Orosius. Olim centum pagos habere dicebantur: ex quibus quotannis singuli millia, bellandi causa, suis ex finibus educerent. Mari Suevico nomen haud dubiè ab accolis fuit: hicque eorum olim terminus.

Cæs. de B.
Gall. iv. 1.

15. Igitur, ab Holsatia et Julia Cimbrorum sedibus, ad Bohemicam usque sylvam, Pomeraniam, Marchiam, Saxoniam late repleverunt: mox etiam ad Danubium et Rhætiæ partem transgressi, Sueviæ quæ nunc est appellationem cultoresque dederunt. Sed et præcipua Saxonniæ nobilitas Suevicæ est originis. Ceterum inter Suevicas gentes nobilissimi olim Semnones fuerunt, Lusatiam et Marchiæ partem, ad Suevi fluminis utramque ripam, habitantes. Hæc copiosa gens fuit. Longobardica, virtute quam numero potior, cis Albim in agro Lunenburgensi reliquisse nominis sediumque suarum memoriam in oppido Bardunvigo creditur, quod Henricus cognomento Leo delevit.

16. Post hos Reudigni, et Aviones, et Angli, et Va-

² Harto edd. ante Crev.



The first part of the book is devoted to a general history of the world, from the beginning of time to the present day. The author discusses the various civilizations that have flourished on the earth, and the progress of human knowledge and art. He also touches upon the different religions and philosophies that have shaped the human mind.

The second part of the book is a detailed account of the history of the British Empire, from its early beginnings to its present extent. The author describes the various colonies and territories that have been acquired by Great Britain, and the influence of the empire on the world. He also discusses the political and social changes that have taken place in the British Isles during this period.

The third part of the book is a history of the world from the year 1700 to the present day. The author discusses the various revolutions and wars that have shaped the modern world, and the progress of human civilization. He also touches upon the different scientific discoveries and inventions that have changed the face of the earth.

The fourth part of the book is a history of the world from the year 1800 to the present day. The author discusses the various events and movements that have shaped the modern world, and the progress of human civilization. He also touches upon the different scientific discoveries and inventions that have changed the face of the earth.

The fifth part of the book is a history of the world from the year 1900 to the present day. The author discusses the various events and movements that have shaped the modern world, and the progress of human civilization. He also touches upon the different scientific discoveries and inventions that have changed the face of the earth.

The sixth part of the book is a history of the world from the year 2000 to the present day. The author discusses the various events and movements that have shaped the modern world, and the progress of human civilization. He also touches upon the different scientific discoveries and inventions that have changed the face of the earth.



THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY FACILITY

UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY FACILITY



AA 000 404 852 6



L 007 625 620 5

SOUTHERN CALIFORNIA
UNIVERSITY OF CALIFORNIA
LIBRARY
LOS ANGELES, CALIF.

